
HX JUVF G


SIGILLVM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV ANG
CHRISTO ET ECCLESIAE
VE RI TAS

F. D. Allen

M. TER. VARRONIS
DE
LINGUA LATINA LIBRI
QUI SUPERSUNT
CUM
FRAGMENTIS EJUSDEM
ACCEDUNT NOTÆ
ANTONII AUGUSTINI, ADRIANI TURNEBI,
JOSEPHI SCALIGERI, ET AUSONII POPMÆ



EDITIO ACCURATA

BIPONTI.
EX TYPOGRAPHIA SOCIETATIS
CIƆIƆCCLXXXVIII

M. TERENTII VARRONIS

DE

LINGUA LATINA

LIBRI

QUI SUPERSUNT

M. TERENTII VARRONIS
VITA
PER AUSONIUM POPMAM.

M. Terentius Varro natus est L. Cæcilio Metello, Q. Mucio Scævola Coss. anno ab Urbe condita DCXXXVI. *De parentibus autem ejus nihil usquam exstat; etsi in Romanis monumentis percelebris sit ac vetusta Terentia gens plebeja: in qua is, qui primus Varro est appellatus, quod in Illyrico hostem Varronem nomine rapuerat, & ad suos pertulerat, id cognomen ex insigni facto meruit. Præceptorem habuit in literis L. Ælium Stilonem, equitem Rom. cumprimis honestum, multique ac varii & in doctrina & in rep. usus: in philosophia Athenis operam dedit Antiocho Ascalonitæ, veteris Academiæ nobilissimo & doctissimo philosopho; quem M. Cicero etiam audivit. Uterque, opinor, eo tempore, quo L. Sulla urbem armis oppressam tenebat, neque sub tam impotenti victore libere vivendi facultas dabatur. Romam deinde reversus, cum aliquamdiu in foro se reip. probasset, mox & ad honores provectus est, & multorum præstantium civium amicitia floruit. In his fuerunt Cn. Pompejus, C. Cæ-*

sar, M. Cicero, T. Pomponius Atticus, M. Marcellus, Ser. Sulpicius, C. Fundanius, cujus filiam Fundaniam uxorem habuit, Appius Claudius, Turannius Niger, aliique complures, quibus familiariter usus est. Sed quos omnino magistratus gesserit, aut quo tempore, nihil constat, præter quod ipse de se testatum reliquit: Ego Triumvir vocatus a Porcio Trib. pleb. non ivi auctoribus principibus, & vetus jus tenui. Item Tribunus cum essem, vocari neminem jussi, neque vocatum a collega, parere invitum. *Quæstorem etiam fuisse, & quidem M. Bruti in Gallia provincia, nonnulli existimant: propterea quod Cicero lib. XIII Epist. M. Terentium Varronem, Bruti Quæstorem, ipsi commendat: in quo, meo certe judicio, magnopere falluntur. Nam Varro tunc septuaginta annos natus, relictis publicis muneribus, se totum otio & literis tradiderat, multisque rebus domi & militiæ gestis clarissimus erat: at Cicero commendat virum florentis ætatis, qui versatus in utrisque subselliis optima & fama & fide, ante commutationem reip. petitioni sese dederat. Quin illud,* versabatur in hoc studio nostro, quo etiam nunc maxime delectamur, & cum ingenio, ut nosti, nec sine industria, *non convenit huic homini πολυγραφωτάτῳ, & qui Stoicorum disciplinam acceptam ab Ælio, auctamque per sese, pluribus & illustrioribus literis jam diu ante explicaverat. Omnino alius ab hoc nostro fuit Varro iste, quem Cicero Bruto commendat, & fortassis ille ipse, qui adoptatus a M. Varrone, a quibusdam appellatus est M. Terentius Varro Lucullus, ab aliis M. Licinius Lucullus M. F. Eum Cicero in libro de claris oratori-*

bus videtur juris publici & privati peritum appellare: constatque Bruti partibus adhæsisse, & post illius interitum ab M. Antonio Triumviro occisum, cum amico suo C. Volumnio: de quo Valer. Maximus lib. IV, & Vellejus lib. II, his verbis: Eadem Lucullum Hortensiumque, eminentissimorum civium filios, fortuna abstulit. nam Varro ad ludibrium moriturús Antonii, digna illo ac vera de exitu ejus magna cum libertate ominatus est. *Quin & Consulem Varronem fuisse iidem illi arbitrantur, & Ciliciam, quam ipse provinciam suam appellat, obtinuisse Proconsule. Sed neque in Fastis, neque in historiis nominatur alius M. Varro Cos. quam is, quem dixi, M. Terentius Varro Lucullus Cos. cum C. Cassio Varo, anno Urbis* DCLXXX, *qui idem biennio post suum consulatum de Thracibus & Dardanis triumphavit. Ciliciam autem Varro obtinuit extraordinario imperio, cum Græciæ classibus piratico bello præesset, a Cn. Pompejo ad id electus. Tunc ei fuit Quæstor P. Septimius, ad quem misit tres priores libros de Lingua Lat. Inter comites habuit L. Marcium præfectum fabrûm, inter apparitores quendam libertum M. Seji, quo etiam pro librario & scriba utebatur. In eam expeditionem proficiscens, cum ad fauces Adriatici maris Astam oppidum & Hydruntem pervenisset, qua in Græciam e regione Appolloniæ brevissimus est trajectus, intervallum freti intercurrentis centum millia non amplius passuum, pedestri transitu pontibus jactis continuare voluit, secundus post Pyrrhum Epiri regem, qui illud primus omnium tentaverat. Sed illum aliæ impediere curæ: hunc exspectatio navalis prælii, quod non multo*

post in angustiis Ciliciæ cum piratis fuit commissum: in quo strenuum se militem, & bonum ducem præbuit, primusque in hostium navem, vi armatus transilivit. Quo nomine a Pompejo coronam rostratam accepit, quam ante eum nemo, post eum solus M. Agrippa e Siculis, tribuente Augusto Cæsare, ad Vespasiani tempora meruit. Incidit Cæsarianum civile bellum, cum haberet annos sexaginta octo. Non est usus ætatis vacatione, sed Pompeji partes secutus, ejus Proconsulis Legatus in Hispaniam profectus est. Ibi Afranius, & Petrejus, & Varro, Legati Pompeji, officia inter se diviserunt, ut Petrejus ex Lusitania per Vectones cum omnibus copiis ad Afranium proficisceretur, Varro cum his, quas habebat, legionibus omnem ulteriorem Hispaniam tueretur. Paulo post Varro, comperto Pompejum Italiam reliquisse, cognitisque ceteris rebus, quæ fuerant in Italia gestæ, (utar verbis Cæsaris) diffidens Pompejanis partibus, amicissime de Cæsare loquebatur: Præoccupatum sese legatione ab Cn. Pompejo, teneri obstrictum fide; necessitudinem quidem sibi nihilo minorem cum Cæsare intercedere; neque se ignorare, quod esset officium Legati, qui fiduciariam operam obtineret, quæ vires suæ, quæ voluntas erga Cæsarem totius provinciæ. Hæc omnibus referebat sermonibus, neque se in ullam partem movebat. Postea vero, cum Cæsarem ad Massiliam detineri cognovit, copias Petrei cum exercitu Afranii esse conjunctas, magna auxilia convenisse, magnam esse spem atque exspectationem, & consentire omnem citeriorem provinciam, quæque postea acciderant, de angustiis ad Ilerdam rei frumentariæ accepit, atque hæc ad eum elatius atque infla-

tius Afranius perscribebat, se quoque ad motum fortunæ movere cœpit: dilectum habuit tota provincia, legionibus completis duabus, cohortes circiter triginta alarias addidit: frumenti magnum numerum coegit, quod Massiliensibus, item quod Afranio Petrejoque mitteret, & naves longas X *Gaditanis, ut facerent, imperavit. Complures præterea in Hispali faciendas curavit; pecuniam omnem, omniaque ornamenta ex fano Herculis in oppidum Gades contulit. Eo sex cohortes præsidii causa ex provincia misit: Cajumque Gallonium equitem Rom. familiarem Domitii, qui eo procurandæ hereditatis causa venerat, missus a Domitio, oppido præfecit: arma omnia privata & publica, in domum Gallonii contulit. Ipse habuit graves in Cæsarem conciones; sæpe ex tribunali prædicavit, adversa Cæsarem prælia fecisse, magnum numerum ab eo militum ad Afranium perfugisse. hæc se certis nuntiis, certis auctoribus comperisse. Quibus rebus perterritos cives Romanos ejus provinciæ, sibi ad rem publicam administrandam HS. centies nonagies, & argenti pondo* XX *millia, tritici modios* CXX *millia polliceri coegit. Quas Cæsari esse amicas civitates arbitrabatur, his graviora onera injungebat; qui verba atque orationem adversus rempub. habuissent, eorum bona in publicum addicebat, præsidiaque eo deducebat, & judicia in privatos edebat, provinciam omnem in sua & Pompeji verba jusjurandum adigebat. Cognitis his rebus, quæ sunt gestæ in citeriore Hispania, parabat bellum. Ratio autem hæc erat belli, ut se cum duabus legionibus Gades conferret, naves frumentumque omne ibi contineret: provinciam enim omnem Cæsari favere cognove-*

rat. In insula frumento navibusque comparatis, bellum duci non difficile existimabat Cæsar. Etsi multis necessariisque rebus in Italiam revocabatur, tamen constituerat nullam partem belli in Hispaniis relinquere; quod magna esse Pompeji beneficia, & magnas clientelas in citeriore provincia sciebat. Itaque duabus legionibus missis in ulteriorem Hispaniam cum Q. Cassio Trib. pleb. ipse cum equitibus sexcentis magnis itineribus progreditur, edictumque præmittit, ad quam diem magistratus principesque omnium civitatum sibi esse præsto Cordubæ vellet. Quo edicto tota provincia pervulgato, nulla fuit civitas, quin ad id tempus partem Senatus Cordubam mitteret; non civis Romanus paulo notior, quin ad diem conveniret: simul ipse Cordubæ conventus per se portas Varroni clausit, custodias vigiliasque in muro turribusque disposuit: cohortes duas, quæ Colonicæ appellabantur, cum eo casu venissent, tuendi oppidi causa apud se retinuit. Iisdem diebus Carmonensis civitas, deductis tribus in arcem oppidi cohortibus a Varrone præsidio, per se cohortes ejecit, portasque præclusit. Hoc vero magis properare Varro, ut cum legionibus quam primum Gades contenderet, ne itinere aut trajectu intercluderetur, tanta ac tam secunda in Cæsarem voluntate provinciæ. Progresso ei paulo longius, literæ a Gadibus redduntur, simul atque cognitum sit de edicto Cæsaris, consensisse Gaditanos principes cum tribunis cohortium, quæ essent ibi in præsidio, ut Gallonium ex oppido expellerent, urbem insulamque Cæsari reservarent. Hoc inito consilio denuntiavisse Gallonio, ut sua sponte, dum sine periculo liceret, excederet Gadibus: si id non fecisset,

sibi consilium capturos. hoc timore adductum Gallonium Gadibus excessisse. His cognitis rebus, altera ex duabus legionibus, quae vernacula appellabatur, ex castris Varronis, adstante & inspectante ipso, signa sustulit, seseque Hispalim recepit, atque in foro & porticibus sine maleficio consedit. Quibus rebus perterritus Varro, cum itinere converso sese Italicam venturum promisisset, certior a suis factus est, praeclusas esse portas. tum vero omni interclusus itinere ad Caesarem mittit, paratum se esse, legionem cui jusserit tradere. ille ad eum Sex. Caesarem mittit, atque huic tradi jubet. tradita legione, Varro Cordubam ad Caesarem venit: relatis ad eum publicis rationibus cum fide, quod penes eum erat pecuniae, tradidit; & quod ubique haberet frumenti ac navium, ostendit. Inde properavit Romam, ibique consedit, exspectans finem belli Africani, donec nuntiatum est, Caesarem in Italiam adventare. quo cognito, ex urbe excessit, & in villis suis delituit tantisper, dum defervesceret civilis victoriae gratulatio, & simul de victoris animo, & exitu rerum constaret. Ita illis tempestatibus prope solus in portu fuit, fructusque doctrinae percepit uberrimos, ut ea tractaret, quorum & usus & delectatio esset omnibus & actis, & voluptatibus anteponenda. Tandem in urbem rediit, & non modo Oppio, Balbo, Hirtio, Caesaris amicis, sed etiam ipsi Caesari familiarissimus fuit. Qui cum destinasset bibliothecas Graecas & Latinas, quas maximas posset, publicare, dedit illi curam comparandarum, ac digerendarum. Secutus postea, occiso Caesare, Triumvirorum dominatus, & renovatum Sullani mali exemplum, proscriptio: quae, ut optimos quos-

que cives, ita Varronem graviter afflixit. Nam inter proscriptos eum retulit Antonius; sive propter intimam familiaritatem Ciceronis, sive ob divitias, & pretiosas possessiones, quas ille scelerum suorum mercedem quærebat. Habuit enim Varro pecuarias grandes; in Appulia oviarias, in Reatino equarias, & utrobique latissima pascua, ita ut ejus greges, qui in Reatinis montibus æstivabant, in Appulia hibernarent. Præterea villas ornatissimas & fructosissimas, unam in Cumano, cui proxima fuit Ciceronis villa, celebris Academicarum quæstionum libris; alteram in Tusculano, emtam a M. Pupio Pisone, in qua mira cum voluptate ad buccinam inflatam certo tempore apri & capræ convenire ad pabulum spectabantur; tertiam in Pomptino. Quas omnes elegantia artificioque vincebat alia sub oppido Casino flumini finitima; in qua erat ornithon animi causa constitutus, qui longe superabat non modo archetypon inventoris M. Lænii Strabonis, sed etiam in Tusculano magnum ædificium Luculli. Hanc, quamvis sub hasta venisse nemo vidisset, per vim & injuriam involavit Antonius, diripuitque illud Musarum sacrarium, in quo jura populi Rom. monumenta majorum, omnis sapientiæ ratio, omnisque doctrina literis mandabatur. Quo factum, ut complures libri a Varrone scripti, & nondum editi, tunc perirent: quod ipse lib. primo Hebdomad. testatur. Sic Varro unius fundi pretio quasi redemtus, exemtusque numero proscriptorum, gravi & periculosæ reip. procellæ superfuit, annum agens septuagesimum quartum. Mortuo paulo post in Ægypto Antonio, cum ad imperii fastigium evectus esset Cæsar Octa-

vianus, reliquam ætatem a republica procul habuit, & vi nulla interpellante in literis & libris omne otium tempusque consumsit. Ei rei sunt indicio tres libri Rerum rusticarum, quos octoginta annos natus confecit, & Hebdomadon libri VII, quos quadriennium post scripsit, cum ad eum diem quadringentos & nonaginta libros composuisset. Quamobrem Asinius Pollio, orator & civis clarissimus, ex tanta temporis ejus ingeniorum multitudine, hujus unius viventis posuit imaginem in bibliotheca illa, quam primus Romæ ex manubiis dedicavit: T. Pomponius Atticus, vir doctrina, fide, judicio præstans, ejusdem adhuc vivi laudationem scripsit, quam se legisse Cicero testatur. Valerius autem Maximus non minus luculento, quam vero testimonio illum ornavit: Terentius Varro, humanæ vitæ exemplo & spatio nominandus, non annis, quibus seculi tempus æquavit, quam stilo vivacior fuit. in eodem enim lectulo & spiritus ejus, & egregiorum operum cursus exstinctus est. *Decessit igitur anno ætatis octogesimo octavo, urbis autem* DCCXXIV, *C. Cæsare Octaviano V, Sex. Apulejo Coss. & fictili dolio condi voluit, Pythagorico modo, in myrti & oleæ, atque nigræ populi foliis. Reliquit plurima & doctissima ingenii sui monumenta, quæ prope omnia temporum injuria interciderunt. in quibus recensendis non est necesse longiorem orationem insumere, quoniam satis multa diximus in eo libro, quem de scriptis M. Varronis fecimus. Fuit & alius M. Terentius Varro, qui, cum in illa triumvirali proscriptione esset Trib. pleb. ipsis Triumviris minime invisus, tum veritus, ne per errorem nominis occideretur, ut paulo an-*

te Helvio Cinnæ tribuno contigerat, edito ſcripto declaravit, non ſe tribunum, ſed Varronem Lucullum proſcriptum eſſe; quod factum ut deridiculum notavit Dio Caſſius lib. XLVII, qui ait, Varronis tribuni cum proſcripto eandem fuiſſe appellationem, uno excepto cognomine ſcilicet Luculli. Alius etiam fuit eadem ætate, ſed minor natu, P. Terentius Varro Atacinus, nobilis poeta, qui Argonautica, bellum Sequanicum & Chorographiam ſcripſit, cujus præter Grammaticos meminerunt Ovidius, Propertius, alii.

NOTITIA LITERARIA
DE
M. TERENTIO VARRONE
EX

Jo. Alb. Fabricii Bibliotheca Latina a Jo. Aug. Ernesti auctius edita T. I, lib. I, cap. VII.

Libri de lingua Latina & fragmenta.

E LIBRIS XXIV de lingua Latina perierunt tres primi, quos ad *P. Septimium* Quæstorem Varro miserat, in quibus disseruit περὶ τῆς ἐτυμολογικῆς, 1. quæ contra eam dicerentur, 2. quæ pro ea, & 3. quæ de ea denique. *Exstant liber IV*, *V*, *& VI*, in quibus origines ipsas verborum Latinorum persequitur, ad *M. Tullium Ciceronem.* Tum *liber VII*, *VIII*, *& IX*, qui sunt de analogia, sed perinde, ut priores, hinc inde quibusdam hiantes lacunis. Reliqui libri universi, exceptis perpaucis fragmentis, interciderunt, in quibus analogiam ipsam Latinorum vocabulorum & anomaliam explicaverat; deinde tractaverat de syntaxi, sive quomodo vocabula inter se ratione conjuncta sententiam efferant, denique differuerat de copia verborum. Re-

ſpiciens hoc Varronis opus Vitruvius in præfat. libri IX, (ſive ut vulgo diſtinguunt IX, 3. at tractatio ipſa libri IX demum a capite quarto incipit) *Plures*, inquit, *poſt noſtram memoriam naſcentes cum Lucretio videbuntur velut coram de rerum natura diſputare: de arte vero Rhetorica cum Cicerone: multi poſterorum cum Varrone conferent ſermonem de lingua Latina.* Fragmenta ex his libris collegit *Antonius Auguſtinus.*, unde leguntur etiam in editione *Vertranii Mauri.* Poſtea additis nonnullis in Varrone *Auſonii Popmæ*, Friſii, & in *Dionyſii Gothofredi* Auctoribus Latinæ linguæ. Repertum eſt etiam fragmentum Libri quarti ad calcem *Frontini* de Aquæductibus in Codice ſcripto Caſſinenſi, de quo *Jo. Bapt. Morgagnus* epiſtolam ſcripſit ad *Polenum*, quæ edita eſt in opuſculis ſcientificis & philol. Venetis T. IV.

Libri de re ruſtica.

Exſtant præterea Varronis *de re ruſtica libri III*, quos natus octoginta annos ſcripſit ad Fundaniam uxorem: de quibus vid. Notitiam literariam Vol. I rei ruſticæ Scriptorum præmiſſam p. CXIV.

Catalogus ſcriptorum Varronis, quæ interciderunt.

Jam veluti in tabella, libros hujus ſcriptoris deperditos referam, quorum non ipſos etiam titulos tempus nobis eripuit. Sequar autem præter Nonium Joſiæ Merceri, & optimas Gellii ac Grammaticorum veterum editiones, *Robertum* & *Henricum Stephanos*, qui fragmenta Satyrarum Varro-

nis congesserunt in fragmentis Poëtarum anno 1564, 8 editis pag. 305 — 364; tum *Antonium Riccobonum*, qui in fragmentis historicorum dedit quoque fragmenta scriptorum Varronis, ad calcem libri de Historia p. 219 — 401; *Ausonium* deinde *Popmam*, quem fragmenta Varronis collegisse jam dixi; denique curatorem editionis Dordracenæ, prioribus collectionibus melioris. Fuerunt itaque:

De cultu Deorum liber. S. Augustinus VII. 9 & 33 de Civ. Dei.

Rerum humanarum Antiquitates, libri XXV, & divinarum XVI, ad C. Cæsarem, de cujus utriusque operis argumento consulendus idem Augustinus VI, 3 de civitate Dei. Libros rerum divinarum Varro dicavit Cæsari Pontifici Max. Lactantius lib. I, cap. 6: *Varro, quo nemo unquam doctior ne apud Græcos quidem, nedum apud Latinos, in libris rerum Divinarum, quos ad C. Cæsarem Pontificem maximum scripsit, cum de Quindecimviris loqueretur, Sibyllinos libros ait non fuisse unius Sibyllæ.*

De vita Populi Rom. ad Atticum *libri*, quorum *undecimum* laudat Nonius in *paupertates.* Hos libros Janus Gebhardus II, 19 antiquar. Lect. testatur in Codice Palatino Nonii Marcelli semper citari *de vita Patrum:* iis namque libris vitam majorum exsecutus erat Varro, ut ostenderet, quantum sua tempora a frugalitate veterum descivissent.

De gente Populi Rom. libri IV. Arnob. & alii.

De initiis urbis Romæ liber. Quinctil.

De Republica libri, quorum *vicesimum* Nonius allegat.

Αἴτια, sive *Causa* (quales apud Græcos scripsere Callimachus, Butas, Plutarchus) Serv.

De Philosophia liber. Augustin. XII, 4, & XIX, 1 de civitate Dei, *Liber secundus de forma Philosophiæ.* Charis.

Libri disciplinarum ad M. Cœlium Rufum, in quibus unum de architectura fuisse, testis est Vitruvius præf. libri VII. Ex his *librum de Arithmetica* adhuc superstitem se vidisse Romæ apud Laurentium Strozzium Cardinalem testatus est Vertranius Maurus in Varronis vita. Varronem de numeris allegat Censorinus cap. 21

Hebdomadum sive *de imaginibus libri*, quorum ex *undecimo* profert nonnihil Charisius. In hujus operis libris singulis, ni fallor, septem virorum illustrium imagines stilo persecutus erat Varro. Imagines 700 fuisse testis Plinius XXXV, 2. Confer Vossium lib. I, cap. 12 de Historicis Latin. Libros hos unde *hebdomadum* titulo inscripserit Varro, docet Samuel Petitus lib. IV eclog. chronolog. pag. 204 sic: Decem apud Athenienses sorte legebantur viri, e singulis unus tribubus, penes quos esset imperium ἐφημερίας tribuum suarum intra unam Prytaniam. Distribuebatur autem Prytania in *hebdomadas* quinque (*Hebdomadas* has observatas fuisse ab Atheniensibus testis est A. Gellius XV, 2 his verbis: *In conviviis juvenum, quæ agitare Athenis* hebdomadibus Lunæ *solemne nobis fuit.* Lunæ, id est, κατὰ Σελήνην, ut loquitur Thucydides, sive τῆς πρυτανείας *hebdomadas* intelligitur.) Singulos autem dies imperabat sorte captus Ἐπιςάτης, & ita deinceps

reliqui, donec *hebdomadis* orbis abſolveretur; atque ita fiebat, ut e decem tres ſupereſſent, qui non imperarent. Ulpianus in Androtianam: *ἀλλ' ἐπειδὴ πάλιν οἱ πεντήκοντα πολλοὶ ἦσαν εἰς τὸ ἄρχειν ἅμα, οἱ δέκα κατὰ κλῆρον μιᾶς ἡμέρας τῶν ἑπτὰ, ὁμοίως δὲ ἕκαςος τῶν ἄλλων ἀπὸ κλήρου ἦρχε τὴν ἑαυτοῦ ἡμέραν, ἄχρις οὗ πληρωθῶσιν αἱ ἑπτὰ ἡμέραι. καὶ συνέβαινε τοῖς ἄρχουσι, τρεῖς μὴ ἄρχειν. ἕκαςος δὲ ἄρχων ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ καλεῖται* Ἐπιςάτης. Hinc explicandus eſt titulus libri Varroniani. Nam ita inſcriptus eſt, qui continebat imagines clarorum virorum [1], ſimulque eorum elogia, ut colligitur e Lib. I Epiſtolarum Symmachi Epiſt. IV [2]: quia quemadmodum ſingulis Πρυ-

1. Opus genealogicum appellat Jac. Frid. Reimannus in Hiſtoria literaria libror. p. 44, neſcio quo auctore. Nam ſingulos claros viros virtute, rebus geſtis, vel ingenio, ſive Græcos ſive Romanos, illo opere celebraſſe potius Varro, quam familiarum aut genealogiæ rationem habuiſſe videtur. Sic libro primo de imaginibus Homerum poſuerat, teſte Gellio lib. 3, cap. 11. In alio Demetrium, teſte Nonio in *luces*, in aliis alios. Ejuſdem tamen Varronis fuit de familiis Trojanis liber, & de gradibus neceſſitudinum.

2. Primus hanc Symmachi Epiſt. produxit & illuſtravit Lud. Carrio lib. 2 emendatt. cap. 14, quem vide. Symmachi ad Patrem ſcribentis verba ſunt: *Studium quidem Menippei Varronis imitaris, ſed vincis ingenium. Nam quæ in noſtrates viros nunc nuper condis epigrammata, puto hebdomadon elogiis prænitere, quod hæc æque ſobria, nec tamen caſta ſunt. Illa bono metallo cauſa torno exigi neſcierunt: & duriorem materiam, niſi fallor, anniteris. Ille Pythagoram, qui animas in æternitatem primus aſſeruit; ille Platonem, qui Deos eſſe perſuaſit; ille Ariſtotelem, qui naturam bene loquendi in artem redegit; ille pauperem Curium, ſed divitibus imperantem; ille ſeveros Catones, gentem Fabiam, decora Scipionum, totumque illum triumphalem Senatum parca laude perſtrinxit. Tu ruinam proximæ ætatis illuminas.*

ταυείας hebdomadibus regnabant οἱ Ἐπιςάται vicem & *ἐφημερίαν* ſuam; ita & in his Varronis *hebdomadibus* aſſignatus erat cuique clarorum virorum quaſi regni dies in ſua ipſius imagine & elogio. Hactenus Sam. Petitus.

De proprietate ſcriptorum. Nonius, in *liquidum.*

Theatrales ſive *de actionibus ſcenicis libri*, quorum *tertium* memorat Priſcianus, *quintum* Chariſius.

De ſcenicis originibus libri, quorum *tertium* Nonius & Chariſius laudant. Librum primum laudat Cenſorinus cap. 17,

De Poëtis libri, quorum *primus* a Gellio citatur & Priſciano. Confer Jonſium p. 214 de ſcriptoribus Hiſt. Philoſophicæ.

Libri de poëmatis, quorum *ſecundus* allegatur a Chariſio. *Poëticum* Varronis librum laudat Diomedes.

De Plautinis Comœdiis liber. Gell. III, 3.

Libri de Plautinis quæſtionibus, quorum *ſecundum* allegat Nonius.

Epiſtolicarum quæſtionum libri, quorum *octavus* a Chariſio citatur. Epiſtolicarum quæſtionum libros laudat etiam Servius in 1 Georgic.

Epiſtolæ, ad C. Cæſarem, Fabium, M. Sulpicium Fuſium, Neronem, Marullium, Ser. Sulpicium, Varronem, Oppianum &c.

De Bibliothecis librum ſecundum citat Chariſius.

Liber de Vita ſua, id.

Complexionum librum ſextum citat Diomedes.

Ad Libonem librum I memorat Macrobius II, 14 Saturn.

Libros Navales laudant Jo. Sarisberiensis II, 1 Policratici, & Vegetius, qui pleraque ex illis transtulit in librum ultimum suum de re militari, & nominatim eos laudat lib. V, cap. 11. His videntur respondere *litoralia* Varronis, citata a Solino cap. 11; Servio *de ora maritima.* Vide Salmas. p. 172 edit. Paris. *Tubero Varronis*, *de origine humana* laudatur a Censorino cap. 9; & falluntur, qui *de origine Romana* legunt.

Annales libri, quorum *tertium* Charisius commemorat.

Belli Punici secundi librum *secundum* citat Priscianus.

Liber de familiis Trojanis. Servius etiam *de gradibus* necessitudinum scripsisse Varronem testatur.

Rhetoricorum libri, quorum *vicesimum* Nonius laudat.

Περὶ χαρακτήρων librum *tertium*, Charisius.

Libri de lingua latina ad Marcellum, quorum septimus laudatur a Rufino de metris Terentianis: & *libri de similitudine verborum*, quorum *secundum* citat Priscianus, fortassis partes fuere *librorum XXIV de Latina lingua*, de quibus supra.

De utilitate sermonis librum *quartum* allegat Charisius.

De compositione Satyrarum. Nonius in *Parectati.*

TITULI LIBRORUM LOGISTORICORUM ET SATYRARUM [1] VARRONIS

quarum pleræque *Menippeæ*, h. e. prosa Menippi Cynici exemplo, carminis vario genere distincta atque expolita, scriptæ erant, unde Varro *Menippeus* Athenæo dictus & Tertulliano, Arnobio ac Symmacho *Cynicus Romanus*. Vide Probum in Eclogam VI Virgilii, & Josiam Mercerum pag. 207 ad Nonium.

ABORIGINES περὶ ἀνθρώπων φύσεως.
De admirandis. infra, *Gallus Fundanius*.
Agatho.
Age modo.
'Αεὶ Διβύη vel περὶ αἱρέσεων.
Ajax stramentitius.
Περὶ αἱρέσεων, supra, ἀεὶ Διβύη.
Ἄλλος οὗτος ἡρακλῆς.
Ἄμμον μετρεῖς, περὶ φιλαργυρίας.
Andabatæ.
Περὶ ἀνθρώπων φύσεως. supra, *Aborigines*.
Anthropopolis, περὶ γενεθλιακῆς.
Περὶ ἀρχῆς. infra, *Marcopolis*.
Περὶ ἀρχαιρεσιῶν infra, *Serranus*.
Περὶ ἀρετῆς κτήσεος. infra, *Trihodites*.
Περὶ ἀφροδισίων. infra, *Vinalia*.
Armorum judicium.
Περὶ ἀῤῥενότητος. infra, *Triphallus*.

1. De Satyris Varronis adeundus Is. Casaub. lib. 2. de Satyr. poesi c. 2.

Atticus (leg. *Articulus*) de numeris, Logiſtoricus liber.

Autumedus. infra, *Mæonius.*

Bajæ.

Bimarcus, περὶ τρόπου.

Βοῦς περὶ τάφων. infra, in ἐπιτάφιον.

Pro *Cæi* lib. II apud Nonium in Carra lege; Ἀεὶ Διβύη. Scal.

Caprinum prœlium, περὶ ἡδονῆς.

Catamitus.

Cato, ſ. ut vult Mercerus, *Catus.* vel *de liberis educandis.* Logiſtoricus.

Cave canem.

Κενοδοξία, περὶ φθόνου.

Ceria. infra, *Dolium.*

Περὶ κεραυνοῦ.

Chorographia.

Columna Herculis, περὶ δόξης.

Coſmotoryne, περὶ φθορᾶς κόσμου.

Cras credo, hodie nihil.

Cygnus, περὶ ταφῆς.

Cynicus.

Cynodidaſcalus.

Cynorhetor.

Deſultorius, περὶ τρυφῆς.

Περὶ διαθηκῶν. infra, *Teſtamentum.*

Δὶς παῖδες οἱ γέροντες.

Dolium, aut *Ceria.*

Περὶ δόξης. ſupra, *Columna Herculis.*

Περὶ ἐδεσμάτων.

Περὶ ἐμμονῆς. infra, *Synephebus.*

Περὶ ἐγκωμίων. infra, *Papiapapæ.*

Endymiones.

Περὶ ἐξαγωγῆς.

Ephebus, vel *Synephebus*, περὶ ἐμμονῆς.

Περὶ ἐπαρχιῶν. infra, *Flaxtabulæ.*

Ephemeris navalis.

Ἐπιτάφιον ἢ βοῦς περὶ τάφων.

Τὸ ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον, περὶ εὐτελείας.

Erratio.

Est modus matulæ, περὶ μέθης.

Eumenides. interdum male ſcribitur *Eudamones.*

Εὗρεν ἡ λοπὰς τὸ πῶμα, περὶ γεγαμηκότων καθηκόντων.

Περὶ εὐτελείας. ſupra, τὸ ἐπὶ φακῇ μύρον.

Ἔχω σὲ, περὶ τύχης.

Ἕως ποτὲ, περὶ ὡρῶν.

Exdemetricus.

Flextabulæ, (al. *Flexibula*) περὶ ἐπαρχιῶν.

De Fortuna. infra, *Marius.*

Gallus Fundanius, *de admirandis.*

Περὶ γεγαμηκότων. ſupra, εὗρεν ἡ λοπὰς τὸ πῶμα.

Gemini.

Gerontodidaſcalus.

Gloria, vel *Inglorius*, περὶ φθόνου. ſupra, κενοδοξία.

Γνῶθι σεαυτόν.

Περὶ τρυφῆς. ſupra, *Deſultorius.*

Hecatombe, περὶ θυσιῶν.

Περὶ ἡδονῆς. ſupra, *Caprinum prœlium.*

Hercules tuam fidem.

Hercules Socraticus.

De Hiſtoria. infra, *Siſenna.*

Item Attii quod Titii.
De indigitamentis. infra, *Pransus paratus.*
Inglorius. vide *Gloria.*
De insania. infra, *Orestes.*
Ἱπποσύνη. (al. *Hippocyon.*)
Judex. infra, *Pappus.*
Laterensis. Logistoricus.
Lex Mænia.
De liberis educandis. supra, *Cato.*
Logomachia.
Longe fugit, qui suos fugit.
Mæonius Autumedus.
Magnum talentum.
Manius.
Marcipor.
Marcopolis, [1] vel μαργόπολις περὶ ἀρχῆς.
De officio mariti.
Marius, de fortuna. Logistoricus.
Meleagri sive *Meleager.*
Mensurales.
Messala, de valetudine, Logistoricus.
Περὶ μέθης. supra, *Est modus matulæ.*
Modius.
De Moribus, Logistoricus.
Mutuum muli scabunt, περὶ ψωρισμοῦ.
Mystagogi.
Mysteria.
De natura rerum, Logistoricus.

1. Pro *Marcopoli* Hadrianus Junius VI, 9 animadvers. legit μαργόπολις; quasi luxuriosam civitatem dicas, Romam.

Nepos, Logiſtoricus.
Neſcis, quid veſper ſerus vehat.
De numeris, ſupra *Articulus.*
De numiſmatis. vide mox *Octogeſis.*
Octogeſis, περὶ νομισμάτων.
Oedipothyeſtes.
Ὄνος λύρας.
Oreſtes, de inſania. Logiſtoricus.
De origine humana. infra, *Tubero.*
Περὶ ὡρῶν. ſupra, ἕως ποτέ.
Papiapapæ, περὶ ἐγκωμίων.
Pappus vel *Judex.*
Pappus, de indigitamentis. Logiſtoricus.
Parmeno.
Τοῦ πατρὸς τὸ παιδίον, περὶ παιδοποιΐας.
Περὶ φθόνου. ſupra, Κενοδοξία & *Gloria.*
Περὶ φιλαγυρίας. ſupra, Ἄμμον μετρεῖς.
Περὶ φιλονεικίας. infra, *Væ victis.*
Περὶ φιλοφθονίας. infra, *Teſtamentum.*
Περὶ φθορᾶς κόσμου. ſupra, *Coſmotoryne.*
Pius, de pace. Logiſtoricus.
Plutorine.
Περὶ πλούτου. niſi leg. Περίπλου 1 & 2. περὶ φιλοσοφίας ap. Nonium.
Polyandrion.
Prætoriana.
Pranſus paratus, de indigitamentis.
Prometheus lib. 1, 2, & lib. 15, allegatur a Nonio in *evireſcat.*
Prometheus liberatus.
Pſeudonea.

Pseudolus Apollo, περὶ θεῶν ἀπαντήσεως.
Περὶ φωρισμοῦ. supra, *Mutuum muli scabunt.*
Quinquatrus.
Salaria.
Sardi venales.
Scaurus, Logistoricus liber.
Sciamachia, περὶ τύφου.
De Sectis; ex Nonio, & Prisciano.
Sera parecte.
Serranus, περὶ ἀρχαιρεσιῶν.
Sesquiulysses.
Sexagesis.
Sisenna de Historia. Logistoricus.
Synistor.
Synephebus, περὶ ἐμμονῆς.
Tanaquil.
Ταφὴ Μενίππου.
Περὶ ταφῆς. supra, *Cygnus.*
Testamentum, περὶ διαθήκων, περὶ φιλοφθονίας.
Περὶ θεῶν ἀπαντήσεως. supra, *Pseudolus Apollo.*
Tithonus, περὶ γήρως.
Tricipitina.
Trihodites, *Tripylius*, περὶ ἀρετῆς κτήσεως (al. καὶ φύσεως.)
Tripallus sive *Triphallus*, περὶ ἀῤῥενότητος.
Tubero, sive *de origine humana*, (al. *Romana*, male.) Logistoricus.
Περὶ τύφου. supra, σκιαμαχία.
Περὶ θυσιῶν. supra, *Hecatombe.*
Περὶ τύχης, supra, Ἔχω σέ.
Væ victis, περὶ φιλονεικίας.

De Valetudine. supra, *Messala.*

Vinalia, περὶ ἀφροδισίων.

Virgula divina.

Ὑδροκρύων. sive ut clarissimus Falsterus ad Gellii XIX, 30 legit, ὑδροκύων.

Casp. Barthius XV, 19 Adversar. in MSto Codice, nescio quo, ait se has reperisse Varronis sententias:

M. Varro dixit: Ficte referas gratias invite danti. Vix datum, ne beneficium putes, sed prædam. Semel dedit, qui rogatus; bis, qui non.

Extorquere est plus, quam semel rogare.

Turpissimum est in mendaciis confidere. Pulcherrimum est fœnore datam gratiam reddere.

Vis experiri amicum? calamitosus fias.

Non refert quis, sed quid dicam.

Nemo suum putet, quod extra ipsum est.

Excellentissimum est docendi genus exemplorum subditio.

Studia tantum intermittantur, ne obmittantur. Gaudent varietate Musæ, non otio.

Nil magnificum docebit, qui a se nihil dedicit.

Non essemus pauperes, si ignorare nos pateremur quid esset paupertas. Optimus est ad summas divitias progressus, ignoscere se paupertati. Non est miser, nisi qui sic se esse putat.

Nusquam perveniet, qui quot videt, sequitur calles.

Imperitiæ signum est, quod difficillimum est, exigere cito fieri.

Nulla jactura gravior est scienti, quam temporum.

Viatores non vadunt, ut eant: sic vita non sui causa sit, sed ut in ea praclarum aliquid fiat.

Contemnendi sunt ineruditorum contemtus.

Si vis ad summum progredi, ab infimo ordire.

Multi laudem amittunt, quam ipsi de se dicunt.

Suetonius de illustribus Grammaticis c. 23 de Rhemmio Palæmone: *Arrogantia fuit tanta, ut Marcum Varronem porcum appellaret.* Caspar Barlæus epistola ad Joachimum Vicofortium: *Palemon Grammairien fort satirique appelloit le docte Varron le pourceau de lettres, parce qu'il ramassoit de toutes parts beaucoup des choses sans choix & sans jugement.* Dubito, an hæc fuerit Rhemmii sententia. Nec enim porcorum est colligere, sed rimari ac tentare rostro.

Alii Varrones.

Argonauticorum libri IV fuere alterius eodem tempore celebris *P. Terentii Varronis*, a patria, Galliæ Narbonensis vico Atace, dicti *Atacini*, [1] ut observatum præter alios Gyraldo, dialogo IV de poetis pag. 202, & Vossio lib. I de Hist. Latinis c. 16. Idem Atacinus *bellum Sequanicum* carmine Heroico descripserat aliquot libris, quorum *secundus* allegatur a Prisciano lib. X, p. 877. Alii Varrones complures videantur apud Glandorpium in gentibus Ælia, Cingonia, Rubria, Terentia, Vibidia & Visellia.

1. Varronem Atacinum agentem annum 35 ætatis Græcas literas didicisse, scribit Hieronymus, & ex eo Prosper in Chronico.

INDEX EDITIONUM M. TER. VARRONIS

AUCTIOR FABRICIANO ET HARLESIANO

ET IN II ÆTATES DIGESTUS.

ÆTAS I *NATALIS* 1471 — 1536.

Reviviſcere coepit Varro opera *Pomponii Læti* († Romæ 21 Maji 1497.) ſive Romæ primum, ſive Venetiis; repetitus dein Venetiis 1474, & tum Romæ 1475; poſt altus eſt ſtudio Franc. *Rhollandelli*, qui in ed. Parmenſi laudatur. Parmenſis filiæ habentur Brixienſis 1483, & Veneta duplex, altera 1483, altera 1498. In his fere junctus fuit duobus Grammaticis veteribus, Nonio Marcello & Pompejo Feſto. — An. autem 1492 cum Venetiis poſthumum *N. Perotti* († 1480) opus, quod inſcribitur *Cornu copiæ*, primum prodiiſſet cura Pyrrhi Perotti ex fratre nepotis, huic illi conjungi fere cœpere, ita ut quiſque ſuo titulo gaudens etiam ab illo disjungi poſſet. Varro autem cum Feſto, & maxime Nonio cum caſtigationibus *Mich. Bentini* vett. Codd. uſi & hoc uno labore cogniti, ab an. 1492 repetitus eſt 1498 Venetiis, & ad calcem Perottiani operis ex offic. Aldi 1499, 1513 & 1514, 1527, Mediolani 1500 & 1510, cui poſteriori etiam corrector adfuit *Jo. Bapt. Pius*, Baſileæ 1518, 1521, 1526, 1536, Pariſiis 1519, 1528 & 1530, Tuſculani 1522, & Lugduni 1535; in quibus omnibus regnavit poſt Pomponium & Rhollandellum *Mich. Bentinus*, ab Aldo 1527 denuo commendatus.

ſ. a. & l. 4. (circa annum 1472. *Venetiis*, ap. Nic. Jenſonum) *Editio* vulgo *princeps*, curante *Pomponio Læto*. P. M. Terentii Varronis libri de lingua Latina. —

Ita Cat. de la Bibl. du R. bell. Lettr. T. I, pag. 35. Harlesius vero excitans Hambergeri Z. N. T. I, pag. 414, & Laire Specimen &c. pag. 290, haud dicit Venetiis apud N. Jenson circa 1472 prodiisse. Sed Mediolani 1471 fol. prodierat *Festus*, cujus exemplum fuit in bibl. Cl. du Boze, unde suam Festi edit. Nic. Jenson Gallicus fecit Venet. 1472 fol. *Nonium Marcellum* dein an. 1471 fol. sine indice loci & typographi primum prodiisse refert Fabricius bibl. Lat. L. IV, c. IV Sect. II ed. Ernest. vol. III, p. 335; unde nescio an colligere licet, Nonium Festo conjunctum fuisse, atque sic memoria loci excidisse, qui in ed. principe Festi dicitur *Mediolanum*. Quidni & tum tertius comes fuerit Festi & Nonii Varro, quem quidem cum Eutropio & Paulo Diacono Romæ an. 1471 jam excusum fuisse docet nos vir quidam literatissimus, ut adeo Romana hæc prior jure *princeps* sit dicenda.

1474 *Venetiis*, fol. M. Terentii Varronis de lingua Latina ac verborum origine libri qui supersunt, Venetiis, per Johannem de Colonia & Joh. Manthem de Gerretzen a. CIↃCCCCLXXIV. — Vid. Maittarius Ann. typ. T. I, pag. 109, 174. & Bure bibliogr. instruct. T. I, pag. 36, qui hanc editionem uberius describit, & principem esse censet. Habet in capite epistolam Pomponii ad Platinam, (quare ex superiore ducta videtur) & ad calcem hæc leguntur: *Finis ejus, quod invenitur M. Varronis. Parce, qui legeris, si aliqua minus polita inveneris. Nam ita ex omni parte, sive seculum fecerit, sive librarius, volumen quodvis corruptum erat, ut necesse fuerit aucupari hinc inde sententias. Ideo sine robore* (rubore) *veniam dabis, & errori manum inponas. Pomponius tuus orat. vale.* Ex hac ed. aut priore descriptus fuerit Cod. MS. seculi XVI chartaceus, qui est in Bibl. Lipsiensis senatus, & eandem habet subscriptionem. Vid. Jo. Alb. Fabricii Bibl. Lat. a Jo. Aug. Ernesti auctius editam T. I, pag. 122. In præfatione Pomponius de sua ed. ait: *Eos* (Varronis libros) — *legi summa cura ac diligentia. Ubi librarii literas mutaverant, correxi: in his, quae inscitia penitus corrupit, non ausus sum manum imponere: ne forte magis depravarem.*

1475 *Romæ*, fol. M. T. Varro de lingua Latina, edente Pomponio Læto: Nonius Marcellus de proprietate sermonis, & Pompejus Festus de collectaneis priscorum verborum. — Vid. Laire Specim. &c. pag. 227. & cl. Harlesii Introduct. &c. P. II, pag. 170.

1480 *Parmæ*, fol. cum Nonio & Festo, curante Pomponio Læto. In fine Varronis legitur: *Si quispiam tertio loco fragmentis Varronis tantum addiderit, quantum Pomponius primo: deinde Franciscus Rhollandellus secundo suo uterque studio ac diligentia contulit, nimirum M. Varro reviviscet. Impressum Parmæ* CIↃCCCCLXXX, *tertio Idus Decembris.* — Insunt Varronis tres libri ad Ciceronem de L. L. tunc sequitur M. Ter. Varronis Analogiæ liber primus, quæ dicantur, cur non sit Analogia, dein Analogiæ liber quintus, ab aliis inscriptus, primus & secundus lib. qui in aliis exemplis interdum conficiunt tres libros de Analogia, & ab aliis habentur libri VII, VIII & IX de lingua Latina. Vid. Gœtzii Mem. Bibl. Dresd. Vol. I, pag. 459, & Harlesium l. l. T. I, pag. 51.

Eodem anno ibidem fol. Nonius Marcellus & Festus Pompejus emendati prodiere.

1483 *Brixiæ*, fol. Grammatici veteres latini, Nonius, Festus. Varro de L. L. Incipit epistola Pomponii ad Platinam, quam excipit Index per ordinem literarum. Hunc sequitur M. Ter. Varronis de lingua Latina. In calce adhæret eadem subscriptio, quam offert ed. Parmensis a. 1480, additis his: *Impressum Brixiæ per Boninum de boniniis de Ragusia & Miniatum Delsera florentinum socios anno christi M. CCCC. LXXXIII. die XVI Jun.* — Videtur repetitio ed. Parmensis. Vid. Gœtzii Mem. Bibl. Dresd. Vol. I, pag. 459. Exemplum ejus servat etiam Bibl. academica Erlangensis, teste Harlesio; fuitque in bibl. J. Aug. Ernesti, Lipf. 1782 publice divendita p. 170 n. 2537.

——— *Venetiis*, fol. cum Nonio & Festo. In fine: *Impressum Venetiis per octavianum scotum Modœtiensem. MCCCCLXXXIII quarto nonas septembris.* Repetita, ut videtur, ex Brixiensi. vid. Catalogue raisonné de la Collection de livres de Pierre Antoine Crevenna. T. III, pag. 24 sq.

1492 *Venetiis*, fol. cum Nonio & Festo & *Bentini* ad Var-

ronem & Nonium castigationibus ad calcem Cornu copiae *Nic. Perotti* († 1480); quod hoc anno primum edi cœpit a *Pyrrho Perotto*, nepote illius ex fratre; cf. infra ad Venetam Aldi 1527, quæ ex Harlesio mutuamur; & Fabricii Bibl. med. & inf. latin. Vol. V sub voce *Nicolaus Perottus* p. 376. Cornu copiae istud repetitum est Venetiis an. 1494 & 1496; cf. Fabricius l. c. nescimus an cum iisdem auctt.

1498 *Venetiis*, fol. Nonius Marcellus, Festus Pompejus, Varro. — In fine: *Impressum Venetiis per magistrum Antonium de Gusago Brixiensem. Anno domini* CIƆCCCCLXXXXVIII, *die* XII *Februarii.* — Rarissima hæc ed. exstat in Bibl. civica Ratisbonensi; vid. Car. Theod. Gemeiners Nachrichten &c. pag. 258, n. 254. Memoratur etiam in Bibl. Bodlej. T. II, pag. 622. Nullam habet præfationem: unde incertum est, quis eam curaverit.

1499 *Venetiis*, fol. in *Nic. Perotti* Cornu copiæ s. linguæ Latinæ Commentariis &c. Venetiis, *in adibus Aldi, mense Julio* 1499. vid. Catalogue raisonné de la Collection de livres de P. A. Crevenna T. III, pag. 27.

1500 *Mediolani*, fol. Nonius Marcellus, Festus Pompejus, *Varro*. Exstabat in Biblioth. J. P. de Ludewig, teste Catalogo P. IV, p. 12011. cum Erasmi autographo in margine. Sed eodem anno ibid. Perotti Cornu copiae prodiit. cf. Fabricius Bibl. med. & inf. lat. l. c.

1504 *Veneta*, fol. Perotti.

1510 *Mediolani*, fol. Nonius Marcellus. Festus Pompejus. *Varro*. In fine: *Impressum Mediolani per Magistrum Leonardum Pachel a. dom. 1510 d. XXI April.* — Curavit hanc editionem, Maittario ignotam, *Jo. Bapt. Pius*, & scriptores hosce accurate a se correctos esse dixit. Varronis libri de Analogia hic nominantur primus & secundus. cf. Gœtze Mem. bibl. Dresd. Vol. I, pag. 459. vid. Harlef. l. l. pag. 52.

1513 *Venetiis*, fol. Nic. Perotti Cornu copiæ, sive linguæ Latinæ commentarii. Index copiosissimus dictionum omnium. Sypontini (Nic. Perotti) libellus, quo Plinii epistola ad Titum Vespasianum corrigitur. Cornelii Vitellii in eum ipsum libellum Sypontini Annotationes. *M. Terentii Varronis de Lingua Latina libri VI. Ejusdem de Analogia libri tres.* Sexti Pompeji

Festi undeviginti librorum fragmenta. Nonii Marcelli Compendia. *Venetiis, in aedibus Aldi & Andreae Soceri, 1513 mense Novembri.* vid. Catalogue raisonné &c. de P. A. Crevenna T. III, pag. 27. cf. Cat. bibl. J. Aug. Ernesti divenditae 1782. p. 170, n. 2535.

1514 *Venetiis* ap. *Aldum.* fol. min. Opera Varronis cum Festo & Nonio, Funccius de virili aetate L. L. Marburgi 1727, cap. V, § VIII, p. 311, itidem ad calcem Perotti cornu copiae edita dicit.

1518 *Basileae*, fol. ad calcem Cornu copiae Perotti.

1519 *Parisiis*, fol.

1521 *Basileae*, fol. ap. Cratandrum. M. Ter. Varro de L. L. citatur a cl. Harlesio ex Bibl. Bodlej. II, pag. 622. Sed & hoc anno Nic. Perotti Cornu copiae ibid. prodiit, ad quod accesserunt 1) ejusdem libellus in Plinii ep. ad T. Vespas. 2) Corn. Vitellii in hunc lib. annott. 3) *M. Ter. Varronis* de L. L. Comm. 4) S. Pomp. Fest. undeviginti libr. fragm. 5) Nonii Marcelli Comm. cf. J. N. Funccii Bibl. Acad. Rintel. cl. Philol. fol. N. p. 44 sq.

1522 *Tusculani*, 4. M. Ter. Varro de L. L. de Analogia. in Catal. Bibl. Thuanae P. II, p. 223. recus. Hamburg. s. Lauenb. ubi & Pomp. Festus, & Nonius Marcellus, Perotti Cornu copiae ibid. eod. 4 excusi memorantur.

1526 *Basileae*, fol. Nic. Perotti Cornu copiae s. L. L. Commentarii; *M. Terent. Varronis* de L. L. libri III, & totidem de Analogia: Sext. Pomp. Festi librorum XIX fragmenta: Non. Marcelli compendiosae doctrinae ad fil. aliaque. Sic est in Catal. Bibl. Ludewig. P. IV, n. 12012.

1527 *Venetiis*, fol. In hoc volumine habentur haec: Cornu copiae sive L. L. Commentarii diligentissime recogniti, atque ex archetypo emendati. Index copiosissimus dictionum omnium, quae in hisce Sypontini commentariis, libris de L. L. & de Analogia M. Ter. Varronis: undeviginti librorum fragmentis Sex. Pompeji Festi: in compendiis Nonii Marcelli de proprietate sermonum continentur: sic enim hoc indice omnia comprehensa sunt, ut, quaecunque quaerantur dictiones, historiae, fabulae, instituta, inventores rerum, mores, proverbia, remedia

morborum inveniri facillime possint. Quin etiam ad studiosorum usum singulæ columnæ arithmeticis numeris distinctæ, ut, ubicunque C inveneris, columnam signare intelligas: ubi reliquos numeros, versus. Græcas etiam dictiones longe plurimas hoc elencho collegimus. — Ejusdem Sypontini libellus, quo Plynii epistola ad Titum Vespasianum corrigitur. — Cornelii Vitellii in eum ipsum Sypontini libellum annotationes. — M. Terentii Varronis de L. L. libri tres. Quartus, quintus, sextus. — Ejusdem de Analogia libri tres. — Sexti Pompeji Festi undeviginti librorum fragmenta. — Nonii Marcelli Compendia, in quibus tertia fere pars addita est; non ante impressa, idque labore & diligentia *Jucundi* nostri Veronensis: qui in Gallia Nonium cum antiquis contulit exemplaribus. Addita præter ea est longa dissertatio de generibus. Huc accedunt castigationes in hunc ipsum Nonium non contemnendæ, obiterque in Varronem & Festum ex veterum codicum fide Michaelis Bentini opera. In fine: *Venetiis in ædibus Aldi & Andreæ Asulani soceri, mense Martio MDXXVII.* — Aldus Manutius huic editioni præfatus, inter alia, *Habes*, inquit, *nunc lector amice diligenter, ac miro ordine typis nostris excusum Perotti Sypontini Pontificis cornu copiæ, in quo si quid vel a nobis, vel ab ipso auctore erratum fuerit, ignoscendum est nobis; ob eas ipsas, quas supradiximus, rationes: auctori, quia non ipse, sed Pyrrhus ex fratre nepos hunc librum ediderit. Morte enim præventus recognoscere non potuit has suas perdoctas & laboriosas lucubrationes. — quare & ipse de suis hisce Latinæ linguæ commentariis jure dicere moriens potuisset: Emendaturus, si licuisset*, &c. Hanc Aldi præfationem excipit Pyrrhi Perotti in Cornu copiæ sive commentarios L. L. ad illustrem Principem Federicum ducem & ecclesiastici exercitus imperatorem invictissimum, Procemium. vid. Harlef. l. l. pag. 49 sq.

1528 *Parisiis*, 8. cum *Bentini* castigatt.

1529 *Parisiis*, 8. apud Sim. Colinæum, ex castigatione *Mich. Bentini.*

1530 *Parisiis*, 8. M. Ter. Varronis de lingua Latina libri tres, & totidem de Analogia; adjectis castigationi-

bus *Mich. Bentini*: acceffit M. Porcii Catonis originum liber unus. Parifiis, in coll. Sorbonæ. — Memoratur Hambergero in zuverlæffigen Nachrichten &c. T. I, pag. 415 ex Cat. Bibl. Reg. Parif. T. I, pag. 35.

1535 *Lugduni*, 8. Varronis libri cum *Bentini* caftigg. adjunctis Pfeudo-Catonis Originibus.

1536 *Bafileæ*, 8. M. Ter. Varronis de L. L. libri III, totidemque de Analogia c. Mich. *Bentini* caftigatt.

——— *ibid.* per Jo. Walderum, fol. Nic. Perotti cornu copiæ L. L. feu Commentarius in Martialem. accedunt Terentius Varro de L. L. Pompejus Feftus & Nonius Marcellus. Per Jo. Walderum.

ÆTAS II *CRITICA* 1557 — 1601 — 1619 — 1772.

Cujus princeps eft Antonius *Auguftinus* Ictus, idemque fofpes Varronis, in editione Romana 1557. Excepere eum *Vertranius Maurus*, Gryphianæ 1563 curator, & Jofephus *Scaliger*, Auguftini lectionem fecutus, & annotationum, quibus Parifina Rob. Stephani 1565 præftat, fcriptor. Anno poft *Adriani Turnebi* emendd. & comm. prodiere pofthumi; hinc Henr. *Stephanus* curas Auguftini, Turnebi, Scaligeri, Appendice auctas in edd. Operum Varronis I & II an. 1569 & 1573, & III, 1581, iterum 1585 Parifiis recufa; ipfe quoque Henr. Stephanus 1591 Appendicem ad affertiones analogiæ fermonis Lat. M. T. Varronis edidit. Fragmenta ejufdem collegerunt 1564 R. & H. *Stephani*, inprimis Satyrarum Aufonius Popma 1589; Fragm. hiftorica, quæ fecutus eft Livius, 1568 Ant. *Riccobonus*, repetita 1579 Bafileæ. Novam poft illos Varronis curatores operam ei adhibuere *Dion. Gothofredus* in collectione Auctorum Lat. Linguæ edita Genevæ 1595, repetita 1602 & 1622, *Aufonius Popma*, qui Plantino-Raphelengianam 1601 recenfuit, notifque fuis & conjectaneis ditavit, & Cafp. *Scioppius*, ed. Varronis Ingolftadinæ 1605 curator. Præftantior eft Dordracena operum 1619 quæ reddit Steph. III cum fragmentis, & Amftelodami 1623 repetita. Ab eo tempore nemo curam impendit Varroni, ufque ad an. 1772, quo in

Ant. Augustini Opp. Luccæ editis repetita est ejus editio Varronis de L. L. Quid ex hac studii Varroniani intermissione colligi possit, nostrum non est dicere; sed certe hoc gratior sit opera nostra, quam in Varrone nostro quam curatissime edendo posuimus.

1557 *Romæ*, 8. M. Ter. Varronis pars librorum quatuor & viginti de lingua Latina. Ex bibliotheca *Antonii Augustini*. Romæ, apud Vincentium Luchinum. cum Indicibus. — Augustinus, Archiepiscopus Tarraconensis, ab Adr. Turnebo lib. XXIII Adversariorum cap. 17 dicitur Varronis vindex, assertor, patronusque unicus, immo vero ejus potius Æsculapius. Ex antiquis codicibus, præcipue ex Achillis Maffei libro, atque ex conjecturis virorum doctorum, quorum nomina pag. 1 ponit, & in contextu & in notis lucem accendit permultis locis dubiis obscurisque. Rarum hoc exemplar copiosius describit Freytag in Apparatu lit. T. III, pag. 48 sq. paucis indicat Bure in Bibl. instr. I, pag. 38. vid. Harlesium l. l. P. II, pag. 172.

1563 *Lugduni*, Gryphiana 8. M. Ter. Varronis pars librorum quatuor & viginti de lingua Latina. *M. Vertranius Maurus* recensuit. Additis Indicibus fidissimis & amplissimis. Lugduni, apud heredes Seb. Gryphii. — Maurus ICtus Galliæ doctus, in epistola ad Penam dedicatoria, se profitetur Varronem ad codices MStos Florentinos & Romanos contulisse, cum Italiam peragraret. Notæ ejus laudantur. vid. Freytag l. m. pag. 49 sq. Exemplum hujus ed. cum multis emendd. & rarioribus notis MSS. Lucæ Fruterii Brugensis suum habuisse testatur Th. Crenius in animadv. philol. & hist. P. III, c. I, § III, p. 11 sq.

——— ibid. *Marci Vertranii Mauri* libellus de Vita Varronis. Deque notis ad ejus libros de L. L.

1564 8. Fragmenta Varronis collecta a Roberto & Henrico Stephanis, exstant in Fragmentis poetarum, p. 305 - 364.

1565 *Parisiis* ap. Rob. Stephanum, 8. M. Ter. Varro de L. L. cum *Jos. Scaligeri* conjectaneis. — Præclara sunt Scaligeri in Varronem conjectanea: in quibus cum in originibus verborum frequenter falli observat vir doctissimus. Parum autem credibile vide-

tur & iniquum, quod Latinius Tom. II Epist. pag. 121: *Vidi Josephi Scaligeri in M. Varronem de lingua Latina annotationum libellum, quas, ut prudenter Pater Octavius existimat, Julius Cæsar pater adornarat, & fortasse non dignas suo nomine judicarat.* Hæc editio ter repetita est cum libris Varronis de R. R. Discernuntur etiam hac nota, quod in prima versus, Trabeæ nomine Scaligero missi a Mureto, struente insidias viri ingenio, pro genuinis, i. e. ipsius Trabeæ, afferuntur & laudantur: dein omissi sunt, fraude cognita. Fraudem quidem illam quomodo ultus sit, satis constat, suntque noti versiculi, qui etiam ap. Erythræum in Pinacoth. reperiuntur.

1566 *Paris.* ap. Buon. 8. *Adriani Turnebi* Emendd. & Commentarii in libros M. Ter. Varronis de L. L. posthumi editi sunt a filio Odone Turnebo. cf. Catal. bibl. Thuanæ.

——— *Francof.* ap. Christi. Wechelum. 8. cum Adr. Turnebi emendd. & comm. postumis; cf. Funccius de virili ætate L. L. cap. V, § VIII, p. 312.

1568 *Venetiis*, 8. Varronis fragmenta historica, quæ secutus est Livius, collegit Antonius Riccobonus ad calcem libri de historia.

1569 s. n. l. H. Stephani I, 8. M. Ter. Varronis opera, quæ supersunt. In lib. de L. L. conjectanea *Josephi Scaligeri* recognita & appendice aucta. In libros de R. R. notæ ejusdem Jos. Scal. non antea editæ. His adjuncti fuerunt *Adr. Turnebi* comment. in lib. de L. L. cum emendationibus *Ant. Augustini.* item P. Victorii castigationes in lib. de R. R. Excud. Henr. Stephanus.

1573 s. l. H. Stephani II, 8. inter Varronis opera ab Henr. *Stephano* excusa, cum notis Scaligeri, Turnebi, & Ant. Augustini.

1579 *Basileæ*, 8. Varronis fragmenta historica.

1581 *Paris.* ap. H. Stephan. III, 8. M. Ter. Varronis opera quæ supersunt. In lib. de ling. Lat. conjectanea *Josephi Scaligeri.* In lib. de R. R. notæ ejusdem. Alia in eundem scriptorem, trium aliorum, Turnebi, Victorii, Augustini. Editio tertia, recognita & aucta. — Textus ex Romana (Augustini) expressus est, ut typographus profitetur.

1585 *Parif.* 8. Eadem recufa. v. Cat. bibl. Schwarzianæ Altorfii. P. I, p. 114.

——— *Genevæ*, 4. D. Gothofredi I. Auctores Linguæ Latinæ in unum redacti corpus. Cum mendum in anno subesse vereamur, vide potius ad an. 1595.

1589 f. 1590 *Franeckeræ*, 8. M. Ter. Varronis Satyrarum Menippearum, logiftoricorum, περιπλου φιλοσοφιας, lib. II. Promethei lib. II. de philofophia liber unus, recenfente *Aufonio Popma*, Frifio. Ejufdem Aufonii in eadem conjectanea. Franeckeræ, apud Ægidium Radæum.

1591 *Parif.* 8. *H. Stephani* Appendix ad affertiones analogiæ fermonis Latini M. Ter. Varronis. item Jul. Cæf. Scaligeri de eadem difp. doctiffima. ap. H. Steph.

1595 *Genevæ*, 4. Auctores Latinæ linguæ in unum redacti corpus. M. Ter. Varro de L. L. M. Verrii Flacci fragmenta. Fefti fragmenta a Fulvio Urfino edita. Schedæ Fefti a Pomp. Læto relictæ. Sextus Pomp. Feftus, Paulo Diacono conjunctus. Nonius Marcellus. Fulgentius Placiades. Ifidori Originum libri XX. Ex veteribus grammaticis, qui de proprietate & differentiis fcripferunt, excerpta. Vetus Kalendarium Romanum. De nominibus & prænominibus Romanorum. Notæ *Dionyfii Gothofredi* J. C. ad Varronem, Feftum & Nonium. Variæ lectiones in Fulgentium & Ifidorum. Index generalis in omnes fuperiores auctores. Genevæ, apud Guil. Læmarium. vid. Harlef. l. c. P. I, pag. 54 fq.

1601 f. n. l. Lugd. Bat. 8. M. Ter. Varronis operum quæ exftant nova editio. Edente & recenfente *Aufonio Popma* Frifio. Ejufdem Aufoni in eadem notæ & conjectanea. Ex officina Plantiniana, apud Chriftoph. Raphelengium, Academiæ Lugduno-Bat. typogr.

1602 *S. Gervafii* (fuburbium olim, nunc pars Genevæ) 4. Auctores Latinæ linguæ in unum redacti corpus: quorum auctorum veterum & neotericorum Elenchum fequens pagina docebit. Adjectis notis *Dionyfii Gothofredi* J. C. una cum Indice generali in omnes auctores. S. Gervafii, apud Jac. Chouet. — Præter auctores in titulo ed. 1595 nominatos infunt varii auctores, qui de Notis fcripferunt. Tum nova acceffere huic editioni 1) Liber Gloffarum ex variis gloffariis, quæ

ſub Iſidori nomine circumferuntur, collectus. 2) Excerpta Pithœana ex veteribus gloſſis. 3) Excerpta Differentiarum Bongarſii, regii legati.

1605 *Ingolſtadii*, 8. De L. L. nova editio ex recenſione Gaſp. *Scioppii.*

1619 *Durdrechti*, 8. M. Ter. Varronis opera omnia quæ exſtant, cum notis Joſ. Scaligeri, Adr. Turnebi, Petr. Victorii & Ant. Auguſtini. His accedunt Tabulæ naufragii, ſeu fragmenta ejuſdem auctiora & meliora, additis ad ſingula loca auctorum nominibus, unde hæc petita ſunt. Durdrechti, ex officina Joannis *Berewout.* — Textus expreſſus eſt ex ed. Stephaniana 1581.

1622 *Coloniæ Allobrog.* ſeu *Genevæ*, 4. inter auctores latinæ linguæ in unum corpus redactos.

1623 *Amſtelodami*, 8. ap. Jo. Janſſon repetita eſt ed. Operum Varr. Dordracena 1619.

1628 *Francofurti ad M.* fol. Varronis fragmenta hiſtorica Livio ſubjecta.

1772 *Luccae*, fol. Auguſtini editio repetita in Operibus omnibus Ant. Auguſtini Vol. VII. Primum volumen prodiit an. 1765; VIII & ultimum an. 1774.

M. TERENTII VARRONIS

DE

LINGUA LATINA

LIBRI

QUI SUPERSUNT.

M. TERENTII VARRONIS DE LINGUA LATINA AD M. TULLIUM CICERONEM

LIBER QUARTUS.

QUEMADMODUM vocabula essent imposita rebus in lingua Latina, sex libreis exponere institui. De heis treis ante hunc feci, quos Septimio misi: in quibus est de disciplina, quam vocant ἐτυμολογικήν. Quæ contra eam dicerentur, volumine primo: quæ pro ea, secundo: quæ de ea, tertio. In heis ad te scribam, a quibus rebus vocabula imposita sint in lingua Latina: & ea, quæ sunt in consuetudine apud poetas. Quom uniuscujusque verbi naturæ sint duæ, a qua re & in qua re vocabulum sit impositum: itaque a qua re sit Pertinacia, cum quæritur, ostenditur esse a pertendendo; in qua re sit impositum, dicitur, cum demonstratur, in quo non debet pertendi, & pertendit, Pertinaciam esse: quod in quo oporteat manere, si in eo perstet, Perseverantia sit. Priorem illam partem, ubi, cur, & unde sint verba, scrutantur Græci ᵒ vocant ἐτυμολογίαν; illam alteram, περὶ σημαινομένων, de quibus duabus rebus in

heis libreis promiscue dicam, sed exilius de posteriore. Quæ ideo sunt obscura, quod neque omnis impositio verborum exstat, quod vetustas quasdam delevit: nec quæ exstat, sine mendo omnis imposita: nec quæ recte est imposita, cuncta manet. multa enim verba litereis commutateis sunt interpolata: neque omnis origo est nostræ linguæ e vernaculeis verbeis: & multa verba aliud nunc ostendunt, aliud ante significabant, ut Hostis. nam tum eo verbo dicebant peregrinum, qui sueis legibus uteretur: nunc dicunt eum, quem tum dicebant perduellem. In quo genere verborum, ut casu erit illustrius, unde videri possit origo, inde repetam. Ita fieri oportere apparet; quod recto casu quom dicimus Impos, obscurius est esse a potentia, quam quom dicimus impotem: & eo obscurius fit, si dicas pos, quam impos. videtur enim pos significare potius pontem, quam potentem. Vetustas non pauca depravat, multa tollit. Quem puerum vidisti formosum, nunc vides deformem in senecta. Tertium seculum non videt eum hominem, quem vidit primum. Quare illa, quæ jam majoribus nostreis ademit oblivio fugitiva, secuta sedulitas Mucii & Bruti retrahere nequit. Non si non potuero indagare, eo ero tardior; sed velocior ideo, si quivero. Non mediocreis enim tenebræ in silva, ubi hæc captanda: neque eo, quo pervenire volumus, semitæ tritæ: neque non in tramitibus quædam objecta, quæ euntem retinere possent. Quoniam verborum novorum & veterum discordia omnis in consuetudine communi: quot modeis literarum commutatio sit facta, qui animadverterit,

ſcrutari facilius origines patietur verborum. Reperiet enim eſſe commutata, ut in ſuperioribus libreis oſtendi, maxime propter bis quaternas cauſas. Literarum enim fit demtione, aut additione; & propter earum arctationem, aut commutationem; item ſyllabarum productionem. Quæ quoniam in ſuperioribus libreis, cujuſmodi eſſent, exempleis ſatis demonſtravi; heic commorandum eſſe modo non putavi. Nunc ſingulorum verborum origines expediam. quorum quatuor explicandi gradus. Primus, in quo populus etiam venit. Quis enim non videt, unde ærifodinæ, & viocurrus? Secundus, quo grammatica deſcendit antiqua, quæ oſtendit, quemadmodum quodque poeta verbum confinxerit, quod declinarit. Hinc Pacuvius, rudentiſibilus, hinc incurvicervicum pecus, hinc chlamyde clupeat brachium. Tertius gradus, quo philoſophia aſcendens pervenit: atque ea, quæ in conſuetudine communi eſſent, aperire cœpit, ut a quo dictum eſſet oppidum, vicus, via. Quartus, ubi eſt aditus, & initia regis: quo ſi non perveniam, ſcientiam ad opinionem aucupabor. quod etiam nonnunquam in ſalute noſtra facit, cum ægrotamus, medicus. Quod ſi ſummum gradum non attigero; tamen ſecundum non præteribo. Quod non ſolum ad Ariſtophanis lucernam, ſed etiam ad Cleanthis lucubravi. Nolui præterire eos, qui poetarum modo verba, ut ſint ficta, expediunt. Non enim videbatur conſentaneum quærere me eo in verbo, quod finxiſſet Ennius, cauſam: neglegere, quod ante rex Latinus finxiſſet: cum poeticeis multeis verbeis magis dele-

ĉter, quam utar, antiqueis magis utar, quam deleĉter. An non potius mea verba illa, quæ hereditate a Romulo rege venerunt, quam quæ a poeta Livio relićta? Igitur quoniam hæc ſunt tripartita verba, quæ ſunt aut noſtra, aut aliena, aut oblivia: de noſtreis dicam, cur ſint: de alienis, unde ſint: de oblivieis relinquam, quorum partem cum ita invenerim, ut opinor, ſcribam. In hoc libro dicam de vocabuleis locorum, & quæ in heis ſunt. In ſecundo, de temporum, & quæ in heis fiunt. In tertio, de utraque re a poeteis comprehenſa.

Pythagoras Samius ait, omnium rerum initia eſſe bina: ut finitum & infinitum, bonum & malum, vitam & mortem, diem & noĉtem. Quare item duo: ſtatus & motus. quod ſtat, aut agitatur, corpus: ubi agitatur, locus: dum agitatur, tempus: quod eſt in agitatu, aćtio. Quadripartitio magis ſic apparebit: corpus eſt, ut curſor: locus, ſtadium, qua currit: tempus, hora, qua currit: aćtio, curſio. Quare fit, ut omnia fere ſint quadripartita, & ea æterna: quod neque unquam tempus, quin fuerit motus; (ejus enim intervallum tempus) neque motus, ubi non locus & corpus; (quod alterum eſt, quod movetur; alterum, ubi) neque ubi ſit agitatus, non aćtio ibi. Igitur initiorum quadrigæ, locus, & corpus, tempus, & aćtio. Quare quatuor genera prima rerum, totidem verborum: [horum enim.] De heis loceis, & heis rebus, quæ in heis videntur, in hoc libro ſummatim ponam. Sed quæ cognatio ejus erit verbi, quæ radices egerit extra fines ſuas perſequemur. Sæpe enim ad limitem arboris radices ſub vi-

cini prodierunt ſegetes. Quare non cum de loceis dicam, ſi ab agro ad agroſum hominem & agricolam pervenero, aberraro. Multa ſocietas verborum: nec vinalia ſine vino expediri, nec curia calabra ſine calatione poteſt aperiri.

Incipiam de loceis ſub ipſius loci origine. Locus eſt, ubi quid locatum eſſe poteſt; ut nunc dicunt, conlocatum. veteres id dicere ſolitos, apparet apud Plautum, Filiam habeo grandem, caſſam dote, atque inlocabilem, neque eam queo locare cuiquam. Apud Ennium, O terra trita, ubi Liberi fanum, in cujus muro locavi. Ubi quidquam conſiſtit, locus. Ab eo præco dicitur Locare, quoad uſque id emitur, quoad in aliquo conſiſtit pretium. Inde Locarium, quod datur in ſtabulo, & taberna, ubi conſiſtant. Sic Loci muliebres, ubi naſcendi initia conſiſtunt. Loca natura, ſecundum antiquam diviſionem, prima duo, cælum & terra; deinde particulatim utriuſque multa. Cæli dicuntur loca ſupera, & ea Deorum: terræ, loca infera, & ea hominum. Ut Aſia, ſic cælum dicitur modeis duobus. Nam & Aſia, quæ non Europa, in qua eſt Syria; & Aſia dicitur prioris pars Aſiæ, in qua eſt Jonia, & provincia noſtra Cilicia. Sic cælum dicitur duobus modeis: & pars ejus ſummum, ubi ſtellæ; & id, quod Pacuvius demonſtrat, cum dicit, Hoc vide circum ſupraque, quod complexu continet terram. Cui ſubjungit, Id quod noſtri cælum memorant. A qua bipartita diviſione Lucretius ſuorum unius & viginti librorum initium fecit hoc, Ætheris & terræ genitabile quærere tempus. Cælum dictum ſcribit Ælius

Gallus, quod eſt cælatum; aut a contrario nomine, quod apertum eſt: non male, quod poſterior Ælius, multo potius cælare a cælo, quam cælum a cælando. Sed non minus illud alterum de cælando, ab eo potuit dici, quod interdiu cælatur, quam quod noctu non cælatur omnino. Ego magis puto a chao cavum: & hinc cælum: quoniam, ut dixi, Hoc circum ſupraque, quod complexu continet terram, cavum cælum. Itaque dicit Andromacha, Noctique cava cæli ſignitenentibus conficis bigeis. Et Agamemnon, In altiſono cæli clypeo. Cavum enim clypeum. Et Ennius item ad cavationem, Cæli ingentes fornices. Quare ut a cavo cavea, & cavile, & convallis, cavata vallis, & cavere cautione; ut cavum ſit ortum, unde omnia apud Heſiodum, a chao cavum cælum. Terra dicta ab eo, ut Ælius ſcribit, quod teritur. Itaque tera in augurum libreis ſcripta cum R uno. Ab eo coloneis locus communis, qui prope oppidum relinquitur, Territorium; quod maxime teritur. Hinc linteum, quod teritur corpore, Termentarium: hinc in meſſe Tritura, quod tum frumentum teritur: & Trivolum, quo teritur. Hinc fines agrorum, Termini, quod hæ partes propter limitare iter maxime teruntur. Itaque terminus cum in Latio aliquot loceis dicitur, ut apud Actium, non terminus, ſed Termen. hoc Græci τέρμα. Evander enim, qui venit in Palatium e Græcia, Arcas fuit. Via quidem Iter, quod ea vehendo teritur: Actus iter in agreis, quod agendo teritur: etiam Ambitus iter, quod circumeundo teritur. nam ambitus circumitus: ab eoque duodecim tabularum interpretes, am-

bitum parietis, circumitum esse describunt. Igitur tera terra, & ab eo poetæ appellarant summa terræ, quæ sola teri possunt, Sola terræ. Terra, ut putant, eadem & Humus. ideo Ennius, In terram cadenteis, dicit, cubiteis pinsibant humum. Et quod terra sit humus, ideo Humatus, mortuus, qui terra sit obrutus: ab eo, qui Romanus combustus est, aut in sepulcrum ejus abjecta gleba non est: aut si os exceptum est mortui ad familiam expurgandam; donec in purgando, humo non est opertus, ut pontifices dicunt, quoad inhumatus sit, familia funesta manet, & dicitur humilior. Quæ ad humum sunt, aut a re, ut Sabini, & Lucani; aut declinata ab hominibus, ut Appulia, & Latium: utrumque, ut Etruria, & Tuscia. Qua regnum fuit Latini, universus ager dictus Latium. particulatim oppideis cognominatus: ut a Præneste Prænestinus, ab Aricia Aricinus. Ut nostri augures publice dixerunt, agrorum sunt genera quinque: Romanus, Gabinus, Peregrinus, Hosticus, Incertus. Romanus dictus, unde Roma, ab Romulo. Gabinus, ab oppido Gabiis. Peregrinus, ager pacatus, qui extra Romanum & Gabinum; quod uno modo in heis feruntur auspicia. dictus peregrinus a pergendo, id est, progrediendo. eo enim ex agro Romano primum progrediebatur. quocirca Gabinus, sive peregrinus, secundum hos auspicia habent singularia. Ab reliquo discretus. Hosticus, dictus ab hostibus. Incertus is ager, qui de heis quatuor qui sit, ignoratur.

Ager dictus est, in quam terram quid agebant, & unde quid agebant fructus causa. id Græci di-

cunt ἀγρόν. Ut ager, quod agi poterat; ſic qua agi; actus. Ejus finis minimus conſtitutus in latitudinem pedes quatuor; fortaſſe ab eo quatuor, quod ea quadrupes agitur: in longitudinem pedes centum & viginti. in quadratum actus, & in latum, & in longum, ut eſſet centum & viginti. Multa antiqui duodenario numero finiebant: ut duodecim decuriis actum. Jugerum dictum juncteis duobus actibus quadrateis. Centuria primo a centum jugeribus dicta: poſt duplicata retinuit nomen: ut tribus multiplicatæ idem tenent nomen. Ut quo agebant, Actus; ſic qua vehebant, Viæ dictæ. quo fructus convehebant, Villæ. qua ibant, ab itu Iter appellarunt: qua anguſte, Semita ut Semiiter dictum. Ager cultus ab eo, quod ibi cum terra ſemina coaleſcebant: ab eo inconſitus, incultus. Quod primum ex agro plano fructus capiebant, Campus dictus. poſteaquam proxima ſuperiora loca colere cœperunt, a colendo colles appellarunt. Quos agros non colebant propter ſilvas, aut id genus, ubi pecus poſſit paſci, & poſſidebant; ab uſu ſuo Saltus nominarunt. Hæc etiam Græci τὰ ἄλσεα καὶ νομὰς, noſtri Nemora. Ager, quod videbatur pecudum ac pecuniæ eſſe fundamentum, Fundus dictus: aut quod fundat quotquot anneis multa. Vineta, ac vineæ, a vite multa. Vitis a vino, idque a vi. hinc Vindemia, quod eſt vini demia, aut vitis demia. Seges ab ſatu, id eſt ſemine. Semen, quod non plane id, quod inde. hinc ſeminaria, ſementes, item alia, quæ ſegetes ferunt. Fruges a fruendo; fructuſque ab ſpe ſpicæ, ubi & Culmi, quod in

summo campo nascuntur, & summum culmen. Ubi frumenta secta terantur, & arescant, Area. Propter horum similitudinem loca in urbe pura, areæ. a quo potest etiam Ara Deûm esse, quod pura. Nisi potius ab ardore, ad quem ut sit, sit ara. a quo ipsa area non abest: quod, qui arefacit, ardor est solis. Ager Restibilis, qui restituitur ac reseritur quotquot anneis: contra qui intermittitur, a novando Novalis ager. Arvum & arationes ab arando: & ab eo, quod aratri vomer sustollit, Sulcus: quo ea terra jacta, id est projecta, Porca. Prata dicta ab eo, quod sine opere parata. Quod in agreis quotquot anneis rursum facienda eadem, ut rursus capias fructus, appellata Rura. (Dividit in eos agros, cum scribit Sulpicius, Plebei rura largitur ad aream.) Prædia dicta, item ut prædes, a præstando: quod ea pignori data publice mancupes fidem præstent. Ubi nunc est Roma, septem montium demissior infimus locus. Infimus, humillimus, quod in mundo infima humus. Humor hinc itaque. Ideo Lucilius, Terra abiit in nimbos, himbresque. Pacuvius, Terra exhalat auram, atque auroram humidam humectam. Hinc ager Uliginosus, humidissimus: hinc Udus, uvidus. Hinc sudor quivis deorsum in terra himber. Unde sumi potest, Puteus. nisi potius quod Æoles dicebant τὸν πύθιον καὶ ποταμόν. Sic potura a potu, non ut nunc a πόσω. A puteeis oppidum Puteoli, quod sint circa eum locum aquæ frigidæ & calidæ multæ. Nisi a putore potius; quod putidus sit odoribus sæpe ex sulphure & alumine. Extra oppida a puteeis Puticulæ: quod

ibi in puteeis obruebantur homines. Nisi potius; ut Ælius scribit, puticulæ, quod putescebant ibi cadavera projecta: qui locus publicus ultra Esquilias. itaque eum Afranius Puticulos in togata appellat, quod inde suspiciunt perpetuo lumen. Lacus, lacuna magna, ubi aqua contineri potest. Palus, paululum aquæ in altitudinem, & palam latius diffusæ. Stagnum, quod Græce στεγνόν; quod nomen habet primum. Hinc ad villas rotunda stagna: quod rotundum facillime continet; anguli maxime laborant. Fluvius, quod fluit, item flumen: a quo lege prædiorum urbanorum scribitur: Stillicidia, fluminaque, ut ita fluant, cadantque. Inter hæc hoc interest, quod stillicidium, eo quod stillatim cadat: flumen, quod fluit continue. Amnis, id flumen est, quod circuit aliquid: nam ab ambitu amnis. Ab hoc, qui circum Aternum habitant amnem, Amiternini appellati. Ab eo, qui populum candidatus circumit, ambit: qui aliter facit, ex ambitu causam dicit. Itaque Tiberis amnis, qui ambit Martium campum, & urbem. Oppidum Interamna dictum, quod inter amneis est constitutum. item Antemnæ, quod ante amnem, qui influit in Tiberim; quod in bello male acceptum consenuit. Tiberis, quod caput extra Latium, si inde nomen quoque effluit in linguam nostram, nihil Latinum: ut quod oritur e Samnio Volturnus, nihil ad Latinam linguam. at quod proximum oppidum ab eo secundum mare Volturnum, ad nos jam Latinum vocabulum, ut Tiberinus: nam & colonia nostra Volturnum, & Deus Tiberinus. Sed de Tiberis nomine anceps

est historia. nam & suum Etruria & Latium suum esse credit. Fuerunt, qui a vicino regulo Vejentum Dehebri dixerint appellatum primo Dehebrim. sunt, qui Tiberis priscum nomen Latinum Albulam vocitatum litereis tradunt; posterius propter Tiberinum regem Latinorum mutatum, quod ibi interierit; nam hoc ejus, ut tradunt, sepulcrum.

Ut omnis natura in cælum & terram divisa est, sic cælum in regiones, terra in Asiam & Europam. Asia enim jacet ad meridiem, & austrum: Europa ad Septemtriones, & Aquilonem. Asia dicta ab nympha, ex qua & Japeto trahitur Prometheus. Europa ab Europa, Agenoris filia, quam ex Phœnicia Manlius scribit taurum exportasse; quorum egregiam imaginem ex ære Pythagoras Tarenti fecit. Europæ loca multæ incolunt nationes. ea fere nominata aut translatitio nomine, aut ab hominibus. Sunt & nomina ab tot montibus, quos postea urbs mureis comprehendit: e queis Capitolium dictum, quod heic, cum fundamenta foderentur ædis Jovis, caput humanum inventum dicitur. Hic mons ante Tarpejus dictus, a virgine Vestali Tarpeja, quæ ibi ab Sabineis necata armeis, & sepulta: ejus nominis monumentum relictum, quod etiam nunc ejus rupes Tarpejum appellatur saxum. Hunc antea montem Saturnium appellatum prodiderunt, & ab eo late Saturniam terram, ut etiam Ennius appellat. Antiquum oppidum in hoc fuisse Saturniam scribitur. Ejus vestigia etiam nunc manent tria: quod Saturni fanum in faucibus: quod Saturnia porta, quam Junius scribit, quam nunc vocant Pandanam: quod

post ædem Saturni, in ædificiorum legibus parietes postici muri sunt scripti. Aventinum aliquot de causeis dicunt. Nævius ab avibus, quod eo se ab Tiberi ferrent aves: alii ab rege Aventino Albano, quod ibi sit sepultus: alii ab adventu hominum, quod commune Latinorum ibi Dianæ templum sit constitutum. Ego maxime puto ab advectu: nam olim paludibus mons erat ab reliqueis disclusus. Itaque eo ex urbe qui advehebantur ratibus, quadrantem solvebant. cujus vestigia, quod ea, qua tum itur, velabrum, & unde ascendebant ad rumam nova via lucus est, & sacellum larum, Velabrum dicitur a vehendo. Velaturam facere etiam nunc dicuntur, qui id mercede faciunt. Merces dicitur a merendo & ære. Hinc vecturæ, quas solvebant hi, qui ratibus transibant, Quadrans. ab eo Lucilius scripsit quadrantis ratiti. Reliqua urbis loca olim discreta, ut Argeorum sacraria in septem & viginti parteis urbis sunt disposita. Argeos dictos putant a principibus, qui cum Hercule Argivo venerunt Romam, & in Saturnia subsederunt: e queis prima est scripta regio Suburana; secunda, Esquilina; tertia, Collina; quarta, Palatina. In Suburanæ regionis parte princeps est Cœlius mons, a Cœlio Vibenno Tusco, duce nobili, qui cum sua manu dicitur Romulo venisse auxilio contra Sabinum regem. Hi, post Cœlii obitum, quod nimis munita loca tenerent, neque sine suspicione essent, deducti dicuntur in planum. Ab eis dictus vicus Tuscus; & ideo ibi Vortumnum stare, quod is Deus Etruriæ. Principes de Cœlianeis, qui a su-

ſpicione liberi erant, traductos volunt in eum locum, qui vocatur Cœliolus. Cum Cœlio conjunctæ Carinæ; ſed inter eas quem locum Ceroliensem appellatum apparet, quod primæ regionis quartum ſacrarium ſcriptum ſic eſt. Ceroliensis quarticeps circa Minervium: qua in Cœlium montem itur, in tabernola eſt. Ceroliensis a carinarum junctu dictus Carinæ: poſtea Cerionia, quod hinc oritur caput ſacræ viæ ab Streniæ ſacello, quæ pertinet in arcem, qua ſacra quotquot menſibus feruntur in arcem, & per quam augures ex arce profecti ſolent inaugurare. Hujus ſacræ viæ pars hæc ſola volgo nota, quæ eſt a foro eunti proximo clivo. Eidem regioni attributa Subura, quod ſub muro terreo Carinarum: in ea eſt Argeorum ſacellum ſextum. Subura, Junius ſcribit ab eo, quod fuerit ſub antiqua urbe. cui teſtimonium poteſt eſſe, quod ſubeſt ei loco, qui terreus murus vocatur. Sed ego a pago potius Sucuſano dictam puto Sucuſam. Nunc ſcribitur tertia litera B, non C. Pagus Sucuſanus, quod ſuccurrit Carineis. Secundæ regionis Eſquilinæ ab Eſquileiis: alii has ſcripſerunt ab excubiis regis dictas; alii ab eo, quod excultæ a rege Tullio eſſent. Huic origini magis concinunt luci vicini; quod ibi lucus fagutalis, & lucus Mephitis, & lucus Junonis Lucinæ: quorum anguſti fines: non mirum. jamdiu enim late avaritia una eſt. Item lucus Larum, Querquetulanum ſacellum. Eſquiliæ duo montes habiti, quod pars Ciſpius mons ſuo antiquo nomine etiam nunc in ſacreis appellatur. In ſacreis Argeorum ſcriptum eſt ſic: Oppius mons princeps

lucum Esquilinum, lucum fagutalem sinistra, quæ sub mœrum est. Oppius mons bicepsos simplex. Oppius mons tercicepsos lucum Esquilinum, dexterior via in tabernola est. Oppius mons quadricepsos lucum Esquilinum, via dexterior in figlineis est. Septimius mons quinticepsos lucum Pœtilium. Esquilinus sexticepsos. Cispius mons septicepsos apud ædem Junonis Lucinæ, ubi æditumus habere solet. Tertiæ regionis colles ab quinque Deorum faneis appellati; e queis nobiles duo colles. Viminalis a Jove Viminio, quod ibi aræ sunt ejus, aut quod ibi vimineta fuerunt. Collis Quirinalis, ubi Quirini fanum; qui a Curetibus, qui cum T. Tatio Curibus venerunt Romam, quod ibi habuerunt castra. quod vocabulum conjunctarum regionum nomina obliteravit. Dictos enim colles plureis apparet ex Argeorum sacrificiis; in quibus sic scriptum est: Collis Salutaris quarticepsos ædem Quirino: collis Salutaris quarticepsos adversum est pila Naris, ædem Salutis: Collis Mutialis quinticepsos apud ædem Dei Fidii in delubro, ubi æditumus habere solet: collis Latiaris sexticepsos in vico Mustellario summo apud Turaculum ædificium solum est. Horum Deorum aræ, a quibus cognomina habent, in ejus regionis partibus sunt. Quartæ regionis Palatium, quod Palantes cum Evandro venerunt; aut quod Palatini, qui & Aborigines, ex agro Reatino, qui appellatur Palatium, ibi consederunt. Sed hoc alii a Palatia uxore Latini putarunt. Eundem hunc locum a pecore dictum putant quidam. itaque Nævius Balantium appellat. Huic Germalum & Velias

conjunxerunt. & in hac regione ſacriportus eſt, & in ea ſic ſcriptum, Germalenſis quinticepſos apud ædem Romuli. Velienſis ſexticepſos in Velia apud ædem Deûm penatium. Germalum a germaneis Romulo & Remo, quod ad ficum ruminalem & hi inventi, quo aqua hiberna Tiberis eos detulerat in alveolo expoſitos. Veliæ unde eſſent, plures accepi cauſas; in queis, quod ibi paſtores Palatini ex ovibus ante tonſuram inventam vellere lanam ſint ſoliti: ex quo Vellera dicuntur. Ager Romanus primum diviſus in parteis treis, a quo tribus appellatæ Tatienſium, Ramnium, Lucerum: nominatæ, ut ait Ennius, Tatienſes a Tatio; Ramnenſes a Romulo; Luceres, ut ait Junius, a Lucumone. Sed omnia hæc vocabula Tuſca, ut Volumnius, qui tragœdias Tuſcas ſcripſit, dicebat. Ab hoc quoque quatuor parteis urbis tribus dictæ: & ab loceis Suburana, Eſquilina, Collina, Palatina, Quinta, quod ſub Roma Romilia. Sic reliquæ tribus ab iis rebus, de quibus in tribuum libreis ſcripſi.

Quod ad loca, quæque iis adjuncta fuerunt, diximus: nunc de iis, quæ in loceis eſſe ſolent. Immortalia & mortalia expediam, ita ut prius, quod ad Deos pertinet, dicam. Principes Dei, Cælum & Terra: hi Dei iidem, qui in Ægypto Serapis & Iſis, & ſt Harpocrates digito ſignificat. qui ſunt Taautes & Aſtarte apud Phœnicas, ut idem principes in Latio Saturnus & Ops. Terra enim & Cælum, ut Samothracum initia docent, ſunt Dei magni, & hi, quos dixi multeis nominibus. Nam neque, quas Ambracia ante portas ſtatuit duas virileis ſpecies

aheneas, Dei magni; neque, ut volgus putat, hi Samothraces Dii, qui Caſtor & Pollux: ſed hi mas & femina; & hi, quos augurum libri ſcriptos habent ſic, Divi potes: & ſunt pro illeis, qui in Samothrace θεοὶ δυνατοί. Hæc duo, Cælum & Terra: quod anima, & corpus; humidum, & frigidum. Ova parire ſolet genus penneis condecoratum; non animas, ut ait Ennius. & poſt, Inde venit divinitus pulleis inſinuans ſe ipſa anima. ſive, ut Zenon Citieus, animalium ſemen ignis, qui anima & mens: qui calor e cælo, quod heic innumerabiles & immortales ignes. Itaque Epicharmus Enni de mente humana dicit, Iſtic eſt de ſole ſumtus ignis. Idem ſolem adſerit, Iſque actus mentis eſt, ut humores frigidæ ſunt humi, ut ſupra oſtendi, quibus juncti cælum & terra omnia ex ſe genuerunt: quod per hos natura frigori immiſcet calorem, atque humori aritudinem. Recte igitur Pacuvius ait, Animam æther adjungat. Et Ennius, Eſſe igitur corpus terram, quæ deperit ipſam, Et capit, & neque jam diſpendei conficit hilum. Animæ & corporis diſceſſus; quod nateis ſit exitus, inde Exitium; ut cum in unum ineunt, Initia. Inde omne corpus, ubi nimius ardor aut humor viget, aut interit, aut manet ſterile. cui teſtis æſtas & hiemps: quod in altero aer ardet, ſpica aret: & in altero natura ad naſcendum cum himbre & frigore victitare non volt, & potius ver exſpectat. Igitur cauſa naſcendi duplex: ignis & aqua. Ideo ea in nuptiis in limine adhibentur, quod conjungit hic. & mas ignis, quod ibi ſemen; aqua femina, quod fetus ab ejus humore,

& eorum junctione sumit Venus. Hinc comicus, Victrix Venus videsne hæc? non quod vincere velit Venus, sed quod vincire, & vinciri ipsa. Victoria ab eo, quod superati vinciuntur. Utrique testis poesis, & Victoria & Venus dicitur cæligena. Tellus enim, quod prima vincta cælo, Victoria ex eo. & ideo hæc cum corona, & palma; quod corona vinculum capitis, & ipsa a vinctura dicitur. Viere, vincire; a quo est in Asoto Ennii, Ibant malam viere Veneriam corollam. Palmam dicunt, quod ex utraque parte natura vincta habeat paria folia. Poetæ de cælo semen igneum cecidisse dicunt in mare; ac natam e spumeis Venerem conjunctione ignis & humoris: quam haberet vim significantes. a qua vi nateis dicta Vita; ut illud a Lucilio, Vis est vita vides, quæ nos facere omnia cogit. Quare quod cælum principium, ab satu est dictus Saturnus; & quod ignis Saturnalibus, hoc est cerei superioribus mittuntur. Terra, Ops; quod heic omne opus, & hac opus ad vivendum: & ideo dicitur Ops mater, quod terra nutriat. Hæc enim terreis genteis omneis peperit, & resumit denuo. quæ dat cibaria, ut ait Ennius: quæ quod gerit fruges, Ceres. Antiqueis enim, quod nunc & hi Dei Cælum & Terra, Juppiter & Juno. quod, ut ait Ennius, Istic est is Juppiter, quem dico, quem Græci vocant aera: qui ventus est, & nubes, himber postea, atque ex himbre frigus: ventus post fit, aer denuo. Hæc propter Juppiter sunt ista, quæ dico tibi: qui mortaleis atque urbeis belluasque omneis juvat: quod hic omneis & sub hoc. Eundemque appellans di-

cit Ennius, Divûmque hominumque pater rex. Pater, quod patefaciat omnia, & ipſum ſemen. nam tum eſt conceptum, & inde cum exit, quod oritur. Hoc idem magis oſtendit antiquum Jovis nomen. Nam olim Diovis & Dieſpiter dictus, hoc eſt aer, & dies pater. a quo Dei dicti, qui inde: & dies, & dius, & divus. Unde Sub dio, & Dius Fidius. Itaque inde ejus perforatum tectum, ut videatur divum, id eſt cælum. Quidam negant ſub tecto per hunc dejerare oportere. Ælius Gallus Dius Fidius dicebat Diovis filius, ut Græci Διόσκουρον Caſtorem: & putabant hunc eſſe Sanctum ab Sabina lingua, & Herculem ab Græca. Idem hic Dieſpiter dicitur, infimus aer, qui eſt conjunctus terræ, ubi omnia oriuntur, ubi aboriuntur: quorum quod finis ortus, Orcus dictus. Quod Jovis Juno conjux, & is cælum, hæc terra, quæ eadem tellus: & ea dicta, quod una cum Jove juvat Juno: & regina, quod hæc omnia terreſtria regit. Sol, vel quod ita Sabini, vel quod ſolum ita lucet, ut ex eo dies ſit. Luna, quod ſola lucet noctu. itaque ea dicta Noctiluca in Palatio: nam ibi noctu lucet templum. hanc, ut Solem Apollinem, quidam Dianam vocant Apôllinis: vocabulum Græcum alterum, Latinum alterum. & hinc quod in altitudinem & latitudinem ſimul, Diviana appellata. Hinc Epicharmus Enni Proſerpinam quoque appellat, quod ſolet eſſe ſub terreis. Proſerpina dicta, quod hæc ut ſerpens modo in dextram, modo in ſiniſtram partem late movetur. Serpere & Proſerpere idem dicebant: ut Plautus, qui ſcribit, Quaſi proſerpens

bestia. Quæ ideo videtur a Latineis Juno Lucina dicta, vel quod terra (ut Physiei dicunt) juvat & lucet, vel quod ab luce ejus, qua quis conceptus est, una juvat, donec mensibus acteis produxit in lucem. Facta igitur a juvando & luce Juno Lucina: a quo parientes eam invocant. Luna enim, nascentium dux, quod menses hujus. Hoc vidisse antiquos apparet, quod mulieres potissimum supercilia sua attribuerunt ei Deæ. Heic enim maxime debuit collocari Juno Lucina, ubi ab Dieis lux datur oculeis. Ignis a nascendo, quod hic nascitur; & omne, quod nascitur, ignis scindit. Ideo calet, ut qui denascitur, ignem amittit ac frigescit. Ab ignis jam majore vi ac violentia Volcanus dictus. Ab eo, quod ignis per splendorem fulget, Fulgor, Fulmenque & Fulgur: quod fulmine ictus Phaethon contrariis Diis. Ab aquæ lapsu lubrico Lympha. Nympha Juturna, quæ juvaret. Itaque multi ægroti propter id nomen hinc aquam petere solent. A fontibus, & fluminibus, ac cetereis aqueis, Dei: ut Tiberinus a Tiberi: & ab lacu Velino, Velinia: & nymphæ Commotiæ ad lacum Cutiliensem, a commotu, quod ibi insula in aqua commovetur. Neptunus, quod mare terras obnubit, ut nubes cælum: a nuptu, id est, opertione, ut antiqui. a quo Nuptiæ, Nuptusque dictus. Salacia Neptuni ab salo. Venilia a veniendo, ac vento illo, quem Plautus dicit, Quod ille dixit, qui secundo vento vectus est tranquillo mari, Ventum gaudeo. Bellona a bello nunc, quæ Duellona a duello. Mars ab eo, quod maribus in bello præest: aut quod a Sabineis acce-

ptus, ibi Mamers. Quirinus a Quiritibus. Virtus, ut viri vis, a virilitate. Honos ab honesto honere. Itaque Honestus dicitur, quod honeratus; & dictum Honus est honos, qui sustinet rempublicam. Castoris nomen Græcum, & Pollucis a Græceis in Latineis litereis veteribus nomen, quod est, inscribitur, ut Πολυδεύκης, Polluces, non, ut nunc, Pollux. Concordia a corde congruente. Feronia, Minerva, Novensiles a Sabineis. paulo aliter ab eisdem dicimus Laram, Vestam, Salutem, Fortem Fortunam, Fidem. Ea re Sabinorum linguam olent, quæ Tatii regis voto sunt Romæ didicatæ. Nam ut annales dicunt, vovit Opi, Floræque; Diovi, Saturnoque; Soli, Lunæque; Volcano, Summanoque: itemque Larundæ, Termino, Quirino, Vortumno, Laribus, Dianæ, Cloacinæque. E queis nonnulla nomina in utraque lingua habent radices; ut arbores, quæ in confinio natæ, in utroque agro serpunt. Potest enim esse Saturnus heic alia de causa dictus atque in Sabineis, & sic Diana. de quibus supra. Dictum est, quod ad immortaleis attinet: deinceps quod ad mortaleis attinet, videamus. & de his animalia in tribus loceis, quod sunt in aere, in aqua, in terra: a summa parte ad infimam descendam. Primum nominem Alites ab aleis: Volucres alii a volatu. deinde generatim. De heis pleræque a sueis vocibus, ut hæ, Upupa, Cuculus, Corvus, Hirundo, Ulula, Bubo; item hæ, Pavo, Anser, Gallina, Columba. Sunt quæ alieis de causeis appellatæ; ut Noctua, quod noctu canit, ac vigilat: Lusciola, quod luctuose canere existimatur, atque esse ex Attica Pro-

gne in luctu facta avis. Sic Galeritus, & Motacilla: alter, quod in capite habet plumam elatam; altera, quod semper movet caudam. Merula, quod mera, id est sola, volitat: contra ab eo Graculi, quod gregatim: ut quidam Græci τὰ γέργερα. Ficedulæ, & Miliariæ, a cibo: quod alteræ fico, alteræ milio fiant pingues. Aquatilium vocabula animalium partim sunt vernacula, partim peregrina. Foris, Muræna, quod μύραινα: Cybium, Thynnus, cujus item partes Græceis vocabuleis omnes, ut Melandria, atque Uræon. Vocabula piscium, pleraque translata a terrestribus: ex aliqua parte similibus rebus: ut Anguilla, Lingulaca, Sudis: alia a coloribus, ut hæc, Asellus, Umbra, Turdus: alia a vi quadam, ut hæc, Lupus, Canicula, Torpedo. Item in conchylieis aliqua ex Græceis: ut Peloris, Ostrea, Echinus. vernacula ad similitudinem: ut Surenæ, Pectunculi, Ungues. Sunt etiam animalia in aqua, quæ interdum in terram exeunt: alia Græceis vocabuleis; ut Polypus, Hippopotamus, Crocodilus: alia Latineis, ut Rana, Anas, Mergus. a quo Græci ea, quæ in aqua & terra possunt vivere, vocant ἀμφίβια. E queis Rana ab sua dicta voce: Anas, a nando: Mergus, quod mergendo in aquam captet escam. Item aliæ in hoc genere a Græceis: ut Querquedula, Cerceris, Halcedo, quod ea Halcyon. Latina, ut Testudo, quod testa tectum hoc animal: Loligo, quod subvolat, litera commutata, primo Voligo. Ut Ægypti in flumine quadrupes, sic in Latio nominati Lytra & Fiber. Lytra, quod succidere dicitur arborum radices in ripa, atque eas dissol-

vere; unde Lytra. Fiber, ab extrema ora fluminis dextra & finiſtra maxime quod ſolet videri: & antiqui Fibrum dicebant extremum; unde in ſageis extrema Fimbriæ, & in jecore extremum Fibra. hinc Fiber dictus. Quæ ſunt hominum propria primum, deinde de pecore, tertio de fereis ſcribam: incipiam ab honore publico. Conſul nominatus, quod conſulere populum & ſenatum debet. niſi illinc potius, unde Actius ait in Bruto, Qui recte conſulat, conſul fiat. Prætor dictus, qui præiret jure & exercitu. A quo Lucilius, Ergo prætorum eſt ante præire. Cenſor, ad cujus cenſionem, id eſt arbitrium, cenſeretur populus. Ædilis, qui ædes ſacras & privatas procuraret. Quæſtores, a quærendo, qui conquirerent publicas pecunias, & maleficia, quæ triumviri capitales nunc conquirunt; ab heis poſtea qui quæſtionum judicia exercent, Quæſtores dicti. Tribuni militum, quod terni tribus tribubus Ramnium, Lucerum, Tatienſium olim ad exercitum mittebantur. Tribuni plebei, qui ex tribuneis militum primum tribuni plebei facti, qui plebem defenderent in ſeceſſione Cruſtumerina. Dictator, quod a conſule dicebatur, cui dicto audientes omnes eſſent. Magiſter equitum, quod ſumma poteſtas hujus in equites, & adcenſos: ut eſt ſumma populi Romani dictator; a quo is quoque magiſter populi appellatus. Reliqui, quod minores quam hi magiſtri, dicti Magiſtratus: ut ab albo Albatus. Sacerdotes univerſi a ſacreis dicti. Pontifices (ut Q. Scævola Pontifex maximus dicebat) a poſſe & facere. pontifices ego a ponte arbitror. nam ab iis ſublicius

est factus primum, & restitutus sæpe, cum ideo sacra & uls & cis Tiberim non mediocri ritu fiant. Curiones dicti a curieis: qui fiunt, ut in heis sacra faciant. Flamines, quod in Latio capite velato erant semper, ac caput cinctum habebant filo, Flamines dicti. Horum singuli cognomina habent ab eo Deo, cui sacra faciunt: sed partim sunt aperta, partim obscura. Aperta, ut Martialis, Volcanalis; obscura, Dialis, & Furinalis. cum Dialis a Jove sit, qui Diovis est: Furinalis a Furina, cujus etiam in fasteis Furinales feriæ sunt. Sic Flamen Falacer a divo patre Falacre. Salii a saltando, quod facere in comitio in sacreis quotanneis & solent & debent. Luperci, quod lupercalibus in lupercali sacra faciunt. Fratres Arvales dicti sunt, qui sacra publica faciunt propterea, ut fruges ferant arva: a ferendo & arveis fratres arvales dicti sunt; quia fratria dixerunt. Fratria est Græcum vocabulum partis hominum; ut Apollini etiam nunc. Sodales Titii dicti ab Titiis avibus, quas in auguriis certeis observare solent. Feciales, quod fidei publicæ inter populos præerant: nam per hos fiebat, ut justum conciperetur bellum, (& inde desitum,) & ut fœdere fides pacis constitueretur. Ex heis mittebant, antequam conciperetur, qui res repeterent: & per hos etiam nunc fit fœdus, quod fidus scribit Ennius dictum. In re militari Prætor dictus, qui præiret exercitui. Imperator ab imperio populi, qui eos, qui id adtentassent, oppressit hosteis. Legati, qui lecti publice, quorum opera consilioque uteretur peregre magistratus; quive nuntii senatus aut populi essent. Exercitus, quod exerci-

tando fit melior. Legio, quod leguntur milites in delectu. Cohors, quod ut in villa ex pluribus tecteis conjungitur, ac quiddam fit unum; sic hæc ex manipuleis copulatur cohors: quæ in villa dicta, quod circa eum locum pecus coerceretur. Tametsi cohortem in villa Isicrates dicit esse Græce χούρθον apud poetas dictam. Manipulos exercitus minimas manus, quæ unum sequuntur signum. Centuriæ, quæ sub uno Centurione sunt: quorum centenarius justus numerus. Milites, quod trium millium primo legio fiebat, ac singulæ tribus, Tatiensium, Ramnium, Lucerum, millia singula militum mittebant. Hastati dicti, qui primi hasteis pugnabant; Pilani, qui pileis; Principes, qui a principio gladiis, & post commutata re militari minus illustres sumuntur. Pilani, Triarii quoque dicti, quod in acie tertio ordine extremeis subsidio deponebantur. Quod hi subsidebant, ab eo Subsidium dictum. a quo Plautus, Agite nunc, subsidite omnes, quasi solent triarii. Auxilium appellatur ab auctu, cum accesserant, qui adjumento essent, alienigenæ. Præsidium est dictum, quia extra castra præsidebant in loco aliquo, quo tutior regio esset. Obsidium dictum ab obsidendo, quo minus hostis egredi posset inde. item ab abscidendo; cum id ideo facerent, quo facilius diminuerent hosteis. Duplicarii dicti, quibus ob virtutem duplicia cibaria ut darentur, institutum. Turma terma est; E in U abiit: quod terdeni equites ex tribus tribubus, Tatiensium, Ramnium, & Lucerum, fiebant. Itaque primi singularum decuriarum, Decuriones dicti, qui ab eo in

ſinguleis turmeis ſunt etiam nunc terni. Quos hi primo adminiſtros ipſi ſibi adoptabant, Optiones vocari cœpti, quos nunc propter ambitionem tribuni faciunt. Tubicines a tuba & canendo, ſimiliter Liticines, & Claſſicos a claſſe: qui item cornu canunt, ut tum cum claſſes comitiis ad comitatum vocant. Quæ a fortuna vocabula, in heis quædam minus aperta: ut pauper, dives, miſer, beatus: ſic alia. Pauper a paulola re. Miſer, a minus, cui cum opus eſt, minus nullo eſt. Dives, a divo, qui, ut Deus, nihil indigere videtur. Beatus, qui multa bona poſſidet: & is Opulentus ab ope, cui eæ opimæ. Ab eadem Inops, qui ejus indiget. Ab eodem fonte Copiæ, & Copioſus. Pecunioſus, a pecunia magna: Pecunia, a pecu. a paſtoribus enim horum vocabulorum origo. Artificibus maxima cauſa ab arte: id eſt, ab arte medicina ut ſit Medicus, a ſutrina Sutor: non a medendo, ac ſuendo, quæ omnino ultima. Huic rei earum rerum radices, ut in proximo libro aperietur. Quare, quod ab arte Artifex dicitur, nec multa in eo obſcura, relinquam. Similis cauſa, quæ ab ſcientia vocantur aliqua, ut præſtigiator, monitor, nomenclator. Sic etiam a ſpatio quodam dicuntur, curſor, natator, pugil. & in hoc genere, quæ ſunt vocabula, pleraque aperta: ut Legulus, & Vindemiator: alter ab oleeis, alter ab uveis. Hæc etſi minus aperta, vindemiator, ut veſtigator, & venator: tamen id eſt quod Vindemiator, vel quod vinum legere dicitur, vel quod de vite id demit; Veſtigator a veſtigiis ferarum, quas indagatur: Venator a venatu.

[Quod ſequitur verbum adventum & inventum.] Hæc de hominibus. Hinc quod ſequitur, de pecore. Pecus ab eo, quod perpaſcat, a quo pecora univerſa; quod in pecore pecunia tum conſiſtebat paſtoribus: & ſtandi fundamentum Pes. a quo dicitur in ædificiis area pes magnus; & qui fundamentum inſtituit, pedem ponit. A pede Pecudes appellarunt, ut ab eodem Pedicam, Pediſſequum & Peculatoriæ oves, aliudve quid. id enim peculium primum. Hinc Peculatum publicum, primo ut cum pecore diceretur multa, & id eſſet coactum in publicum, ſi erat averſum, ex qua fructus major. Hinc eſt, quod Græceis Bos, βῦς: & Taurus, ταῦρος: item οἶς, ovis. ita enim antiqui dicebant, non ut nunc, πρόβατον. Poſſunt in Latio quoque, ut in Græcia, a ſueis vocibus hæc eadem ficta. Armenta, quod boves ideo maxime parabantur, ut inde eligerent ad arandum; inde Aramenta dicta, poſtea tertia litera extrita. Vitulus quod Græce antiquitus, ἰτοῦλος: aut quod plerique vegeteis, vegitulus. Juvencus, juvare qui jam ad agrum colendum poſſet. Capra, carpa, a quo ſcriptum omnicarpæ capræ. Hircus quod Sabini fircus: & quod illeic fedus in Latio rure hedus: quod in urbe, ut in multeis, A addito hædus. Porcus, quod Sabini dicunt de aprino porco poridus, inde porcus. niſi a Græceis, quod Atheneis in libreis ſacrorum ſcriptum eſt, κάπρῳ καὶ πόρκῳ. Aries, quod eum dicebant ares veteres, noſtri arviga: hinc Arvignus. Hæ ſunt, quarum in ſacrificiis exta in olla, non in veru coquuntur. quas & Actius ſcribit, & in pontificalibus libreis videmus in hoſtiis eam arvi-

gem, quæ cornua habet. quoniam is, cui ovi mari testiculi demti; & ideo ut natura versa Vervex declinatum. Pecori ovilo quod agnatus, Agnus. Catulus a sagaci sensu, & acuto. Hinc Canis; nisi quod tuba, & cornu, signum cum dant, canere dicuntur. quod hic item, & nocticulus in custodia, & venando signum voce dat, canis dictus. Ferarum vocabula item partim peregrina, ut Panthera, Leo: utraque Græca. a quo etiam & rete quoddam Panther, & Leæna, & muliercula Pantheris. Tigris, qui est ut leo varius, qui vivus capi adhuc non potuit; vocabulum e lingua Armenia. nam ibi & sagitta, & quod vehementissimum flumen, dicitur Tigris. Ursi, Lucana origo, vel unde illi, nostri ab ipsius voce. Camelus suo nomine Syriaco in Latium venit: ut Alexandria Camelopardalis nuper adducta, quod erat figura ut camelus, maculeis ut panthera. Apri ab eo, quod in loceis aspereis. nisi a Græceis, quod hi κάπρος. Caprea a similitudine quadam capræ. Cervi, quod magna cornua gerunt, mutato G in C, ut in multeis; quasi gerui. Lepus, quod e Siculeis quidam Græcei dicunt λέποριν. a Roma quod orti Siculi, ut annales nostri veteres dicunt, fortasse hinc illuc tulerunt, & heic reliquerunt id nomen. Volpes, ut Ælius dicebat, quod volat pedibus. Proxima animalibus sunt ea, quæ vivere dicuntur, neque habere animam, ut virgulta. Virgultum dicitur a viridi, idque a vi quadam humoris: quæ si exaruit, moritur. Vitis, quod ea vini origo. Malum, quod Æoles dicunt μᾶλον. Pinus juglans; quod hæc nux antequam purgetur, similis glandi. Hæc glans opti-

ma & maxima, ab Jove & glande juglans eſt appellata. Eadem, Nux, quod ut nox aerem, ita hujus ſuccus facit corpus atrum. Quæ in orteis naſcuntur, alia peregrineis vocabuleis, ut Græceis Ocymum; Menta, Ruta, quam nunc πήγανον appellant. Idem Caulis, Lapathium, Radix. Sic enim antiqui Græci, quam nunc Raphanum. Item ex Græceis vocabuleis, ἕρπυλλον, ῥόδον, addita & commutata una litera, Serpyllum, Roſa. Item Græca, κορίανδρον, μαλάχη, κύμινον. Item Latina, Lilium, ἀπὸ λειρίυ, & Malva a μαλάχη, & Suſimbrium ἀπὸ σισυμβρίυ. Vernacula Lactuca a lacte, quod olus id habet lac. Braſſica, ut præſeca: quod ex hujus ſcapo minutatim præſecatur. Aſparagi, quod ex aſpereis virgulteis naſcuntur, & ipſi ſcapi aſperi ſunt, non leves. Niſi Græcum: illic enim quoque dicitur ἀσπάραγος. Cucumeres dicuntur a curvore, ut curvimeres dicti. Fructus a ferendo res: & hæ, quas fundus; & hæ, quæ in fundo feruntur, ut fruamur. Hinc declinatæ Fruges, & Frumentum. Sed hæ e terra, etiam Frumentum, quod exta loco quo ſolent addi ex mola, id eſt ex ſale, & farre molito. Uvæ ab uvore. Quæ manu facta ſunt dicam, de victu, de veſtitu, de inſtrumento: & ſi quid aliud videbitur heis aptum. De victu antiquiſſima Puls; appellata, vel quod ita Græci, vel ab eo (ut ſcribit Apollodorus) quod ita ſonet, cum aqua ferventi inſipitur. Panis, quod primo figuras faciebant mulieres in panificio Panis: poſteaque figuras facere inſtituerunt alias. A pane & faciendo Panificium cœptum dici. Hinc Panarium, ubi id ſervabant: ſic-

ut Granarium, ubi granum frumenti condebant, unde id dictum. Nisi ab eo, quod Græci κόκκον: a quo Græceis quoque granum dictum. & in quo eadem conduntur, Horreum ab horrendo. Triticum, quod tritum est spiceis. Far, a faciendo, quod in pistrino fit. Milium a Græco. nam id prius μέλιν, post μέδιν. Libum, quod libaretur priusquam esset, ut erat, coctum. Testuatium, quod in testu caldo coquebatur; ut etiam nunc Matralibus id faciunt matronæ. Circuli, quod mixta farina caseo & aqua circuitum æquabiliter fundebant. Hoc quidam, qui magis incondite faciebant, vocabant Lixulas & Semilixulas, vocabulo Sabino: idque frequentius Sabini a globo farinæ dilatato. Item in oleo cocti, dicti a globo Globuli. Crustulum a crusta pultis, quojus ea, quæ ut corium exuritur, Crusta dicta. Cetera fere opera a vocabuleis Græceis sumta, ut θρύλλον, καὶ τρύφον, & placenta, quod edebant cum pulte. Ab eo Pulmentum, ut Plautus: hinc Pulmentarium dictum. Hoc primum debuit pastoribus Caseus: a coacto lacte, ut coaxeus dictus. Dein posteaquam desierunt esse contenti heis, quæ suapte natura ferebat sine igne; in quo erant poma: quæ nimis cruda esse poterant, decoquebant in olla. Ab olla Olera dicta: quorum a genere cruda olera, e queis ad coquendum, quod rueret e rure, Ruapa: unde Rapa. Olea ab elea: olea grandis, Orchitis: quod ea antiquitus Orchemora. Hinc ad pecudis carnem perventum est. Suilla sic ab illeis generibus cognominata. Hanc primo assam, secundo elixam, tertio e jure uti cœpisse natura docet. Di-

ctum Aſſum, quod ab igne aſſudeſcit. Uvidum eſt, quod humidum, & ideo ubi id non eſt, ſuccus abeſt: & ideo ſudando aſſum diſtillat calore. ut crudum nimium habet humoris; ſic excoctum parum habet ſucci. Elixum, eſt e liquore aquæ deductum; & ex jure, quod jucundum magis conditione eſt. Succidia, ab ſuibus concidendis: nam id pecus primum occidere cœperunt domini, &, ut ſervarent, ſalere. Tergus ſuis, ab eo, quod eo tegitur. Perna a pede ſuis, a nomine ejus. Offula dicta, ut offa minima in ſue. Inſicia, ab eo, quod inſecta caro, ut in carmine Saliorum eſt: quod in exteis dicitur nunc Profectum. Murtatum a myrto, quod eo large fartum inteſtinum craſſum. Lucanicam dicunt, quod milites a Lucaneis didicerunt, qui & Faleriis Faliſcum ventrem. Fundulum, a fundo: quod non ut reliquæ partes, ſed ex una parte ſola apertum. ab hoc Græcos puto τυφλὸν ἔντερον appellaſſe. Ab eadem fartura Farcimina in exteis appellata: a quo, quod in eo tenuiſſimum inteſtinum fartum, Hila, ab hilo dicta, id eſt minimo: quod ait Ennius, Neque diſpendei facit hilum. Quod in hoc farcimine ſummo quiddam eminet: ab eo, quod ut in capite apex, Apexabo dicta. Tertium fartum eſt Longabo, quod longius, quam duo hila. Agumentum, quod ex immolata hoſtia deſectum in jecore imponendo agendei cauſa. Magmentum, a magis: quod ad religionem magis pertinet. Itaque propter hoc montana ſana conſtituta loceis certeis, quod id imponeretur matæ: ab eo, quod Græci μάτιαι καὶ μάπιαι. Item Græci ſigillatim, ut ovum, bulbum.

Lana Græcum, ut Polybius & Callimachus ſcribunt. Purpura, a purpuræ maritimæ colore. Pœnicum, quod ad Pœneis primum dicitur adlatum. Stamen, a ſtando, quod eo ſtat omne in tela velamentum. Subtemen, quod ſubit ſtamini. Trama, quod tranat frigus id genus veſtimenti. Denſum, a dentibus pectinis, quibus feritur. Filum, quod minimum eſt hilum. id enim minimum eſt in veſtimento. Pannus, Græcum: Panvelum dictum a panno, & volvendo filo. Tunica, ab tuendo corpore: tunica ut induca. Toga, a tegendo. Cinctus, & Cingulum, a cingendo: alterum vireis, alterum mulieribus attributum. Arma, ab arcendo, quod heis arcemus hoſtem. Parma, quod a medio in omneis parteis par. Conum, quod cogitur in cacumen verſus. Haſta, quod ſtans ſolet ferri. Jaculum, quod ut jaciatur, fit. Tragula a trajiciendo. Scutum a ſectura, ut ſecutum; quod minute confectum ſit tabelleis. Umbones, aut a Græco, vel quod ambones. Gladius, C in G commutato, a clade; quod fit ad hoſtium cladem gladius. ſimiliter ab omine Pilum, quod hoſtis feriret, ut perilum. Lorica, a loreis: quod de corio crudo pectoralia faciebant: poſtea ſuccuderunt Galli e ferro ſub id vocabulum ex anuleis ferream tunicam. Balteum, quod cingulum e corio habebant bullatum, balteum dictum. Ocrea, quod opponebatur ob crus. Galea ab galero, quo multi uſi antiqui. Tubæ, a tubeis, quos etiam nunc ita appellant tubicines ſacrorum. Cornua, quod ea, quæ nunc ſunt ex ære, tunc fiebant ex bubulo cornu. Vallum, vel quod ea varicare nemo poſſit; vel

quod ſingula ibi extrema bacilla furcillata habent figuram literæ V. Cervi a ſimilitudine cornuum cervi. Item reliqua fere ab ſimilitudine, ut vineæ, teſtudo, aries. Menſam eſcariam cibillam appellabant: ea erat quadrata, ut etiam nunc in caſtreis eſt. A cibo Cibilla dicta; poſtea rotunda facta. & quod a nobis media, a Græceis μέσα, Menſa dici poteſt. niſi etiam quod ponebant pleraque in cibo menſa. Trulla a ſimilitudine truæ, quæ quod magna, & hæc puſilla, ut truula. Hinc Græci τρυβλίον, nos trullam. Truæ, quæ a culina in lavatrinam aquam fundunt. Trua, quod travolat ea aqua; ab eodem eſt appellatum Trulleum. ſimile enim figura, niſi quod latius concipit aquam, & quod manubrium cavum non eſt, niſi vinaria trulla acceſſit. Matellio a matula dictus; & dictus poſteaquam longius a figura matulæ diſceſſit. & ab aqua Aqualis dictus. Vas aquarium vocant Futum, quo in triclinio allatam aquam infundebant: quo poſtea acceſſit μάγινος cum Græco nomine; & cum Latino nomine Græca figura barbatus. Pelvis, a pedum lavatione, ut pedelvis. Candelabrum a candela. ex heis enim funiculi ardentes figebantur. Lucerna poſt inventa, quæ dicta a luce, aut quod id vocant Græci λύχνον. Vaſa in menſa eſcaria, ubi pultem aut jurulenti quid ponebant: a capiendo Catinum nominaverunt. niſi quod Siculi dicunt κάτινον, ubi aſſa ponebant. Magidam aut Langulam, alterum a magnitudine, alterum ab latitudine finxerunt. Patinas a patulo dixerunt; ut puſillas, quod heis libarent cœnas patellas. Tryblia, & Caniſtra, quæ putant

esse Latina, sunt Græca. τρυβλίον καὶ κάνεον, Græca sunt. Reliqua, quod aperta sint; unde sint, relinquo. Mensam vinariam rotundam nominabant Cylibathum, ut etiam nunc in castreis. id videtur declinatum a Græco, ἀπὸ τοῦ κύλικος. qui illa capit, & minores Capulæ a capiendo; quod ansatæ, ut prehendi possint, id est capi. Harum figuras in vaseis sacreis ligneas & fictiles antiquas etiam nunc videmus. Præterea in poculeis erant Pateræ, eo quod pateant, Latine ita dictæ. Heisce etiam nunc in publico convivio, antiquitatis retinendæ causa, cum magistri fiunt, potio circumfertur; & in sacrificando Deeis, hoc poculo magistratus dat Deo vinum. Pocula a potione: unde Potatio; & etiam Poma, quod hæc poscunt potum. ἀπὸ τοῦ πότου Græca origo potionis. Aqua, quod æqua summa. Fons, unde funditur e terra aqua viva, ut fistula aquæ, fusus aquæ. Vas vinarium grandius, Sinum, ab sinu; quod sinum majorem cavationem, quam pocula, habebat. Item dicta Depesta etiam nunc in diebus sacreis, Sabineis vasa vinaria in mensa Deorum sunt posita. Apud antiquos scriptores Græcos inveni appellari poculi genus δεπέσκαν. Quare vel inde radices in agrum Sabinum & Romanum sunt profectæ. Quo vinum dabant, ut minutatim funderent, a gutteis Guttum appellarunt: & quo sumebant minutatim; a sumendo, Simpulum nominavere. In hujusce locum in conviviis e Græcia successit Epichysis, & Cyathus; in sacrificiis remansit guttum & simpulum. Altera vinaria mensa erat lapidea quadrata oblonga una columella; vocabatur Cartibulum. Hæc

in ædibus ad compluvium apud multos me puero ponebatur: & in ea, & cum ea ænea vasa: a gerendo Gertibulum, unde cartibulum post dictum. Præterea erat tertium genus mensæ, & quadratæ vasorum: vocaturque Urnarium; quod urnas cum aqua positas ibi potissimum habebant in culına. Ab eo etiam nunc ante balineum locus, ubi poni solebant urnæ, Urnarium vocatur. Urnæ dictæ, quod urinant in aqua haurienda, ut Urinator. Urinare est mergi in aquam. Imburum fictum ab urbo, quod ita flexum, ut redeat sursum versus: ut in aratro, quod est urbum. Calix, a caldo; quod in eo calda puls apponebatur, & calidum eo bibebant. Vas, ubi cibum coquebant, ab eo Cacabum appellarunt. Veru a versando. Ab sedendo appellantur Sedes, Sedile, Sedum, Sellæ, Seliquastrum. Deinde ab heis Subsellium. ut Subsipere, quod non plane sapit: sic quod non plane erat sella, subsellium dictum. ubi in ejusmodi duo, Bisellium dictum. Arca, quod arcentur fures ab ea clausa. Armarium & Armamentarium ab eadem origine, sed declinata aliter. Mundus muliebris dictus a munditia. Ornatus, quasi ab ore natus. hinc enim maxime sumitur, quod eam deceat. Itaque ob id paratur speculum. Calamistri, quod heis calefacteis in cinere capillus ornatur. Qui ea ministrabat, a cinere Cinerarius est appellatus. Discerniculum, quo discernitur capillus. Pecten, quod per eum explicatur capillus. Speculum, a speciendo: quod ibi spectant. Vestis a veleis: vel ab eo, quod vellus lana tonsa universa ovis. id dictum quod vellebant lanam: ex lana facta vestis. Et quod

capillum contineret, dictum a rete Reticulum. Rete ab raritudine. Item Texta, fasciola, qua capillum in capite colligarent. Dictum Capital a capite, quod sacerdotulæ in capite etiam nunc solent habere. Sic Rica a ritu; quod Romano ritu sacrificium feminæ cum faciunt, capita velant. Mitra, & reliqua fere in capite, postea addita cum vocabuleis Græceis. Prius de indutu aut amictu quæ sunt, tangam. Capitium ab eo, quod capit pectus, id est, ut antiqui dicebant, indutu comprehendit: alterum quod subtus, a quo Subucula; alterum quod supra, a quo Supparus. nisi quod id dicunt Osce. Alterius generis item duo: unum quod foris, ac palam, Palla; alterum quod intus, a quo Intusium. id quod Plautus dicit, Intusiatam, patagiatam caltulam, ac crocotulam. Multa post luxuria adtulit: quorum vocabula apparent esse Græca, ut ἄσβεστόν. Amictus est dictum Amjectum, id est circumjectum; a quo etiam, quod vestes se involvunt, Circumjectum appellant: & quod amictui habent purpuram circum, vocant Circumtextum. Antiquissimi amictui Ricinium, id quod eo utebantur duplici, ab eo quod dimidiam partem retrorsum jaciebant, ab reiciendo Ricinium dictum. Hinc quod facta duo simplicia paria, Parilia primo dicta: reclusum propter levitatem παραπλεκεία, χλαμύς: sic multa Græca. Læna, quod de lana multa: duarum enim togarum instar. ut antiquissimum mulierum, ricinium; sic hoc duplex, virorum. Instrumenta rustica, quæ serendi aut colendi fructus causa facta. Sarculum a serendo ac sarriendo. Ligo, quod eo, propter latitudinem, quod

ſub terra facilius legitur. Pala a pangendo; G in L mutatum quod fuit. Rutrum ut ruitum, a ruendo. Aratrum, quod aravit terram. Ejus ferrum Vomer, quod vomit eo plus terram. Dens, quod eo mordetur terra. Supra id regula quæ ſtat, Stiva, a ſtando: & in ea tranſverſa regula, Manicula, quod manu bubulci tenetur: qui quaſi eſt temo inter boves. Bura a bubus. alii hoc a curvo Curvum appellant. Sub jugo medio Covum, quod bura extrema addita appellatur, vocatur covum a cavo. Jugum & Jumentum a junctu. Irpices, regula cum pluribus dentibus, quam item ut plauſtrum boves trahunt, ut eruant, quæ in terra ſunt: Sirpices poſtea, S detrita, a quibuſdam dicti. Raſtelli, ut Irpices, ſerræ leves; itaque homo in prateis per feniſecia eo feſtucas abradit; quo ab raſu Raſtelli dicti. Raſtri, quibus dentalibus penitus eradunt terram atque eruunt, a quo & Rutabri dicti. Falces a farre, litera commutata. Hæ in Campania Seculæ, a ſecando. a quadam ſimilitudine harum, aliæ: & quod apertum, unde falces Fenariæ, & Adoreæ: & quod non apertum, unde Lumariæ falces, & ſirpiculæ. Lumariæ ſunt, quibus ſecant lumecta, cum in agreis ſerpunt ſpinæ. quas quod a terra agricolæ ſolvunt, id eſt luunt, Lumecta. Sirpiculæ vocatæ a ſirpando, id eſt ab alligando. ſic Sirpata dolia quaſſa cum alligata dicta. heis utuntur in vinea alligando faſces, inciſos fuſtes, facuias. has phancillas Cherſoneſice dicunt faſces. Pilum, quod eo far pinſunt. id ubi ſit, Piſtrinum. L & S inter ſe ſæpe commutant. Inde poſt in urbe Lucili piſtrina, & piſtrix. Trapetes mola

oleariæ vocantur. Trapetes a terendo, nisi Græcum. Molæ a molendo: harum enim motu eo conjecta moliuntur. Vallum a volatu, quod cum id jactant, volant inde levia. Ventilabrum, quo ventilatur in aere frumentum. Quibus comportantur fructus ac necessariæ res, de iis Fiscina a ferendo dicta. Corbes ab eo, quod spicas aliudve quid conruebant. Hinc minores corbulæ dictæ. De heis, quæ jumenta ducunt. Tragula ab eo, quod trahitur per terram. Sirpea, quæ virgeis sirpatur, id est colligando implicatur, in qua stercus aliudve quid evehitur. Vehiculum, in quo faba aliudve quid vehitur, quo ex viminibus uterentur, & quod eo vehitur; brevis veha Vehiculum dictum est. Ab aliis etiam dictum Arcera, quæ etiam in duodecim tabuleis appellatur. quod ex tabuleis vehiculum erat factum ut arca, Arcera dictum. Plaustrum ab eo, quod non, ut in heis, quæ supra dixi, sed ex omni parte palam est. quæ in eo vehuntur, quod perlucent, lapides, asseres, tignum. Ædificia nominata a parte, ut multa: ab ædibus, & faciendo. Maximum ædificium est Oppidum ab ope dictum; quod munitur opis causa, ubi sint; & quod opus est ad vitam gerendam, ubi habitent tuto; vel oppida, quod opere munibant moenia, quo munitius essent. Quod exaggerabant, Aggeres dicti, & quod aggerem contineret murus, quod muniendi causa manu parabatur, quo sepiebant oppidum; e quo munere Murus. Ejus summa, Pinnæ, ab heis quas insigniti milites habere in galeeis solent, & in gladiatoribus Samnites. Turres e torveis, quod hæ prospiciunt ante

alios. Qua viam relinquebant in muro, qua in oppidum portarent, Portas. Oppida condebant in Latio, Etrufco ritu multa, id eft, juncteis bubus tauro, & vacca interiore aratro circumagebant fulcum. Hoc faciebant religionis caufa die aufpicato, ut foffa, & muro effent munita. Terram unde exfcalpferant, Foffam vocabant; & introrfum factum murum. Poftea quod fiebat orbis, Urbs. Principium, quod erat poft murum, Pomerium dictum; ejufque ambitu aufpicia urbana finiuntur. Cippi pomerii ftant, & circum Ardolam Ardeam, & circum Romam. Quare & oppida, quæ prius erant circumducta aratro, ab orbe & urbo Urbes: & ideo coloniæ noftræ omnes in litereis antiqueis fcribuntur urbes; quod item conditæ, ut Roma: & ideo coloniæ; ut urbes conduntur, quod intra pomerium ponuntur. Oppidum, quod primum conditum in Latio ftirpis Romanæ Lavinium. nam ibi Dii penates noftri. Hoc a Latini filia, quæ conjuncta Æneæ, Lavinia appellata. Hinc poft triginta annos oppidum alterum conditur Alba; id ab fue alba cognominatum. Hæc e navi Æneæ cum fugiffet Lavinium, triginta parit porcos. Ex hoc prodigio poft Lavinium conditum anneis triginta, hæc urbs facta; propter colorem fuis, & loci naturam, Alba Longa dicta. Hinc mater Romuli Rhea; ex hac Romulus; hinc Roma. In oppido vici a via, quod ex utraque parte viæ funt ædificia. Fundulæ a fundo, quod exitum non habet, ac pervium non eft iter. Angiportum, & id anguftum, ab angendo, & portu. Quo conferrent fuas controverfias, & quæ vendere vellent,

& quo quæque ferrent, Forum appellarunt. Ubi quid generatim additum, ab eo cognomen; ut boarium forum, forum olitorium. hoc erat antiquum Macellum, ubi olerum çopia. ea loca etiam nunc Lacedæmonii vocant μακελλώτας: ſed Jones oſtia hortorum & caſtelli, μακέλλους. Secundum Tiberim ad Junium forum piſcarium vocant. Ideo ait Plautus, Apud piſcarium, ubi variæ res. Ad corneta forum cupedinis, a Cupedio: quod multi forum cupidinis, a cupiditate. Hæc omnia poſtquam contracta in unum locum, quæ ad victum pertinebant; & ædificatus locus; appellatum Macellum, ut quidam ſcribunt, quod ibi fuerit ortus: alii, quod ibi domus fuerit, cui cognomen fuit Macellus, quæ ibi publice diruta: e qua ædificatum hoc, quod vocatur ab eo macellum. In foro lacum Curtium a Curtio dictum conſtat. de eo triceps hiſtoria. nam & Procilius non idem prodidit, quod Piſo; nec quod is, C. Ælius Stilo ſecutus. A Procilio relatum, in eo loco dehiſſe terram, & ex ſenatuſconſulto ad haruſpices relatum, eſſe reſponſum Deum Manium Poſtulionem poſtulare, id eſt, civem fortiſſimum eodem mitti. tum quendam Curtium, virum fortem, armatum aſcendiſſe in equum, & a Concordiæ verſum, cum equo in eum præcipitatum. eo facto, locum coiſſe, atque ejus corpus divinitus humaſſe, & reliquiſſe genti ſuæ monumentum. L. Calpurnius Piſo in annalibus ſcribit, Sabino bello, quod fuit Romulo & Tatio, virum fortiſſimum Metium Curtium Sabinum, cum Romulus cum ſueis ex ſuperiore parte impreſſionem feciſſet, Curtium

in locum paluſtrem, qui tum fuit in foro, ante quam cloacæ ſint factæ, ſeceſſiſſe, atque ſuos in Capitolium recepiſſe. Ab eo lacum inveniſſe nomen. C. Ælius & Q. Lutatius ſcribunt, eum locum eſſe fulguratum, & ex ſenatuſconſulto ſeptum eſſe; idque factum eſſe a Curtio conſule, cui Marcus Genucius fuit collega, Curtium appellatum. Arx ab arcendo, quod is locus munitiſſimus urbis; a quo facillime poſſit hoſtis prohiberi. Carcer a coercendo, quod exire prohibentur. In hoc pars, quæ ſub terra, Tullianum: ideo quod additum a Tullio rege: quod Syracuſeis, ubi ſimili de cauſa cuſtodiuntur, vocantur Latomiæ; & de latomia translatum, quod heic quoque lapidicinæ fuerunt. Inde Lauretum, ab eo, quod ibi ſepultus eſt T. Tatius rex, qui a Laurentibus interfectus eſt. ab ſilva laurea, quod ea ibi exciſa, & ædificatus vicus. ut inter ſacram viam & macellum editum, Corneta a corneis, quæ abſciſſæ loco reliquerunt nomen. ut Eſculetum ab eſculo dictum, & Fagutal a fago: unde etiam, quod ibi ſacellum, Jovis Fagutalis. Armiluſtrum, ab ambitu luſtri locus. item Circus maximus dictus, quod circum ſpectaculeis ædificatus, ubi ludi fiunt; & quod ibi circum metas fertur pompa, & equi currunt. Itaque dictum in Cornicula millies adventu, quem circumeunt ludentes, Quid ceſſamus ludos facere? Circus noſter ecce adeſt. In circo primo, unde mittuntur equi, nunc dicuntur carceres: Nævius Oppidum appellat. Carceres dicti, quod coercentur equi, ne inde exeant ante, quam magiſtratus miſit: Oppidum, quod a muri parte pin-

neis turribusque carceres olim fuerunt. Scripsit poeta, Dictator ubi currum insidit, pervehitur usque ad oppidum. Intimus circus ad Murtium vocatus, ut Procilius ajebat, ab urceeis; quod is locus esset inter figulos. alii esse dicunt a murteto declinatum, quod ibi id fuerit. cujus vestigium manet, quod ibi sacellum etiam nunc Murtiæ Veneris. Item simili de causa circus Flaminius dicitur, qui ædificatus est circum Flaminium campum; & quod ibi quoque ludeis Tauriceis circum metas currunt. Comitium ab eo, quod coibant eo comitiis curiateis, & litium causa. Curiæ duorum generum. nam & ubi curarent sacerdotes res divinas, ut curiæ veteres: & ubi senatus humanas, ut curia Hostilia, quod primus ædificavit Hostilius rex. Ante hanc Rostra, cujus id vocabulum, ex hostibus capta fixa sunt rostra. Sub dextra hujus a comitio locus substructus, ubi nationum subsisterent legati, qui ad senatum essent missi. Is Græcostasis appellatur a parte, ut multa. Senaculum supra Græcostasin, ubi ædes Concordiæ, & basilica Opimia. Senaculum vocatum, ubi senatus, aut ubi seniores consisterent, dictum, ut γερουσία apud Græcos. Lautolæ a lavando, quod ibi ad Janum Geminum aquæ calidæ fuerunt. Ab heis palus fuit in minore Valabro, a quo, quod ibi vehebantur lintribus, Velabrum; ut illud majus, de quo supra dictum est. Æquimelium, quod æquata Melii domus publice; quod regnum occupare voluit is. Locus ad busta Gallica, quod Roma recuperata, Gallorum ossa, qui possederunt urbem, ibi coacervata ac consita. Est locus, qui vocatur Do-

liola ad cloacam maximam, ubi non licet deſpuere, a dolioleis ſub terra. Eorum duæ traditæ hiſtoriæ; quod alii eſſe ajunt oſſa cadaverum :.alii Numæ Pompilii religioſa quædam poſt mortem ejus infoſſa. Argiletum ſunt qui ſcripſerunt ab Argo, ſeu quod is huc venit, ibique ſepultus ſit: alii ab argilla, quod ibi id genus terræ. Clivus Publicius, ab ædilibus plebei Publicieis, qui eum publice ædificarunt. Simili de cauſa Publilius vicus, & Coſconius vicus, quod ab heis vireis dicuntur ædificati. Clivus proximus ad florales uſus verſus. Capitolium vetus, quod ibi ſacellum Jovis, Junonis, Minervæ: & id antiquius, quam Ædis, quæ in Capitolio facta. Eſquiliis vicus Africus, quod ibi obſides ex Africa bello Punico dicuntur eſſe cuſtoditi. Vicus Ciprius a cipro: quod ibi Sabini cives additi conſederunt, qui a bono omine id appellarunt. Nam ciprum Sabine bonum. Prope hunc vicus Sceleratus dictus a Tullia Tarquinii Superbi uxore; quod, ibi cum jaceret pater occiſus, ſupra eum ut mitteret carpentum mulio, juſſit. Et quoniam vicus conſtat ex domibus, nunc earum vocabula videamus. Domus Græcum eſt, & ideo in ædibus ſacreis ante cællam, ubi ſedes Dei ſunt, Græci dicunt πρόδομον: quod poſt, ὀπισθόδομον. Ædeis ab aditu, quod plano pede adibant. Itaque ex ædibus efferri indictivo funere præco etiam eos dicit, qui e taberneis efferuntur; & omneis in cenſu villas inde dicimus Ædes. Cavum ædium dictum, qui locus tectus intra parietes relinquebatur patulus, qui eſſet ad communem omnium uſum. In hoc locus ſi nul-

lus relictus erat, ſub divo qui eſſet; dicebatur Teſtudo a teſtudinis ſimilitudine, ut eſt in prætorio in caſtreis. Si relictum erat in medio, ut lucem caperet: deorſum, quo impluebat, Impluvium dictum; & ſurſum, qua compluebat, Compluvium: utrumque a pluvia. Tuſcanicum dictum a Tuſceis, poſteaquam illorum cavum ædium ſimulare cœperunt. Atrium appellatum ab Atriatibus Tuſceis. illinc enim exemplum ſumptum. Circum cavum ædium erant uniuſcujuſque rei utilitatis cauſa parietibus diſſepta: ubi quid conditum eſſe volebant; a cælando Cællam appellarunt. Penariam, ubi penus. Ubi cubabant, Cubiculum: ubi cænabant, Cænaculum vocitabant: ut etiam nunc Lanuvii apud ædem Junonis, & in cetero Latio, ac Faleriis, & Cordubæ dicuntur. Poſteaquam in ſuperiore parte cænitare cœperunt; ſuperioris domus univerſa, Cænacula dicta. Poſteaquam ibi cænabant, plura facere cœperunt, ut in caſtreis ab hieme Hiberna. hibernum domus vocarunt: contra æſtivum.

Deſunt paginæ tres.

religionem Porcius deſignat, cum de Ennio ſcribens dicit eum coluiſſe Tutilinæ loca. Sequitur porta Nævia, quod in nemoribus Næviis. Nævius enim loca, ubi ea ſic dicta, coluit. Deinde porta Rauduſcula, quod ærata fuit. æs Raudus dictum; ex eo in veteribus mancupiis ſcriptum, Rauduſculo libram ferito. Hinc porta Lavernalis ab ara护Lavernæ, quod ibi ara ejus Deæ. Præterea intra muros video portas dici: in Palatio Mucionis, a mugitu, quod ea pecus in Bucitatum antiquum oppidum exigebant.

Alteram, Romanulam, quæ eſt dicta ab Roma; quæ habet gradus in navalia ad Volupiæ ſacellum. Tertia eſt Janualis dicta ab Jano; & ideo ibi poſitum Jani ſignum, & jus inſtitutum a Numa Pompilio, ut ſcribit in annalibus L. Piſo, ut ſit clauſa ſemper, niſi cum bellum ſit. Nuſquam traditum eſt memoriæ, Pompilio rege fuiſſe apertam: & poſt T. Manlio conſule, bello Carthaginienſi primo confecto; & eodem anno apertam. Super lectuleis origines, quas adverti, hæ. Lectica, quod legebant, unde eam facerent, ſtramenta atque herbas, ut etiam nunc ſit in caſtreis. lectos, ne eſſent in terra, ſublimes in heis ponebant. Niſi ab eo, quod Græci antiqui dicebant λέκτρον, lectum potius. quam lecticam quod involvebant, quod fere ſtramenta erant e ſegete, Segeſtriam appellant, ut etiam nunc in caſtreis. Niſi a Græceis. nam ϛέγαϛρον, ubi lectus mortui fertur, dicebant. feretrum noſtri, Græci φέρτρον καὶ φέρετρον. Poſteaquam tranſierunt ad culcitas, quod in ea ſagum, aut tomentum, aliudve quid calcabant, ab inculcando Culcita dicta: ac quidquid inſternebant, a ſternendo Stragulum appellabant. Pulvinar, vel a plumeis, vel a pelluleis declinarunt. Quibus operiebantur, Operimenta, & pallia, Opercula dixerunt. In heis multa peregrina, ut Sagum, Reno Galli quid gaunacumma ejus ſagum, & Amphimalon, Græca: contra Latinum Torale, quod ante torum, & Torus a torvo, quod is in promptu. ab hac ſimilitudine Torvinus in mulieris capite ornatus. Quia ſimplici ſcanſione ſcandebant in lectum non altum, Scabellum; in altiorem, Scamnum.

Duplicata ſcanſio, Gradus dicitur, quod geritur ab inferiore in ſuperiorem. Græca ſunt, Periſtromata & Peripetaſmata. ſic aliud aliquid item convivii cauſa ibi. Multa pecuniæ ſignatæ vocabula ſunt: æris & argenti hæc. As ab ære. Dupondius a duobus ponderibus, quod unum pondus Aſſipondium dicebatur. id ideo, quod As erat libræ pondus. deinde ab numero reliquum dictum uſque ad Centuſſis, ut as ſingulari numero. Ab tribus aſſibus Treſſis, & ſic proportione uſque ad Nonuſſis. In denario numero hoc mutat: quod primum eſt, ab decem aſſibus Decuſſis: ſecundum a duobus decuſſibus Biceſſis, quod dixi ſolum a duobus decuſſibus Biceſſis. Reliqua conveniunt, ut Triceſſis a tribus, ſic proportione uſque ad Centuſſis; quo majus æris vocabulum non eſt. Nam ducenti in proportione cum dicuntur, non magis aſſes, quam denarii aliæve res ſignificantur. Æris minima pars, Sextula, quod ſexta pars unciæ. Semuncia, quod dimidia pars unciæ. Se valet dimidium, ut in Selibra & Semodio. Uncia ab uno. Sextans ab eo, quod ſexta pars aſſis: ſicut Quadrans, quod quarta; & Triens, tertia pars. Semiſſis, quod ſemiæs, id eſt, dimidium aſſis, ut ſupra dictum eſt. Septunx a ſeptem & uncia concluſum. Reliqua obſcuriora, quod a deminutione: & ea, quæ deminuuntur, ita ſunt, ut extremas ſyllabas habeant. ut a duodecim una demta uncia, Deunx. Dextans, demto ſextante: Dodrans, demto quadrante. Bes, ut olim des, demto triente. In argento nummi id a Siculeis. Denarii, quod denos æris valebant. Quinarii, quod quinos. Seſter-

tius, quod ſemis tertius. Dupondius enim & ſemis antiquus ſeſtertius eſt: & veteris conſuetudinis, ut retro æra dicerentur, ita ut ſemis tertius, ſemis quartus pronuntiarent. Seſtertius igitur ab ſemis tertius dictus. Nummi denarii decuma libella, quod libram pondo as valebat, & erat ex argento parva. Sembella, quod ſit libellæ dimidium, quod ſemis aſſis. Teruncius a tribus unciis, ſembellæ quod valet dimidium: & eſt quarta pars, ſic ut quadrans, aſſis. Eadem pecunia vocabulum mutat. nam poteſt idem dici dos, arrabo, merces, corollarium. Dos erit pecunia, ſi nuptiarum cauſa data: hæc Græce δωτίνη, ita enim hoc Siculi: ab eodem Donum. Nam Græce ut ipſi δῶρον, ut alii δόμα, & ut Attici δόσις. Arrabo ſic dicta, ut reliquum reddatur. hoc verbum a Græco ἀῤῥαβών. Reliquum, ex eo, quod debitum reliquit. Damnum a demtione, cum minus re factum, quam quanti conſtat. Lucrum, ab luendo, ſi amplius, quam exoluerit quanti eſſet ceptum. Detrimentum, a detritu, quod ea, quæ trita, minoris pretii. Ab eadem Intertrimentum, ab eo, quod duo, quæ inter ſe trita & deminuta, a quo etiam Intrigo dicta, & Intertrigo. Multa, a pecunia, quæ a magiſtratu dicta, ut exigi poſſit ob peccatum. quod ſingulæ dicuntur appellatæ eſſe multæ, quod olim unum dicebant multa. Itaque cum in dolium aut culeum unum addunt ruſtici, prima urna addita, dicunt etiam nunc Multa. Pœna, a puniendo: vel a pœnitendo, quod poſt peccatum ſequitur. Pretium, quod æſtimationis, emtioniſve cauſa conſtituitur, dictum a periteis, quod hi ſo-

lum possunt facere recte id. Si quid datum pro opera aut opere, Merces, a merendo. Quod manu factum erat, & datum pro eo, Manupretium, a manibus & pretio. Corollarium, si additum præter quam quod debitum ejus. vocabulum fictum a corolleis: quod hæ, cum placuerant actores, in scena dari solitæ. Præda est ab hostibus capta, quod manu parta, ut parida præda. Præmium a præda, quod ob recte quid factum concessum. Si datur quod reddatur, Mutuum; quod Siculi μοῖτον. Ita scribit Sophron, μοῖτον ἀνατίθημον. & Munus, quod mutuo animo qui sunt, dant officii causa. Alterum munus, quod muniendei causa imperatum; a quo etiam Municipes, qui una munus fungi debent, dicti. Ea pecunia, quæ in judicium venit in litibus, Sacramentum a sacro. Qui petebat, & qui inficiabatur de aliis rebus, uterque quingentos æris ad pontem deponebant: de aliis rebus item certo alio legitimo numero assium. Qui judicio vicerat, suum sacramentum a sacro auferebat, victi ad ærarium redibat. Tributum dictum a tribubus, quod ea pecunia, quæ a populo imperata erat, tributim a singuleis pro portione census exigebatur. Ab hoc ea, quæ adsignata erat, Adtributum dictum. Ab eo quoque quibus adtributa erat pecunia, ut militi reddant, Tribuni ærarii dicti. Id quod adtributum erat, æs militare. hoc est, quod ait Plautus, Cedit miles, æs petit. Et hinc dicuntur milites ærarii, ab ære, quod stipendia facerent. Hoc ipsum Stipendium ab stipe dictum, quod æs quoque Stipem dicebant. Nam quod asses libræ pondo erant; qui accepe-

rant majorem numerum, non in arca ponebant; ſed in aliqua cælla ſtipabant, id eſt, componebant, quo minus loci occuparet. a ſtipando Stipem dicere cœperunt. Stipare ab στίβειν fortaſſe, Græco vocabulo. Id apparet, quod ut alias, tum inſtitutum etiam nunc, Diis cum theſaureis aſſes dant, ſtipem dicunt: & qui pecuniam alligat, Stipulari & Reſtipulari. Milites ſtipendiarii ideo, quod eam ſtipem pendebant. Ab eo Ennius ſcribit, Pœni ſtipendia pendunt. Ab eodem ære impendendo, Diſpenſator, & in tabuleis ſcribimus Expenſum, & inde prima Penſio, & ſic aut ſecunda, aut quæ alia. Et Diſpendium, ideo quod in diſpendendo ſolet minus fieri: Compendium, quod cum compenditur, una ſit. A quo uſura, quod in ſortem accedebat, Impendium appellatum: quæ cum accederet ad ſortem, ex uſu Uſura dicta, ut Sors, quod ſuum ſit ſorte. Per trutinam ſolvi ſolitum, veſtigium etiam nunc manet in æde Saturni, quod ea etiam nunc propter penſuram, Trutinam habet poſitam. Ab ære Ærarium appellatum.

Ad vocabula, quæ pertinere ſumus rati, ea quæ & loca, & ea quæ in loceis ſunt, ſatis arbitror dicta: quod neque parum multa ſunt aperta; neque, ſi amplius velimus, volumen patietur. Quare in proximo (ut in primo libro dixi) quod ſequitur de temporibus dicam.

M. TERENTII VARRONIS
DE LINGUA LATINA
AD
M. TULLIUM CICERONEM
LIBER QUINTUS.

ORIGINES verborum, quæ ſunt locorum, & quæ in heis, in priore libro ſcripſi. in hoc dicam de vocabuleis temporum, & earum rerum, quæ in agendo fiunt aut dicuntur cum tempore aliquo; ut ſedetur, ambulatur, loquitur. Atque ſi qua erunt ex diverſo genere adjuncta, potius cognationi verborum, quam auditori calumnianti geremus morem. Hujus rei auctor ſatis mihi Chryſippus, & Antipater; & illi, in quibus etſi non tantum acuminis, at plus literarum; in quo eſt Ariſtophanes, & Apollodorus. qui omnes verba ex verbeis ita declinari ſcribunt, ut verba literas alia adſumant, alia amittant, alia commutent: ut fit in turdo, in turdario, in turdelice. Sic declinantes Græci noſtra nomina, dicunt Lucianum, Λουκιανὸν, & Quintium, Κοίντιον: Ἀρίςαρχον illi, nos Ariſtarchum, & Δίωνα, Dionem. ſic, inquam, conſuetudo noſtra multa declinavit, ut a vetere vetuſtum, ab ſolo ſolum, ab li-

bero liberum, ab lasibus lares. quæ obruta vetustate, ut potero eruere conabor. Dicemus primo de temporibus, & quæ per ea fiunt. Sed ita, ut ante de natura eorum. ea enim dux fuit ad vocabula imponenda homini. Tempus esse dicunt intervallum mundi, & motus. Id divisum in parteis aliquot maxime ab solis & lunæ cursu. Itaque ab eorum tenore temperato Tempus dictum: unde Tempestiva, & a motu eorum, qui toto cælo conjunctus mundus Deo, motus casu venit. a quo tempus id ab hoc Deo dies appellatur. Meridies ab eo, quod medius dies. D antiqui non R in hoc loco dicebant, ut Præneste incisum in solario vidi, quod Cornelius in basilica Æmilia & Fulviæ inumbravit. Diei principium Mane, quod tum manat dies ab Oriente. Nisi potius quod bonum antiqui dicebant Manum. ad cujusmodi religionem Græci quoque, cum lumen adfertur, solent dicere, φῶς ἀγαθόν. Suprema, summum diei, id a supremo. hoc tempus duodecim tabulæ dicunt Occasum esse solis: sed postea lex Prætoria id quoque tempus jubet esse supremum, quo prætor in comitio supremam pronuntiavit populo. Secundum hoc dicitur Crepusculum, a crepero. id vocabulum sumserunt a Sabineis: unde veniunt Crepusci nominati Amiterno, quod eo tempore erant nati, ut Lucii prima luce in creatione. Crepusculum significat dubium; ab eo res dubiæ dictæ Creperæ, quod crepusculum, dies etiamnum sit, an jam nox, multeis dubium. Nox (ut Catulus ait) quod omnia, nisi interveniat sol, pruina obriguerint. quod nocet, nox, nisi quod

Græce νὺξ, nox. Cum ſtella prima exorta, Græci vocant ἕσπερον, noſtri Veſperuginem. ut Plautus, Neque veſperugo, neque vergiliæ occidunt. Exortæ ſtellæ tempus dictum a Græceis ἑσπέρα, Latine Veſper: ut ante ſolem ortum, quod eadem ſtella vocabatur Jubar, quod jubata. Pacuvius dicit, Paſtor exorto jubare, noctis decurſo itinere. Ennius, Ajax lumen jubarve in cælo cerno? Inter veſperuginem & jubar dicta nox. Intempeſta nox, ut in Bruto Caſſius, quod dicebat Lucretia, Nocte intempeſta noſtram devenit domum. Intempeſtam Ælius dicebat, cum tempus agendi eſt nullum: quod alii concubium appellarunt, quod fere omnes tunc cubarent: alii, ab eo quod ſileretur, Silentium noctis. Quod idem Plautus tempus Conticinium. ſcribit enim, Videbimus. factum volo: i, redito conticinio. Alter motus ſolis eſt, alter cæli, quod movetur a bruma ad ſolſtitium. Dicta bruma, quod breviſſimus dies eſt: Solſtitium, quod ſol eo die ſiſtere videatur; aut quod ſol ad nos verſum, proximum eſt ſolſtitium. Cum venit in medium ſpatium inter brumam & ſolſtitium, quod dies æquus ſit ac nox, Æquinoctium dictum. Tempus a bruma ad brumam dum ſol redit, vocatur annus; quod ut parvuli circuli annuli, ſic magni dicebantur circites anni: unde Annus. hujus temporis pars Hiemps, quod tum multi himbres. hinc Hibernacula, Hibernum: vel quod tum anima, quæ flatur, omnium apparet, ab hiatu hiemps. Tempus ſecundum, Ver; quod tum virere incipiunt virgulta, ac vertere ſe tempus anni. niſi quod Jones di-

cunt βῆρ. Tertium, ab æſtu, Æſtas. hinc Æſtivum. Niſi forte a Græco αἴθεσθαι. Quartum, Auctumnus.

Multa deſunt.

ab ſole: ſic menſis a lunæ motu dictus, dum ab ſole profecta, rurſus redit ad eum luna, quod Græce olim dicta μήνη, unde illorum μῆνες. ab eo noſtri. A menſibus Intermeſtris dictus; quod putabant inter prioris menſis ſeneſcentis extremos dies, & novam lunam, eſſe diem, quem diligentius Attici ἕνην καὶ νέαν appellarunt; ab eo, quod ea die poteſt videri extrema & prima luna. Luſtrum nominatum tempus quinquennale, a luendo, hoc eſt ſolvendo: quod quinto quoque anno veſtigalia & ultro tributa per cenſores perſolvebantur. Seculum, ſpatium annorum centum vocarunt: dictum a ſene, quod longiſſimum ſpatium ſeneſcendorum hominum id putarunt. Ævum ab ætate omnium annorum: hinc Æviternum, quod factum eſt Æternum. Id ait Chryſippus eſſe αἰῶνα. Ab eo Plautus, Non omnis ætas ad perdiſcendum eſt ſatis. hinc poetæ, Æterna templa cæli. A cæli naturali diſcrimine civilia vocabula dies acceſſerunt. Dicam prius, qui Deorum cauſa, tum qui hominum, ſint inſtituti. Dies Agonales, per quos rex in regia arietem immolat, dicti ab agone; eo quod interrogatur a principe civitatis, & princeps gregis immolatur. Carmentalia nominantur, quod ſacratum & feriæ Carmentis. Lupercalia dicta, quod in lupercali luperci ſacra faciunt. Rex cum ferias menſtruas Noneis Februarieis edicit, hunc diem Februatum appellat. Februum Sabini purgamentum, & id in

ſacreis noſtreis verbum. Nam & Lupercalia Februatio, ut in antiquitatum libreis demonſtravi. Quirinalia a Quirino, quod ei Deo feriæ, & eorum hominum, qui fornacalibus ſueis non fuerunt feriati. Feralia ab infereis, & ferendo: quod ferunt tum epulas ad ſepulcrum, quibus jus ibi parentare. Terminalia, quod is dies anni extremus conſtitutus. Duodecimus enim menſis fuit Februarius, & cum intercalatur, inferiores quinque dies duodecimo demuntur menſe. Equiria, ab equorum curſu. Eo enim die currunt equi in campo Martio. Liberalia dicta, quod per totum oppidum eo die ſedent ſacerdotes Liberi, hedera coronatæ anus cum libeis & foculo pro emtore ſacrificantes. In libreis Saliorum, quorum cognomen Agonenſium, forſitan hic dies ideo appellatur potius Agonia. Quinquatrus: hic dies unus a nominis errore obſervatur, proinde ut ſint quinque dictus ab Tuſculaneis: poſt diem ſextum Eidus ſimiliter vocatus Sexatrus; & poſt diem ſeptimum, Septimatrus: ſic hic, quod erat poſt diem quintum Eidus, Quinquatrus. Tubiluſtrum appellatur, quod eo die in atrio ſutorio ſacrorum tubæ luſtrantur. Megaleſia dicta a Græceis, quod ex libris Sibyllineis arceſſita ab Attalo rege Pergami prope murum Megaleſion, ubi templum ejus Deæ, unde advecta Romam. Fordicidia a fordeis bubus. bos Forda, quæ fert in ventre; quod ea die publice immolantur boves prægnantes in curiis complureis. A fordeis cædendeis Fordicidia dicta. Palilia dicta a Pale, quod & feriæ ei Deæ fiunt, ut Cerealia a Cerere, Vinalia a vino. Hic

dies Jovis, non Veneris. Hujus rei cura non levis in Latio. nam aliquot loceis vindemiæ primum a ſacerdotibus publice fiebant, ut Romæ etiamnunc. nam flamen Dialis auſpicatur vindemiam: & ut juſſit vinum legere, agna Jovi facit, inter cujus exta cæſa & porrecta flamen prorſus vinum legit. In Tuſculaneis ſacreis eſt, Vinum novum ne vehatur in urbem ante quam vinalia kalentur. Robigalia dicta ab Robigo. ſecundum ſegetes huic Deo ſacrificatur, ne rubigo occupet ſegetes. Dies Veſtalia, ut virgines Veſtales Veſtæ ſacrificent. Quinquatrus Minuſculæ dictæ Juniæ Eidus ab ſimilitudine Majorum, quod tibicines tum feriati per urbem vagantur, & conveniunt ad ædem Minervæ. Dies Fortis Fortunæ appellatus ab Servio Tullio rege, quod is fanum Fortis Fortunæ ſecundum Tiberim extra urbem Romam dedicavit Junio menſe. Dies Populi Fugia videtur nominatus, quod eo die repente tumultu fugerit populus. non multo enim poſt hic dies, quam deceſſus Gallorum ex urbe: & qui tum ſub urbe populi, ut Ficuleates ac Fidenates, & finitimi alii, contra nos conjurarunt. Aliquot hujus diei veſtigia fugæ in ſacreis apparent. de quibus rebus antiquitatum libri plura referunt. Nonæ Caprotinæ, quod eo die in Latio Junoni Caprotinæ mulieres ſacrificant, & ſub caprifico faciunt, & e caprifico adhibent virgam. Ob hoc toga prætexta data eis. * Apollinaribus ludeis docui populum. * Neptunalia a Neptuno. ejus enim Dei feriæ. Furinalia a Furina, quod ei Deæ feriæ publicæ dies is, cujus Deæ honos apud antiquos.

Nam ei ſacra inſtituta annua, & flamen adtributus: nunc vix nomen notum pauceis. Portumnalia dicta a Portumno, cui eo die ædes in portu Tiberino facta, & feriæ inſtitutæ. Vinalia Ruſtica dicuntur ante diem duodecimum Kalendas Septembris; quod tum Veneri dedicata ædis, & orti ejus tutelæ adſignantur, ac tum ſunt feriati olitores. Conſualia dicta a Conſo, quod tum feriæ publicæ ei Deo, & in circo ad aram ejus ab ſacerdotibus fiunt ludi illi, quibus virgines Sabinæ raptæ. Volcanalia a Volcano, quod ei tum feriæ, & quod eo die populus pro ſe in ignem animalia mittit. Opeconſiva dies ab Dea Opeconſiva, cujus in regià ſacrarium; quod ideo actum, ut eo præter virgines Veſtales, & ſacerdotem publicum, introeat nemo. Is cum eat, ſuffibulum haud habeat: ſcriptum id dicitur, ut a ſuffiendo ſubligaculum. Vortumnalia a Vortumno, cujus feriæ Octobri menſe. Meditrinalia dies dictus a medendo; quod, ut Flaccus flamen Martialis dicebat, hoc die ſolitum vinum novum & vetus libari & deguſtari medicamenti cauſa. Quod facere ſolent etiam nunc multi, cum dicant, Novum vetus vinum bibo: novo veteri morbo medeor. Fontinalia a fonte, quod is dies feriæ ejus. ab eo autem tum, & in fontes coronas jaciunt, & puteos coronant. Armiluſtrium, ab eo quod in armiluſtrio armati ſacra faciunt. Niſi locus potius dictus ab heis. ſed quod de heis prius. Id ab luendo, aut luſtro, id eſt, quod circumibant ludentes ancilibus armati. Saturnalia dicta ab Saturno, quod eo die feriæ ejus. ut poſt diem tertium

Opalia, Opis. Angeronalia ab Angerona, cui sacrificium fit in curia. Accalia feriæ publicæ Laurentinæ is dies, quem quidam in scribendo Laurentalia appellant; ab Acca Laurentia nominatus, cui sacerdotes nostri publice parentant sexto die, qui atra dicitur, & dicunt hunc diem Tarentini Accas Tarentinas. Hoc sacrificium fit in Velabro, qua in novam viam exitur, ut ajunt quidam, ad sepulcrum Accæ: ut quod ibi prope faciunt Diis manibus servilibus sacerdotes. qui uterque locus extra urbem antiquam fuit, non longe a porta Romanula, de qua in priori libro dixi. Dies Septimontium nominatus ab heis septem montibus, in queis sita Urbs est. Feriæ, non populi, sed montanorum modo, ut Paganalibus, qui sunt alicujus pagi. De statutis diebus dixi, nunc de annalibus dicam. Compitalia, dies adtributus laribus, ut alibi: ideo ubi viæ competunt, tum in compiteis sacrificatur; quotanneis is dies concipitur. Similiter Latinæ feriæ dies conceptivus dictus a Latineis populeis, quibus ex Albano monte ex sacreis carnem petere fuit jus cum Romaneis: a quibus Latineis Latinæ dictæ. Sementinæ feriæ, dies is, qui a pontificibus dictus; appellatus a semente, quod sationis causa susceptæ. Paganicæ, ejusdem agriculturæ causa susceptæ, ut haberet in agreis omnis pagus: unde paganicæ dictæ sunt. Præterea feriæ Conceptivæ, quæ non sunt annales; ut hæ, quæ dicuntur sine proprio vocabulo, aut cum perspicuo, ut Novendialis. De heis diebus nunc jam, qui hominum causa constituti, videamus. Primi dies mensium nominati Kalendæ,

ab eo, quod heis diebus kalentur ejus mensis Nonæ a pontificibus, quintanæne an septimanæ sint futuræ, in Capitolio in curia Kalabra sic dictæ, Quinque kalo Juno Novella. Septem kalo Juno Novella. Nonæ appellatæ, aut quod ante diem nonum Eidus semper, aut quod ut novus annus Kalendæ Januariæ ab novo sole appellatæ, novus mensis, nova luna Noneis. Eodem die enim in urbem ab agreis ad regem conveniebat populus. Harum rerum vestigia apparent in sacreis Nonalibus in arce; quod tunc ferias primas menstruas, quæ futuræ sint eo mense, rex prædicit populo. Eidus ab eo, quod Tusci Itus, vel potius quod Sabini Eidus dicunt. Dies postridie Kalendas, Nonas, Eidus appellati atri; quod per eos dies novi inciperent. Dies Fasti, per quos prætoribus omnia verba sine piaculo licet fari. Comitiales dicti, quod tum esset populus constitutus ad suffragium ferendum. nisi si quæ feriæ conceptæ essent, propter quas non liceret: ut Compitalia, & Latinæ. Contrarii horum vocantur dies Nefasti, per quos dies nefas fari prætorem: Do, dico, addico. Itaque non potest agi. Necesse est aliquo eorum uti verbo, cum lege quid peragitur. Quod si tum imprudens id verbum emisit, aut quem manumisit, ille nihilominus est liber, sed vitio: ut magistratus vitio creatus, nihilo secius magistratus. Prætor, qui tum fatus est, si imprudens fecit, piaculari hostia facta piatur: si prudens dixit, Quintus Mucius abnegabat eum expiari, & ut impium non posse dicebat. Intercisi dies sunt, per quos mane & vesperi est nefas, medio tempore

inter hostiam cæsam & exta porrecta fas: a quo quod fas tum intercedit, intercisi dies, aut quod tum intercisum, nefas. Dies qui vocatur sic, Quando rex comitiavit, fas: dictus ab eo, quod eo die rex sacrificulus dicat ad comitium, Ad quod tempus est nefas, ab eo fas. Itaque post id tempus lege actum sæpe. Dies qui vocatur, Quando stercus delatum, fas: ab eo appellatus, quod eo die ex æde Vestæ stercus everritur, & per Capitolinum clivum in locum defertur certum. Alliensis dies ab Allia fluvio dictus. nam ibi exercitu nostro fugato, Galli obsederunt Romam. Quod ad singulorum dierum vocabula pertineat dixi. Mensium nomina sunt aperta fere, si a Martio, ut antiqui instituerunt, numeres. Nam primus a Marte. Secundus (ut Fulvius Flaccus scribit, & Junius Gracchus) a Venere, quod ea sit Ἀφροδίτη. cujus nomen ego, antiqueis litereis, quod nusquam inveni, magis puto dictum, quod ver omnia aperit, Aprilem. Tertius, a majoribus, Majus. Quartus, a junioribus, Junius. Dehinc quintus Quintilis, & sic deinceps usque ad Decembrem a numero. Ad hos qui additi, prior a Principe Jano Januarius appellatus. Posterior, ut iidem dicunt scriptores, ab Diis infereis Februarius appellatus, quod tum heis parentetur. Ego magis arbitror Februarium a die februato, quod tum Februatur populus, id est, luperceis nudeis lustratur antiquum oppidum Palatium, gregibus cinctum.

Quod ad temporum vocabula Latina attinet, hactenus sit satis dictum. Nunc quod ad eas res attinet, quæ in tempore aliquo fieri animadverterim,

dicam. ut hæc ſunt: Legiſti currens, ludens. De queis duo prædicere volo, quanta ſit multitudo eorum, & quæ ſint obſcuriora, quam alia. Cum verborum declinantium genera ſint quatuor: unum, quod tempora adſignificat, neque habet caſus, ut ab lego, legis: alterum, quod caſus habet, neque tempora adſignificat, ut ab lego, lectio, & lector: tertium, quod habet utrumque, & tempora & caſus, ut ab lego, legens, lecturus: quartum, quod neutrum habet, ut ab lego, lecte, lectiſſime: horum verborum ſi primigenia ſunt ad mille (ut Coſconius ſcribit) ex eorum declinationibus verborum diſcrimina quingenta millia eſſe poſſunt: ideo quia ſinguleis verbeis primigeniis circiter quingentæ ſpecies declinationibus fiunt. Primigenia dicuntur verba, ut lego, ſcribo, ſto, ſedeo; & cetera, quæ non ſunt ab aliquo verbo, ſed ſuas habent radices. Contra, verba declinata ſunt, quæ ab aliquo oriuntur, ut ab lego, legis, legit, legam, & ſic itidem hinc permulta. Quare ſi quis primigeniorum verborum origines oſtenderit, ſi ea mille ſunt, quingentûm millium ſimplicium verborum cauſas aperuit una. In nulleis tamen, qui ab eis reliqua orta oſtenderit, ſatis dixerit de origine verborum; cum unde nata ſint principio erant pauca, quæ inde nata ſunt, innumerabilia. A quibus iiſdem principiis, antepoſiteis præverbiis pauceis, immanis verborum accedit numerus, quod præverbiis additeis, atque commutateis aliud atque aliud fit. Ut enim ceſſit atque receſſit, ſic acceſſit & abſceſſit: item inceſſit & exceſſit, ſic ſucceſſit, & deceſſit,

& concessit, & præcessit. Quod si hæc decem solum præverbia essent, quoniam ab uno verbo declinatione quingenta discrimina fierent, heis decemplicateis conjuncto præverbio, ex uno quinque millia numero efficerent: ex mille ad quinquagies centum millia discrimina fieri possunt. Democritus, secuti & item alii, qui infinita principia dixerunt. quæ unde sint, non dicunt, sed cujusmodi sint. faciunt tamen magnum, quod quæ ex heis constant in mundo, ostendunt. Quare si etymologia principia verborum postulet mille, de quibus ratio ab se non poscatur; & reliqua ostendat, quod non postulat: tamen immanem verborum expediet numerum. De multitudine quoniam, quod satis esset, admonui, de obscuritate pauca dicam. Verborum, quæ tempora adsignificant; ideo locus difficillimus est τά τινα, quod neque heis fere societas cum Græca lingua, neque vernacula ea, quorum repertum memoria adfuerit nostra. de quibus, ut dixi, quæ poterimus. incipiam hinc. Primum, quod dicitur ago: Actio ab agitatu facta. Hinc dicimus, Agit gestum tragœdus, & Agitantur quadrigæ. Hinc Agitur pecus pastum, qua vix agi potest. Hinc Angiportum, quia nihil in eo potest agi. Hinc Angulus, quod in eo locus angustissimus, cujus loci is angulus. Actionum trium, primus agitatus mentis; quod primum ea, quæ sumus acturi, cogitare debemus; deinde tum dicere, ac postremo facere. De heis tribus minime putat volgus esse actionem cogitationem: tertium, in quo quid facimus, id maximum. Sed & cum hoc agitamus, quid & in eam

rem cogitamus, in mente agimus; & cum pronuntiamus, agimus. Itaque ab eo orator dicitur agere causam: & augures agere augurium dicuntur, cum in eo plura dicant, quam faciant. Cogitare a cogendo dictum. mens plura in unum cogit, unde deligere possit. Sic e lacte coacto Caseus nominatus. sic ex hominibus Concio dicta: sic Coactio, sic Compitum nominatum. A cogitatione Concilium; unde Consilium: quod ut vestimentum apud fullonem cum cogitur, Consiliari dicitur. Sic Reminisci, cum ea, quæ tenuit mens ac memoria, cogitantur, & cogitando repetuntur. Hinc etiam Comminisci dictum, a con & mente; cum finguntur in mente, quæ non sunt: & ab hoc illud, quod dicitur Reminiscor, cum commentum pronuntiatur. Ab eadem mente Meminisse dictum: & Amens, quod a mente sua discedit. Hinc etiam Metuo, mentem quodammodo motam amoveo. sic quod frigidus timor est, Tremuisti, id est, timuisti. Tremo dictum a similitudine vocis, quæ tunc, cum valde timetur, apparet. tum etiam in corpore pili, ut arista in spica hordei Horrent. Curare a cura dictum. Cura, quod cor urat. Curiosus, qui hac præter modum uritur. Recordari, rursus in cor revocare. Curia, ubi senatus rempublicam curat: illa etiam Curia dicitur, ubi cura sacrorum publica; ab heis Curiones. Volo a voluntate dictum, & a volatu, quod animus ita est, ut puncto temporis pervolet, quo volt. Libere a labendo dictum, quod ut lubrica mens prolabitur, ut dicebant olim. A libendo Libido, Libidinosus: sic alia, ut Libentina. Metuere

a quodam motu animi, cum id, quod malum casurum putat, refugit mens. Cum vehementius in movendo, ut ab se abeat, & foras fertur, Formido. Cum pavet, ab eo Pavor. Meminisse, a memoria; cum id, quod remansit in mente, in id rursus movetur: quæ a manando, ut Manimoria potest esse dicta. Itaque Salii, qui cantant Mamurium Veturium, significant veterem memoriam. Monere ab eadem, quod is, qui monet, proinde sit ac memoria. sic Monimenta, quæ in sepulcreis. Et ideo secundum viam; quo prætereunteis admoneant & se fuisse, & illos esse mortaleis. Ab eo cetera, quæ scripta ac facta memoriæ causa, Monimenta dicta. Mærere a marcere, quod mærore corpus marcescere videatur. hinc etiam Macri dicti. Lætari ab eo, quod latius gaudium propter magni boni opinionem diffusum. Itaque Terentius ait, Gaudia sua si omnes homines conferant unum in locum, tamen mea exsuperet lætitia. Sic cum se habent læta. Narro, cum alterum facio narrum: a quo Narratio, per quam cognoscimus rem gestam, quæ pars agendi est.

Desunt quædam.

Adjicienda & hæc, quæ aut conjuncta cum temporibus, aut ab heis. eorum hoc genus videntur etyma. Fatur is, qui primum homo significabilem ore emittit vocem. Ab eo, ante quam ita faciant pueri, dicuntur Infantes; cum id faciunt, jam fari: cum hoc vocabulum a similitudine vocis pueri, ac Fatuus fari id dictum. Ab hoc tempore, quod tum puereis constituant Parcæ fando, dictum Fa-

tum, & res Fatales. Ad hæc eandem vocem qui facile fantur, Facundi dicti: qui futura prædivinando solent fari, Fatidici dicti. iidem Vaticinari; quod vesana mente faciunt. Sed de hòc postea erit usurpandum, cum de poeteis dicemus. Hinc Fasti dies, quibus certa verba legitima sine piaculo prætoribus licet fari. Ab hoc Nefasti, quibus diebus ea fari jus non est: &, si fati sunt, piaculum faciunt. Hinc effata dicuntur, quod augures finem auspiciorum cælestium extra urbem agreis sunt effati. hinc effari templa dicuntur ab auguribus: adfatus, qui in heis fines sunt. Hinc Fana nominata, quod pontifices in sacrando fati sunt finem. hinc Profanum est, quod ante fanum, id est conjunctum fano: hinc Profanatum, quod in sacrario pollutum. Atque inde Herculi decuma data ab eo est, quod sacrificio quodam Fanatur, id est, ut fani lege sit, id dicitur. Pollutum, quod a porriciendo est fictum. Cum enim ex mercibus libamenta porrecta sunt Herculi in ara, tum pollutum est: ut cum Profanum dicitur, id est proinde ut sit fani factum. Itaque ubi olim fano consumebatur omne quod profanum erat, ut etiam fit: quod prætor urbanus quotanneis facit, cum Herculi immolat publice juvencam. Ab eodem verbo fari, Fabulæ, ut tragœdiæ & comœdiæ, dictæ. Hinc Fassi, & Confessi, qui fati id quod ab heis quæsitum. Hinc Professi; hinc Fama, & Famosi. Ab eodem Falli, Falsum, & Fallacia: quæ propterea, quod fando quem decipit, ac contra quam dixit, faciat. Itaque si quis re fallit, in hoc non proprio nomine

fallacia, ſed translatione. ut a pede noſtro pes lecti, ac pes betæ. Hinc etiam Famiger, Affabile, & ſic compoſita alia item, ut declinata multa, in quo & Fatuus & Fatue. Loqui ab loco dictum: quod qui primo dicitur fari, & vocabula & reliqua verba dicit, ante quam ſuo quiſque loco ea dicere poteſt. Hunc Chryſippus negat loqui, ſed ut loqui: quare ut imago hominis non ſit homo, ſic in corveis, cornicibus, puereis primitus incipientibus fari, verba non eſſe verba, quod non loquantur. Igitur is loquitur, qui ſuo loco quodque verbum ſciens ponit: & iſtum Prolocutum dicimus, cum, animo quod habuit, extulit loquendo. Hinc etiam amplius dicuntur Eloqui ac Reloqui in faneis Sabineis e cælla Dei, qui eloquuntur. hinc dictus Loquax, qui nimium loquitur: hinc Eloquens, qui copioſe loquitur: hinc Colloquium, cum conveniunt in unum locum loquendi cauſa. Hinc Adlocutum mulieres ire ajunt, cum eunt ad aliquam locutum conſulendi cauſa. hinc quidam Loquelam dixerunt, verbum, quod in loquendo efferimus. Concinne loqui dictum a concinne, ubi inter ſe conveniunt partes, & inter ſe reſpondent aliud alii. Pronuntiare dictum & Nuntiare. Pro idem valet, quod ante, ut in hoc Proludit. Ideo actores pronuntiare dicuntur, quod proſcenio pronuntiant poeta cogitante: quod maxime tum dicitur proprie, novam fabulam cum agunt. Nuntius eſt enim ab heis rebus nominatus, quod a Græco verbo νέος videri poteſt declinatum: ab ea quidem Græca voce Neapolis, νέα πόλις, ab antiqueis noſtreis

vocitata: a quo etiam extremum Novissimum quoque dici cœptum volgo: quod mea memoria, ut Ælius Gallus, sic senes aliquot, nimium novum verbum quod esset, vitabant. Cujus origo, ut a vetere vetustius, ac veterrimum; sic a novo declinatum novius, & novissimum, quod extremum. Sic ab eadem origine Novitas, Novicius, & Novalis; & sub noveis, dicta pars in foro ædificiorum. quod vocabulum ejus pervetustum, ut novæ viæ, quæ via jamdiu vetus. Ab eo quoque potest dictum nominare, quod res novæ in usum quomodo additæ erant: quibus ea novissent, nomina ponebant. Ab eo nuncupare, & nuncupatæ res, quod tum in civitate vota nova suscipiuntur. Nuncupare, nominare valere, apparet in legibus, ubi nuncupatæ pecuniæ sunt scriptæ. Item in choro, in quo est, Ænea, quis est, qui meum nomen nuncupat? Item in Medea, Quis tu es, mulier, quæ me insueto nuncupasti nomine? Dico, originem habet Græcam, quod Græci δικάζω. hinc Ennius, Dico, qui hunc dicare cupit. hinc Judicare, quod tunc jus dicatur: hinc Judex, quod jus dicat accepta potestate, id est, quibusdam verbeis dicendo finit. Sic enim ædis sacra a magistratu pontifice præeunte dicendo dedicatur. Hinc ab indicando Indicium: hinc illa, Indicit illum: indixit funus: Prodixit diem: Addixit judicium. Hinc appellatum Dictum in mimo, ac Dictiosus. hinc in manipuleis castrensibus Dicta ducibus. Hinc Dictata in ludo: hinc Dictator magister populi, quod is a consule debet dici: hinc antiqua illa, Dicis immo, & Dicis causa, & Addictus (si dico quid

ſcienti quod det, quod ignoràvit trado.) Hinc Doceo declinatum: vel quod cum docemus, dicimus; vel quod qui docentur, inducantur in id, quod docentur: ab eo, quod ſit ducere, qui eſt Dux, aut Ductor, qui ita inducit, ut doceat. Ab docere Diſciplina, & Diſcere, litereis commutateis pauceis. Ab eodem principio Documenta, quæ exempla docendi cauſa dicuntur. Diſputatio, & Computatio, cum præpoſitione, a Putando, quod valet purum facere. Ideo antiqui purum Putum appellarunt. Ideo Putator, quod arbores puras facit. Ideo Ratio putari dicitur, in qua ſumma ſit pura. Sic is ſermo, in quo pura diſponuntur verba, ne ſit confuſus, atque ut diluceat, dicitur Diſputare. Quod dicimus, Differit parteis, item areas, translatitio æque ex agreis verbo utimur. Nam ut olitor differit in areas ſui cujuſque generis res, ſic in oratione qui facit, Diſertus. Sermo, opinor, eſt a ſerie: unde Serta, & in veſtimento Sartum, quod comprehenſum. Sermo enim non poteſt in uno homine eſſe ſolo, ſed ubi oratio cum altero conjuncta. Sic Conſerere manum dicimur cum hoſte: ſic ex jure manu conſertum vocare. Hinc Adſerere manu in libertatem, cum prehendimus. Sic augures dicunt, Si mihi auctor es verbi. nam manu adſerere dicit.

Deſunt quædam.

Hinc etiam ipſi Conſortes, ad quos eadem ſors. hinc Sortes, quod in heis juncta tempora cum hominibus ac rebus. Ab heis Sortilegi. Ad hoc pecunia, quæ in fenore, ſors eſt, impendium quod inter ſe jungat. Legere dictum, quod legantur ab ocu-

leis literæ. Ideo etiam Legati, quod ut publice mittantur, leguntur. Item a legendo Leguli, qui oleam aut uvas legunt. Hinc Legumina in frugibus variis: Leges etiam, quæ lectæ, & ad populum latæ, quas observet. Hinc Legitima; & Collegæ, qui una lecti; & qui in eorum locum suppositi, Sublecti; Additi, Adlecti. & Collecta, quæ ex pluribus loceis in unum lecta. Ab legendo Ligna quoque, quod ea caduca legebantur in agro, quibus in focum uterentur. Itidem ab legendo Legio, & Diligens, & Delectus. Murmuratur, dictum a similitudine sonitus. Qui murmurat, ita leviter loquitur, quod magis id sono facere, quam ut intelligatur, videatur. Hinc etiam poetæ murmurantia litora. Similiter Fremere, Gemere, Clamare, Crepare, ab vocis similitudine & sonitus dicta. Hinc illa, arma Sonant, Fremor oritur: nil me Increpitando commoves. Vicinaque horum, Quiritare, Jubilare. Quiritare dicitur is, qui Quiritium fidem clamans implorat. Quirites a Curensibus, & ab iis, qui cum Tatio rege in societatem venerunt, & donati civitate. Ut Quiritare, urbanorum, sic Jubilare, rusticorum. Itaque hos imitatus Aprissius ait in Bacche, Quis me jubilat? Vicinus tuus antiquus. Sic Triumphare appellatum, quod cum imperatore milites redeuntes clamitant per urbem in Capitolium eunti, Io triumphe, io. Idque a θριάμβω Græco Liberi patris cognomento potest dictum esse. Spondere est dicere. Spondeo, a sponte. nam id valet, & a voluntate. Ideo Lucilius scribit de Cretea, Cum ad se cubitum venerit sua voluntate, spon-

te ipſam ſuapte adductam, ut tunicam & cetera rejiceret. Eandem voluntatem Terentius ſignificat, cum ait, Satius eſſe ſua ſponte recte facere, quam alieno metu. Ab eadem ſponte, a qua dictum ſpondere, declinatum ſpondet, & Reſpondet, Deſponſor, & Sponſa, item ſic alia. Spondet enim, qui dicit ſua ſponte, ſpondeo. ſpondet etiam ſponſor, qui idem ut faciat, obligatur. hinc Sponſus, Conſponſus. hoc Nævius ſignificat, cum ait, Conſponſi. Spondebatur pecunia, aut filia nuptiarum cauſa: appellabatur & pecunia, & quæ deſponſa erat, Sponſa. quæ pecunia inter ſe contra ſponſum rogata erat, dicta Sponſio. cui deſponſa quod erat, Sponſus. quo die ſponſum erat, Sponſalis. qui ſpoponderat filiam, Deſpondiſſe dicebatur; quod de ſponte ejus, id eſt voluntate, exierat. Non enim ſi volebat, dabat, quod ſponſu erat alligatus. Nam in comœdiis vides dici, Sponden' tuam gnatam filio uxorem meo? quod tum & prætorium jus ad legem, & cenſorium judicium ad æquum æſtimabatur. Sic Deſpondiſſe animum quoque dicitur, ut deſpondiſſe filiam; quod ſuæ ſpontis ſtatuerat finem. a qua Sponte dicere, cum ſpondere quoque dixerunt, cum a ſponte reſponderetur, id eſt, ad voluntatem rogantis. Itaque qui ad id, quod rogatur, non dicit, non reſpondet: ut non ſpondet ille ſtatim, qui dixit ſpondeo, ſi jocandi cauſa dixit: neque agi poteſt cum eo ex ſponſu. Ita quiſquis dicit in tragœdia, Meminiſtine te deſpondere mihi gnatam tuam? quod ſine ſponte ſua dixit, cum eo agi non poteſt ex ſponſu. Etiam Spes

a ſponte poteſt eſſe declinata, quod tum ſperat, cum quod volt, ſic fieri putat. nam quod non volt, ſi putat; metuit, non ſperat. Itaque hic quoque qui dicit in Aſtraba Plauti, Sequere, adſequere Polyba, diſce: meam ſpem cupio conſequi. Sequor Hercule quidem. nam libenter mea ſperata conſequor. Et quod ſine ſponte dicunt: vere neque ille ſperat qui dicit adoleſcens, neque illa ſperata eſt. Sponſor, & præs, & vas; neque idem, neque res, a quibus ii, ſed diſſimiles. Itaque Præs, qui a magiſtratu interrogatus, in publicum ut præſtet: a quo & cum reſpondet, dicitur Præs. Vas appellatus, qui pro altero vadimonium promittebat. Conſuetudo erat, cum reus parum eſſet idoneus, incepteis rebus, ut pro ſe alterum daret; a quo caveri poſtea lege cœptum eſt, ab heis, qui prædia venderent, vades ne darent. ab eo ſcribi cœptum in lege mancipiorum: vadem ne poſceret, nec dabitur. Canere, & canit, & Succinit, & Cantus, & Cantatio, ex camena, permutato N: ab eo, quod ſemel canit; ſi ſæpius, cantat. hinc Cantitat, item alia. nec ſine canendo tibicines dicti. Omnium enim horum quid a canere. etiam Buccinator a vocis ſimilitudine & cantu dictus. Oro ab ore, & Perorat, & Exorat, & Oratio, & Orator, & Oſculum dictum. Inde Omen, & Ornamentum. alterum, quod ex ore primum elatum eſt, Oſmen dictum; alterum cum præpoſitione dicitur nunc ornamentum, olim oſnamenta: ut ſcenici plerique dicunt. Hinc Oſcines dicuntur apud augures, quod ore faciunt auſpicium. Tertium gradum agen-

di dicunt, ubi quid faciunt: in eo propter similitudinem agendi, & faciendi, & gerendi, quidam error heis, qui putant esse unum. Poteſt enim aliquid facere, & non agere: ut poeta facit fabulam, & non agit: contra actor agit, & non facit. & ſic a poeta fabula fit, & non agitur; ab actore agitur, & non fit. Contra imperator, qui dicitur res Gerere, in eo neque agit, neque facit, ſed gerit, id eſt ſuſtinet. translatum ab heis, qui honera gerunt, quod ſuſtinent. Proprio nomine dicitur Facere a facie; quod rei, quam facit, imponit faciem. ut fictor cum dicit Fingo, figuram imponit: cum dicit Informo, formam: ſic cum dicit Facio, faciem imponit: a qua facie diſcernitur, ut dici poſſit aliud eſſe veſtimentum, aliud vas. Sic item quæ fiunt apud fabros, fictores, item apud alios alia. Qui quid adminiſtrat, cujus opus non exſtat, quod ſub ſenſum veniat, ab agitatu, ut dixi, magis agere, quam facere putatur: ſed quod heis magis promiſcue, quam diligenter conſuetudo eſt uſa, translatitiis utimur verbeis. Nam & quidem Facere verba dicimus, & qui aliquid agit, non eſſe infitientem. Qui adlucet, dicitur Lucere, ab luere: & luce diſſolvuntur tenebræ. ab luce Noctiluca. Lucere item a luce, quod propter lucem cultus inſtitutus. Adquirere eſt ab ad & quærere: ipſum Quærere, ab eo, quod quæ res ut recuperaretur, datur opera: a quærendo Quæſtio: ab heis Conquæſtor. Video, a viſu: quinque enim ſenſuum maximus eſt in oculeis. Nam cum ſenſus nullus, quod abeſt mille paſſus, ſentire poſſit; oculorum ſenſus viſuſque ad ſtellas

pervenit. Hinc Visenda, Vigilant, Pervigilium, & Invident. & Actiacum illud, Oblivio lavet, quod incidit invidendum. a quo etiam Violavit virginem, pro vitiavit, dicebant. Æque eadem modestia potius Cum muliere fuisse, quam Concubuisse, dicebant. Cerno, idem valet. Itaque pro video, ut ait Ennius, Lumen jubarve in cælo cerno? C. Annius, Sensumque inesse & motum in membreis cerno. Dictum Cerno a creo, id est a creando: ab eo, quod, cum quid creatum est, tunc denique videtur. Hinc fines capillorum descripti, quod finis videtur discrimen. & qui id in testamento, id est, facito videant te esse heredem. Itaque in creatione adhibere jubent testes. Ab eodem est quod ait Medea, Ter sub armeis malim vitam cernere, quam semel modo parere. Quod ut decernunt de vita eo tempore multorum, videatur vitæ finis. Spectare dictum ab Specio antiquo: quo etiam Ennius usus, Vos epulo postquam spexit. Et quod in auspiciis distributum est, qui habeant Spectionem, qui non habeant; & quod in auguriis augures dicunt, avem specere. Consuetudo autem communis, quæ cum præverbiis conjuncta sunt, etiam nunc servat: ut Aspicio, Conspicio, Respicio, Suspicio, Despicio: sic alia. In quo etiam Exspecto, quod spectare volo. Hinc Specula: hinc Speculum: quod in eo specimus imaginem. Specula, de qua prospicimus. Speculator, quem mittimus ante, ut respiciat quæ volumus. Hinc, quo oculos inungimus, quibus specimus, Specillum. Ab auribus videntur dicta verba, Audio, & Ausculto. audio, ab

aveo, quod auribus avemus discere semper. quod Ennius videtur etymon ostendere velle in Alexandro, cum ait, Jamdudum ab ludeis animus atque aures avent, avide exspectantes nuntium. Propter hanc aurium aviditatem theatra replentur. Ab audiendo etiam Auscultare declinamus, quod hi auscultare dicuntur, qui auditeis parent. a quo dictum poetæ, audio, aut ausculto. Literæ commutatione dicitur Odor, olor. hinc Olet, & Odorari, & odoratur, & Odora res. Sic ab ore, edo, sorbeo, bibo, poto. Edo a Græco ἔδω. Hinc Esculentum, & Escæ, Edulia: & quod Græce γεύεσθαι, Latine Gusto. Sorbere, item Bibere, a vocis sono: ut Fervere aquam, ab ejus rei simili sonitu. Ab eadem lingua πότω, unde Potio, unde Poculum: Potatio, Repotatio: itidem Puteus, quod sit Græcum antiquum non ut nunc φρέαρ dictum. A manu Manupretium: Mancipium, quod manu capitur. Cum jungit plures manus, Manipulus. unde Manipularis miles, unde Manica. Manubrium, quod manu teneatur. Mantelium quasi manuterium, ubi manus terguntur. Nunc primum ponam de censoriis tabuleis. Ubi noctu in templum censura auspicatur, atque de cælo nuntium erit: præconi sic imperato, ut viros vocet, Quod bonum, fortunatum, felixque salutareque fiet populo Romano Quiritium, reique publicæ populi Romani Quiritium, mihique, collegæque meo, fidei, magistratuique nostro. Omnes Quirites, pedites, armatos, privatosque, curatores omnium tribuum, si quis pro se, sive altero dari rationem volet, voca inli-

cium huc ad me. Præco in templo primum vocat, poſtea de mœreis item vocat. Ubi lucet, cenſor, ſcribæ, magiſtratus murrha, unguenteis unguntur. Ubi prætores, tribunique plebei, quique in conſilium vocati ſunt, venerunt: cenſores inter ſe ſortiuntur, uter luſtrum faciat, ubi templum factum eſt. Poſt autem conventionem habet, qui luſtrum conditurus eſt. In commentariis conſularibus ſcriptum ſic inveni, Qui exercitum imperaturus erit, accenſo dicit hoc, Calpurni, voca inlicium omneis Quiriteis huc ad me. Accenſus dicit ſic, Omnes Quirites inlicium viſite huc ad judices. C. Calpurnius dicit, Voca ad conventionem omneis Quiriteis huc ad me. Accenſus dicit ſic, Omnes Quirites ite ad conventionem huc ad judices. Deinde conſul loquitur ad exercitum, Impero qua convenit ad comitia centuriata. Quare hic accenſo, illic præconi dicit, hæc eſt cauſa. in aliquot rebus idem ut præco, accenſus acciebat. a quo Accenſus quoque dictus. Accenſum ſolitum ciere Bœotia oſtendit: quam comœdiam alii eſſe dicunt: hoc verſu, Ubi primum accenſus clamarit meridiem. Hoc idem Coſconius in actionibus ſcribit, prætorem accenſum ſolitum tum eſſe jubere, ubi ei videbatur horam eſſe tertiam, inclamare horam eſſe tertiam, itemque meridiem, & horam nonam. Circum aras mitti ſolitum, quom inliceret populum in eum locum, unde vocare poſſet ad conventionem vocantis, non ſolum ad conſulis & cenſoris, ſed etiam quæſtoris, ut commentarium indicat vetus inquiſitionis M. Sergii Mani filii quæſtoris,

qui capitis accusavit Trogum: in qua sic est, Auspicio orando sede in templo auspicii, dum aut ad prætorem aut ad consulem mittas auspicium petitum commeatum. prætores vocet ad te, & eum de mœreis vocet: præconi id imperare oportet. cornicinem ad privati januam, & in arcem mittas, ubi canat collegas T. Trogi, & comitia edicat e rostreis. argentarii tabernas occludant: patres censeant, exquiras & adesse jubeas. magistratus censeat ex ara consules, prætores, tribunosque plebei collegasque suos, & in templo jubeas adesse homineis; ac cum mittas, concionem advoces. In eodem commentario anquisitionis ad extremum scriptum caput edicti hoc est. Item quod adtingat, qui de censoribus classicum ad comitia centuriata redemtum habent, uti curent eo die, quo die comitia erunt, in arce classicus canat tum circumque mœros, & ante privati hujusce T. Quinctii Trogi scelerosi hominis hosticum canat; & ut in campo cum prima luci adsit. Et inter id cum circum mœros mittitur, & cum concio advocatur, interesse tempus, apparet ex heis, quæ interea fieri inlicium scriptum est. Sed ad comitia tum vocatur populus: ideo quod alia de causa hic magistratus non potest exercitum urbanum convocare: censor, consul, dictator, interrex potest. quod censor exercitu centuriato constituit quinquennalem cum lustraret, & in urbem ad vexillum ducere debet. dictator & consul in singulos annos: quod hic exercitui imperare potest, quo eat, id quod propter centuriata comitia imperare solent. Quare non est du-

bium, cum hoc inlicium sit, cum circum muros itur, ut populus inliciatur ad magistratus conspectum, quod consul vocare potest in eum locum, unde vox ad conventionem vocantis exaudiri possit. Quare una origine Inlicio & Inlicius, quod in choro Proserpinæ est: & Pellexit, quod in Hermiona est, cum ait Pacuvius, Regni alieni cupiditas pellexit. Sic Elicii Jovis ara in Aventino, ab eliciendo. Hoc nunc aliter fit atque olim, quod augur consuli adest tum cum exercitus imperatur, ac præit, quid eum oporteat dicere. Consul auguri imperare solet, ut inlicium vocet, non accenso, aut præconi. Id inceptum credo, cum abesset accensus, & nihil intererat, cui imperaret; & dicis causa fiebant quædam, neque item facta, neque item dicta semper. Hoc ipsum Inlicium scriptum inveni in M. Junii commentariis: quod tamen ibidem est, quod illicite illexit. Quæ cum E, & C, cum G, magnam habent communitatem. Sed quoniam in hoc de pauceis rebus verba feci multa: de pluribus rebus verba faciam pauca, & potissimum, quæ in Græca lingua putant Latina. ut Scalpere, σκαλεύειν: Sternere, ϛορεννύειν: Lingere, λείχεσθαι: Ferre, φέρειν: Providere, προϊδεῖν: Errare, ἐρύειν. quæ omnia Græca sunt. Item ab γίγνομαι, Gigno; & ab eo, quod dicunt ϛραγγαλίζειν, Strangulare: Tingere, θιγγάνειν. Præterea ab eo, quod nos Malaxare, illi μαλακίζειν: Potare, ποτίζειν: Domare, δομᾷν: Mulgere ab ἀμέλγειν. ut Runcinare a runcina, cujus origo Græca ῥύγχος.

Quod ad originem verborum hujus libri per-

tinet, quoniam ſatis multas arbitror poſitas hujus generis, deſiſtam. Et quoniam de heiſce rebus treis libros ad te mittere inſtitui; de oratione ſoluta duos, de poetica unum: & ex ſoluta oratione ad te miſi duos, priorem de loceis, & quæ in loceis ſunt; hunc de temporibus, & quæ cum heis ſunt conjuncta: deinceps in proximo de poeticeis verborum originibus ſcribere inſtitui.

M. TERENTII VARRONIS DE LINGUA LATINA AD M. TULLIUM CICERONEM

LIBER SEXTUS.

TEMPORUM vocabula, & eorum, quæ conjuncta sunt, aut in agendo fiunt, aut cum tempore aliquo enuntiantur, priore libro dixi. In hoc dicam de poeticeis vocabuleis, & eorum originibus. In queis multa difficilia. nam verbum, quod conditum est, & quibus litereis oportet scribi, aperiam. Inde si post aliqua demta sit, obscurior fit voluntas, in posteriores non reprehendenda. Igitur in illeis, qui in scrutando verbo literas adjiciunt, aut demunt, facilius, quid sub ea voce subsit, vidère possint. Etenim facilius obscuram operam Myrmecidis ex ebore oculi videant, si extrinsecus admoveant nigras setas. cum hæc adminicula addas ad eruendam voluntatem impositoris; tamen latent multa. Quod si poetice in carminibus servaret multa prisca, quæ essent; sic etiam cur essent, posuisset: fecundius poemata ferrent fructum. Sed ut in soluta oratione, sic in poemateis verba omnia, quæ

habent ἔτυμα, possunt dici nec multa: ab eo, quod non erunt in lucubratione literæ prosecutæ; licet multum legerent C. Ælii, hominis in primo in litereis Latineis exercitati, interpretationem carminum Saliorum: videbis & exili litera expeditam, & præterita obscura multa. Nec mirum, cum non modo Epimenides post annos quinquaginta expeditus a multeis non cognoscatur; sed etiam Teucer Livii post annos duodecim ab sueis, qui sit, ignoratur. At hoc quid ad verborum poeticorum ætatem? quorum si Pompilii regnum fons in carminibus Saliorum, neque ea a superioribus accepta; tamen habent septingentos annos. Quare, cur scriptoris industriam reprehendas, qui herois tritavum atavumque non potuerit reperire, cum ipse tui tritavi matrem non possis dicere? Quod intervallum multo tanto propius nobis, quam hinc ad initium Saliorum, quo Romanorum prima verba poetica dicuntur Latina. Igitur de originibus verborum qui multa dixerit commode, potius boni consulendum, quam, qui aliquid nequiverit, reprehendendum. præsertim cum dicat etymologice, non omnium verborum posse dici causas: ut quia quare ad medendum medicina. neque si non norim radices arboris, non possem dicere pirum esse ex ramo, ramum ex arbore, eam ex radicibus, quas non video. Quare qui ostendit, equitatum esse ab equitibus, equites ab equite, equitem ab equo; neque, equus unde sit, dicit; tamen hic docet plura, & satisfacit grate. Quem imitari possumus, ut ipse liber erit indicio. Dicam isto libro de verbeis, quæ

a poeteis ſunt poſita. Primum de loceis; deinde de iis, quæ in loceis ſunt; tertio de temporibus; tum quæ cum temporibus ſunt conjuncta, utque cum heis ſunt conjuncta, adjungam. & ſi quid excidit ex hac quadripartitione, tamen in eà ut comprehendam, incipiam hinc. Unus erit, quem tu tolles in cærula cæli templa. Templum tribus modeis dicitur, ab natura, ab auſpicio, ab ſimilitudine. Natura in cælo; ab auſpiciis, in terra; ab ſimilitudine, ſub terra. In cælo templum dicitur: ut in Hecuba, O magna templa cæli tum commixta ſtelleis ſplendideis. In terra, ut in Peribœa, Scrupea ſaxa Bacchi templa prope adgreditur. Sub terra, ut in Andromacha, Acheruſia templa alta Orci ſalvete infera. quam, quia initium erat oculi, a tuendo primo templum dictum. quocirca cælum qua tuimur, dictum templum. Sic, Contremuit templum magnum Jovis altitonantis. id eſt (ut ait Nævius in Hemiſphærio) ubi terra cærulo ſeptum ſtat. Ejus templi partes quattuor: ſiniſtra ab oriente, dextra ab occaſu: antica ad meridiem, poſtica ad ſeptemtrionem. In terreis dictum templum locus augurii aut auſpicii cauſa quibuſdam concepteis verbeis finitus. Concipitur verbeis non iiſdem uſquequaque. In arce item, Teſtaque meta ſunto, quoad ego eas relinquam, nuncupavero. Olla ver arbor, quidquid eſt, quam me ſentio dixiſſe, templum tectumque: ferto in ſiniſtrum. Olla ver arbor, quidquid eſt, quod me ſentio dixiſſe, templum tectumque: ferto in dextrum. Interea concretione, conſpicione, cortumione, utique ea rectiſ-

fime sensi. In hoc templo faciundo arbores consti- tui fines apparet, & intra eas regiones, qua oculi conspicient, id est tuimur: a quo templum dictum, & Contemplare. ut apud Ennium in Medea, Contempla, & templum Cereris ad lævam aspice. Contemplare & conspicare idem esse, apparet. ideo dicere cum templum faciant augures Conspicione, qua oculorum conspectum finiant: quod cum dicunt conspicionem, addunt Cortumionem, quæ dicitur a cordis visu. Cor enim, cortumionis origo. Quod addit, templa ut sint dextra; ajunt sancta esse, qui glossas scripserunt. Id est falsum. nam curia Hostilia templum est, & sanctum non est. sed hoc ut putarent ædem sacram esse templum & sanctum esse; quod in urbe Roma pleræque ædes sacræ sunt templa, eadem sancta: & quod loca quædam agrestia, quod alicujus Dei sunt, dicuntur Tesca. Nam apud Actium in Philoctete, Lemnia quis tu es mortalis, qui in deserta & tesca te apportes loca? Loca enim, quæ sunt, designat, cum dicit Lemnia. Præstolare, & celsa Cabirum delubra tenes, mysteriaque pristina casteis concepta sacreis. Deinde Volcania templa sub ipseis collibus: in quos delatus locos dicitur, alto ab limine cæli. Et Nævius, Exspirante vapore vides, unde ignes cluet mortalibus diveis. Quare heic qui tesca dixit, non erravit. neque ideo, quod sancta, sed quod ibi mysteria fiunt, ac tuentur, Tuesca dicta, post tesca. Tueri duo significat, unum ab aspectu, ut dixi: unde est illud, Tueor te senex proh Juppiter? Et, Quis pater aut cognatus volet nos contra tueri?

Alterum a curando ac tutela: ut cum dicimus, Bellum tueor, & tueri villam. a quo etiam quidam dicunt illum, qui curat ædeis ſacras, Æditumum, non Æditumum. Sed tamen hoc ipſum ab eadem profectum eſt origine, quod quem volumus domum curare, dicimus, Tu domi videbis. ut Plautus, cum ait, Intus para, cura, vide, quod opus fiat. Sic dicta Veſtiſpica, quæ veſtem ſpiceret, id eſt, videret veſtem ac tueretur. Quare a tuendo & templa & teſca dicta, cum diſcrimine eo, quod dixi. Etiam inde idem, illud enim extemplo acceptum me negato & filium. Extemplo, eſt continuo: quod omne templum debet circum ſeptum, nec plus quam unum introitum habere. Quod eſt apud Actium, Pervade polum, ſplendida mundi ſidera bigeis continueis ſecepit ſpoliis. Polus, Græcum: id ſignificat circuitum cæli. Quare quod eſt Pervade polum, vade per polum. Signa dicuntur eadem & ſidera. Signa, quod aliquid ſignificent, ut libra, æquinoctium. Sidera, quæ inſidunt: atque ita ſignificant aliquid in terreis perurendo, aliudve. Quare & ſignum candens in Hectore. Quod eſt terrarum amfracta reviſam. Amfractum eſt ab origine flexum duplici, dictum ab ambitu, & frangendo. ab eo leges jubent in directo pedum octo eſſe, in amfracto ſexdecim: id eſt, in flexu. Ennius, Ut tibi Titanis Trivia dederit ſtirpem liberûm. Titanis Trivia Diana eſt, ab eo dicta Trivia, quod in trivio ponitur fere in oppideis Græceis. vel quod luna dicitur eſſe, quæ in cælo tribus viis movetur, in altitudinem & latitudinem & longitudinem.

F 2

Titanis dicta, quod eam genuit Titani filia Latona, ut ſcribit Manilius, Creta Titano. ut idem ſcribit, Latona parit caſto complexu Jovis Deli Deos geminos. id eſt, Apollinem & Dianam. Idem de eodem, O ſancte Apollo, qui umbilicum certum terrarum obtines. Umbilicum dictum ajunt ab umbilico noſtro; quod is medius locus ſit terrarum, ut umbilicus in nobis. Quod utrumque eſt falſum. neque hic locus eſt terrarum medius; neque noſter umbilicus, eſt hominis medius. Itaque pingitur, qui vocatur ἰχθὸν a Pythagora; ut media cæli ac terræ linea ducatur infra umbilicum, per id, quo diſcernitur homo, mas an femina ſit: ubi ortus humanus ſimilis, ut in mundo. Ubi enim omnia naſcuntur in medio, quod terra mundi media. Præterea, ſi quod medium, id eſt umbilicus, ut pila terræ: non Delphis medium. & terræ medium non hoc; ſed quod vocant Delphis in æde foramen. adlatum eſt quiddam, ut theſauri ſpeciem, quod Græci ὀμφαλὸν, umbilicum, dixerunt. Pacuvius, Calydonia altrix terra exuberantium virum. Ut ager Tuſculanus, ſic Calydonius, ager eſt, non terra; ſed lege poetica, quod terra Ætolia, in qua Calydon, a parte totam accipi Ætoliam voluit. Actius, Myſtica ad dextram per vada vecti. Myſtica a myſteriis, quæ ibi in propinqueis loceis nobilia ſunt. Ennius, Areopagitæ quid dedere aliud, quam pedam? Areopagitæ ab Areopago; is locus Athenis. Muſæ, quæ pedibus magnum pulſatis Olympum. Cælum dicunt Græci Olympum, montem eum in Macedonia omnes: quo potius puto dictas Muſas

Olympiadas. Ità enim ab terrestribus loceis cognominatæ Libethrides, Pipleides, Pimpliades, Thespiades, Heliconiades. Quasi Hèllespontum, & claustra: quod Xerxes quondam eum locum clausit. Nam, ut ait Ennius, Isque Hellesponto pontem contendit in alto. Nisi ab eo, quod Asiam & Europam ibi concludit mare, & inter angustias facit Propontidis fauces. Pacuvius, Liqui in Ægeo freto. Dictum Fretum a similitudine ferventis aquæ: quod in fretum sæpe concurrat æstus, atque effervescat. Ægeum dictum ab insuleis, quod in eo mari sic scopuli vocantur, a similitudine caprarum, *αἶγες*. Pacuvius. (Æges) ferme aderant æquore in alto ratibus repentibus. Æquor mare appellatum, quod æquatum, commotum vento non est. Ratis navis longa dicitur: ut Ennius, cum ait, Conferre aut ratem æratam qui perit, & qui dum mare sudantes eunt, atque sedentes. Ratis dicta navis longa propter remos, quod hi, cum per aquam sublati sunt dextra & sinistra, duas parteis efficere videntur. ratis enim, unde hoc translatum, illic ubi plures mali aut asseres.

Deest pagina.

Agrestis ab agro. Insulas dictas apparet in hostieis, quod velamenta e lana, quæ adduntur, Insulæ, intra hostiarum cornua velamenta erant. itaque cum ad sepulcrum ferunt frondes atque flores, addunt nunc lanas, sed velatas frondenteis comas. Cornuatam umbram jaci. Dicere apparet cornuatam a cornibus. Cornua a curvore dicta, quod pleraque curvamus. At quas memorat nosse vos esse Casme-

nas. Casmenarum priscum vocabulum, ita natum atque scriptum est: alibi Carmenæ. ab eadem origine sunt declinatæ. ut in multeis verbeis, in quo antiqui dicebant S, postea dicunt R; ut in carmine Saliorum sunt hæc, Cosauli, Dolosi, Eso. Omina vero adpatula coemisse. Jam Cusiatii, Muses, Ruse, dumque Janus venet: post Melios, Melior: Fœdesum, Fœderum: Plusima, Plurima: Asena, Arena: Janitos, Janitor. Quare Casmena, Carmena: inde carmina. R postea extrito, Camena factum. Ab eadem voce canite, pro quo in Saliari carmine scriptum est Cante, hoc versu, Divum exta cante, divum Deo supplice cante. In carmine Priami apud Actium, quod est, Veteres casmenas cascas res volo profari. Et primum Cascum significat vetus. ejus origo Sabina, quæ usque radices in Oscam linguam egit. Cascum, vetus esse significat Ennius, cum ait, Quam primum casci populi genuere Latini. Eo magis Manilius quod ait, Cascum duxisse cascam, non mirabile est, quoniam canoras conficiebant nuptias. Item ostendit Papinii epigrammation, quod in adolescentem fecerat Cascam:

Ridiculum est, cum te Cascam tua dicit amica
Casca Philotonis, ipsa senex puerum.
Dic tu illam pusam: sic fiet mutua muli.
Nam vere pusus tu, tua amica senex'st.

Item ostendit, quod oppidum vocatur Cassinum. Hoc enim a Sabineis orti Samnites tenuerunt, & nunc nostri; unde & Cassinum forum vetus. Item significant in Atellaneis aliquot pupum senem, quod Osci Casnar appellant. Apud Lucilium, Quid tibi

ego ambages Ambivi scribere coner? Profectum a verbo Ambe, quod est in ambitu & ambitioso. Apud Valerium Soranum, Vetus adagio est, o P. Scipio. Quod verbum usque ea evanuit, ut Græcum παροιμία, pro eo positum, magis sit apertum. nam idem, quod vocant Græci παροιμίαν. ut, Auribus lupum teneo; Canis caninam non est. Adagio, & litera commutata Abagio, dicta ab eo, quod ambit orationem; neque in aliqua una re consistit sola. Ambagio dicta, ut Ambustum, quod circum ustum est. ut Ambiegna bos apud augures, quam circum aliæ hostiæ constituuntur. Cum tria sint conjuncta in origine verborum, quæ sint animadvertenda, a quo sit impositum, & in quo, & quid; sæpe non minus de tertio, quam de primo dubitatur, ut in hoc: utrum primum una Canis, an Canes sit appellata. dicta enim apud veteres, una canes. Itaque Ennius scribit, Tantidem quasi feta canes sine dentibus latrat. Lucilius, Nequam & magnus homo, laniorum immanis canes ut. Impositio unius debuit esse canis, plurium canes. Sed neque Ennius, consuetudinem illam sequens, est reprehendendus: neque is, qui nunc dicit, Canis caninam non est. Canes, quod latratu signa dant, ut signa canant, canes appellatæ: & quod ea voce indicant, quæ noctu latent, Latratus appellatus. Sic dictum a quibusdam, ut una canes, una trabes remeis rostrata per altum. Ennius, Utinam ne in nemore Pelio securibus Cæsa accidisset abiegna ad terram trabes. Cujus verbi singularis casus recte correptus, ac facta trabs. In Medo Ennius, Cælitum Camilla exspectata adve-

nis, ſalve hoſpita. Camilla: qui gloſſemata interpretati, dixerunt adminiſtram; addi oportet, in heis, quæ occultiora. Igitur dicitur in nuptiis Caſmillus, qui cummerum fert, in quo quid ſit in miniſterio plerique extrinſecus nectunt. hinc Caſmillus nominatur in Samothraces myſteriis Dius quidam adminiſter Diis magneis. Verbum Græcum arbitror, quod apud Callimachum in poemateis ejus inveni. Apud Ennium, Subulo finitimas propter aſtabat aquas: Subulo dictus, quod ita dicunt tibicines Tuſci. quocirca radices ejus in Etruria non Latio quærendum eſt. Verſus, quos olim Fauni vateſque canebant. Fauni, Dei Latinorum, ita ut Faunus & Fauna ſint in verſibus, quos vocant Saturnios; in ſilveſtribus loceis traditum eſt ſolitos fari. a quo fando Faunos dictos. Antiquos poetas Vates appellabant a verſibus viendeis, ut in poemateis cum ſcribam, oſtendam. Corpore Tartarino prognata paluda virago. Tartarino, a Tartaro dictum. Plato in quarto de fluminibus, apud inferos quæ ſint, in heis unum Tartarum appellat: quare Tartari origo Græca. Paluda a paludamentis. Sunt hæc inſignia & ornamenta militaria. Ideo ad bellum cum exit imperator, ac lictores mutant veſtem, & ſigna incinuerunt, Paludatus dicitur proficiſci: quæ, propterea quod conſpiciuntur, qui ea habent, ac fiunt palam, Paludamenta dicta. Plautus, Epeum fumificum cocum: ab Epeo illo, qui dicitur ad Trojam feciſſe equum Trojanum Argiveis, & apte cibum curaſſe. ideo ait Epeum fumificum, qui legioni noſtræ habet coctum cibum. Apud

Ennium, Atque prius pariet locusta lucam bovem. Luca bos, elephas. cur ita sit dicta, duobus modeis inveni scriptum. Nam & in C. Ælii commentario erat, a Libyceis Lucas: & in Verginii commentario, ab Lucaneis Lucas: ab eo, quod nostri cum maximam quadrupedem, quam ipsi haberent, vocarent bovem: & in Lucaneis Pyrrhi bello primum vidissent apud hosteis elephantos, id est quadrupedes cornutas (nam quos dentes multi dicunt, sunt cornua) lucam bovem appellasse. Si a Libya dictæ essent lucæ; pantheræ & leones, non Africanæ bestiæ dicerentur, sed lucæ. Si ab Lucaneis dictæ; ursi cur potius Lucani, quam Luci dicti? Quare ego arbitror, potius Lucas ab luce, quod longe relucebant propter inauratos regios clypeos, quibus eorum tum ornatæ erant turres. Ennius, Orator sine pace redit, regique refert rem. Orator ab oratione dictus. qui enim verba haberet orationum publice adversus eum, quo legebatur, ab oratione Orator dictus: cum res majore ratione legebantur potissimum, qui causam commodissime orare poterant. Itaque Ennius ait, Oratores doctiloqui. Apud Ennium, Olli respondet suavis sonus Egeriai. Olli valet dictum illi, ab olla, & ollus. quod alterum comitiis cum recitatur, a præcone dicitur olla centuria; non illa: alterum apparet in funeribus indictiveis, quom dicitur, Ollus leto datus est. quod Græcus dicit λήθῃ, id est, oblivioni. Apud Ennium, Mensas constituit, idemque ancilia. Ancilia dicta ab ancisu, quod ea arma ab utraque parte, ut peltæ Thracum, incisa. Saturnio

in carmine, Libaque, fictores, Argeos, & tutulatos. Liba, quod libandi causa fiunt: Fictores dicti a fingendis libeis: Argei ab Argis. Argei fiunt e scirpeeis virgulteis, simulacra sunt hominum triginta: ea quotanneis a ponte sublicio a sacerdotibus publice jaci solent in Tiberim. Tutulati dicti hi, qui in sacreis in capitibus habere solent, ut metam. id Tutulus appellatur, ab eo, quod matres familias crines convolutos ad verticem capitis, quos habent uti velatos, dicunt Tutulos: sive ab eo, quod tuendi causa capilli fiebant: sive ab eo, quod altissimum in urbe quod est, ea res tutissima, Tutulus vocatur. Eundem Pompilium Numam ait fecisse flamines: qui cum omnes sint a singuleis Deeis cognominati, in quibusdam apparent etyma. ut cur sit Martialis, Quirinalis. Sunt, in quibus flaminum cognominibus latent origines; ut qui sunt in versibus plerique, Volturnalis, Palatualis, Furinalis, Floralis, Falacer, Pomonalis: obscura est eorum origo. Volturnus, Palatua, Furina, Flora, Falacer, Pomona pomorum patrona. Apud Ennium, Jam cata signa fere sonitum dare voce parabant. Cata, acuta. hoc enim verbo Sabini dicunt: quare Catus Ælius Sextus; non, ut ajunt, sapiens, sed acutus, & quod est, tunc cœpit memorari. Simul cata dicta, accipienda acuta dicta. Apud Lucilium, Thynno capto corvum excludunt foras, occiduntque lupos aperdite, & jura siluri. Sumerete atque amiam. Piscium nomina sunt, eorumque in Græcia origo. Apud Ennium, Quæque cæruleo freto orta nare cœpta.

Desunt quædam.

Cava cortina dicta, quod est inter terram & cælum ad similitudinem cortinæ Apollinis: ea a corde, quod inde sortes primum æstimatæ. Apud Ennium, Quin inde invicteis sumserunt perduellibus. Perduelles sunt hostes. ut perficit, sic Perduellum, Duellum: id postea bellum. Ab eadem causa facta Duellona, Bellona. Apud Plautum, Neque jugula, neque vesperugo, neque vergiliæ occidunt. Jugula signum est, quod Actius appellat Oriona, cum ait, Citius Orion patefit. hujus signi caput dicitur e stelleis quattuor, quas infra duæ claræ, quas appellant humeros. inter quas quod videtur jugulum: unde Jugula dicta. Vesperugo, stella, quæ vespere oritur, a quo etiam Opilius scribit vesperum. itaque dicitur, Alter vesper adest, quem dicunt Græci διέσπερον. Nævius patrem suum optimum, appellat supremum. Supremum a superrimo dictum. itaque in duodecim tabuleis, Solis occasu diei suprema tempestas esto. Libri augurum pro tempore Tempestatem dicunt, id est, supremum augurii tempus. In Cornicula, Qui regi latrocinatus decem annos Demetrio. Latrones dicti ab latere, qui circum latera erant regi, atque ad latera habebant ferrum: quos postea a stipatione Stipatores appellarunt, & qui conducebantur mercede. Ea enim Merces dicitur Græce λάτρον, καὶ σάτρον. Ab eo veteres poetæ nonnunquam milites appellant latrones, quod item uti milites cum ferro, aut quod latent ad insidias faciendas. Apud Nævium, Risi egomet Cassabundum ire ebrium. Cassabundum, a caden-

do. Item, Diabathra in pedibus habebat, & erat amictus epicroco. Utrumque vocabulum Græcum. In Menæchmeis Plauti, Inter ancillas sedere jubeas, lanam carere. Idem est hoc verbum in Cosmotria Nævii. Carere a carendo, quod eam tum purgant ac deducunt, ut careat spurcitia. Ex quo Carminari dicitur tum lana, cum caret eo, quod in ea est nequam. Est lana, quam in Romulo Nævius appellat Oscam, ab Osceis. In Persa, Jam pol ille hic aderit credo congerro meus. Congerro a gerra, & Græcum est, & in Latina cratis. In Menæchmeis, Idem istuc alieis adscriptiveis fieri ad legionem solet. Adscriptivi dicti, quod olim adscribebantur inermes, qui succederent armateis militibus; id est, si quis eorum deperisset. In Trinummo, Nam illum tibi ferentarium. a ferendo, id est, inanem, ac sine fructu: aut quod Ferentarii equites hi dicti, qui ea modo habebant arma, quæ ferrentur, ut jaculum. Hujuscemodi equites pictos vidi in Æsculapii æde vetere, & ferentarios adscriptos. In Frivolaria, Ubi rorarii estis? en sunt. ubi sunt accensi? ecce. Rorarii dicti a rore: qui bellum committebant ante; ideo quod ante rorat, quam pluit. Accensos, ministratores Cato esse scribit. potest id ab arbitrio; nam inde ad arbitrium ejus, cujus minister. (Pacuvius Deum triportenta in Mercatore ponit.) Idem in Mercatore, Non tibi istuc magis dividia est, quam mihi hodie fuit. hæc eadem in Corollaria Nævii. Dividia a dividendo dicta, quod Divisio distractio est doloris. Itaque in Curculione ait, Sed quid tibi est? lienes necant, renes dolent,

pulmones diſtrahuntur. In Phagone, Honos ſynceraſto perit. Synceraſtum eſt omne edulium antiquo vocabulo Græco. In Paraſito pigro, Domum ire cœpi tramite dextra via. Trames a tranſverſo dictus. In Fugitiveis, Age, euge, ſpecta, vide vibices quantas. Jam inſpexi, quid eſſent. Vibices, alii excitatum verberibus corpus. In Ciſtellaria, Non quaſi ut hæc ſunt heic, limaces lividæ. Limax, a limo, quod ibi vivit. Diobolares, ſcæniculæ, miraculæ. Diobolares, a bineis oboleis: Scæniculæ, ab ſcæno nugario unguento: Miraculæ, a mireis, id eſt monſtreis. a quo Actius ait, Perſonas diſtortas oribus deformeis, miriones. Ibidem, Scrantiæ, ſcrupedæ, ſtritabillæ, Tantalæ. Ab ſcreando Scrantiæ ſic adſignificat. Scrupedam Aurelius ſcribit Auſcaripedam. Juventius comicus dicebat a vermiculo piloſo, qui ſolet eſſe in fronde cum multeis pedibus. Valerius, a pede ac ſcrupea. Ex eo ab Actio poſitum, Incurioſa itaque es, Menalippe? Rejicis abs te religionem? ſcrupeam imponas. Stritabillas, a ſtritilando. Stritare ab eo, qui ſiſtit ægre. In Aſtraba, Actioſa annonam e vili concinna vireis. Ideo in Sitelitergo idem ait, Mulieres uxorculavit: ego novi, ſcio actioſas. quas ſic Claudius ſcribit actioſas demonſtrari ſuſpicatrices, ab agendo actioſas. Ut ab una faciendo, Factioſæ; ſic ab una agendo, Actioſæ dictæ. In Ceſtione, Ceraſtibola, ut de lumbo obcænabis. Ceraſtibola Opilius ſcribit circum coxendices ſunt nobis: id Græcum eſt ab hujus loci verſura. In Nervolaria, Scobinam ego illam actutum adraſi. Scobinam, a ſcobe. lima enim materia

fabrilis eſt. In Pœnulo, Vinceretis cervum curſu, vel grallatorem gradu. Grallator a gradu magno dictus. In Truculento, Sine virtute argutum civem mihi habeam pro præfica. Præfica, ut Aurelius ſcribit, mulier ab luctu, quæ conduceretur, quæ ante domum mortui laudes ejus caneret. Hoc factitatum Ariſtoteles ſcribit in libro, qui inſcribitur, Nomina Barbarica. quibus teſtimonium eſt, quod fretum eſt Nævii, Hæc quidem hercle opinor præfica eſt. nam mortuos conlaudat. Claudius ſcribit, dicta, quæ præficeretur ancilleis, quemadmodum lamentarentur, præfica eſt dicta. Utrumque oſtendit, a præfatione Præficam dictam. Apud Ennium, Decem coclites, quos montibus ſummeis ripeis ſedere. Ab oculo Cocles quaſi ocles dictus, qui unum haberet oculum. quocirca in Curculione eſt, De coclitum proſapia te eſſe arbitror. nam hi ſunt unoculi.

Nunc de temporibus dicam. Quod eſt apud Caſſium, Nocte intempeſta noſtram devenit domum. Intempeſta nox, dicta ab tempeſtate. Tempeſtas ab tempore: intempeſta nox, quo tempore nil agitur. Quid noctis videtur? in altiſſimo cæli clypeo temo ſuperat ſtellas ſublime cogens etiam atque etiam noctis iter. Hic multam noctem oſtendere vult a temonis motu. Sed temo unde & cur dicatur, latet. Arbitror antiquos ruſticos primum notaſſe quædam in cælo ſigna, quæ præter alia erant inſignia, atque ad aliquem uſum culturæ tempus deſignandum convenire advertebantur. E queis ſigna ſunt, quod has ſeptem ſtellas Græci, ut Homerus vocat ἅμαξαν, & propinquum ejus ſignum, βοώτην: noſtri eas ſeptem

ſtellas, boves, & triones, & prope eas axem. Triones enim, & boves appellantur a bubulceis etiam nunc, maxime cum arant terram: e queis ut dicti valentes, Glebarii, qui facile proſcindunt glebas; ſic omnes, qui terram arabant, a terra Teriones; unde Triones, ut dicerentur a detritu. Temo dictus a tenendo: is enim continet jugum. & plauſtrum appellatum, a parte totum, ut multa. Poſſunt triones dici ſeptem, quod ita ſitæ ſtellæ, ut terna trigona faciant. Aliquod lumen jubarve in cœlo cerno? Jubar dicitur ſtella lucifer, quæ in ſummo habet diffuſum lumen, ut leo in capite jubam. Hujus ortus ſignificat circiter eſſe extremam noctem. Itaque ait Pacuvius, Exorto jubare, noctis decurſo itinere. Apud Plautum in Paraſito Pigro, Inde hic bene potus primo crepuſculo. Crepuſculum dictum a Sabineis, & id dubium tempus, noctis an diei ſit. Itaque in Condalio eſt, Tam crepuſculo, fere ut ament lampadas accendere. Ideo dubiæ res, Creperæ dictæ. In Trinummo, Concubium ſit noctis prius, quam ad poſtremum perveneris. Concubium a concubitu, dormiendi cauſa dictum. In Aſinaria, Videbitur, factum volo. at redito conticinio. Conticinium puto a conticeſcendo dictum, ſive (ut Opilius ſcribit) ab eo, quod conticuerunt homines.

Nunc de heis rebus, quæ adſignificant aliquod tempus, cum dicuntur aut fiunt, dicam. Apud Actium, Reciproca tendens nervo equino concita tela. Reciproca eſt, cum unde quid profectum, redit eo; quod ab recipere Reciprocare fictum; aut quod poſcere Procare dictum. Apud Plautum, Ut tranſ-

versus non proversus cedit, quasi cancer solet. Dicitur ab eo, qui in id quod est versus. & ideo qui exit in vestibulum, quod est ante domum, Prodire & Procedere dicitur. quod cum leno non faceret, sed secundum parietem transversus iret; dixit, Ut transversus cedit, quasi cancer; non proversus, ut homo. Apud Ennium, Andromachæ nomen qui indidit, recte indidit. Item, Quapropter Parim pastores nunc Alexandrum vocant. Imitari dum voluit Euripidem, & ponere etymon, est lapsus. Nam Euripides quod Græca posuit, etyma sunt aperta. Ille ait, ideo nomen additum Andromachæ, quod ἀνδρὶ μάχεται. hoc Ennii quis potest intelligere in versu significare, Andromachæ nomen qui indidit, recte indidit? Aut Alexandrum ab eo appellatum in Græcia, qui Paris fuisset? A quo Herculem quoque cognominatum ἀλεξίκακον, ab eo, quod defensor esset hominum. Apud Actium, Jamque auroram rutilare procul cerno. Aurora dicitur ante solis ortum, ab eo, quod ab igne solis tum aureo aer aurescit. Quod addit Rutilare, est ab eodem colore. Aurei enim Rutili: & inde etiam mulieres valde rufæ Rutilæ dictæ. Apud Terentium, Scortatur, potat, olet unguentum de meo. Scortari, est sæpius meretriculam ducere; quæ dicta a pelle. Id enim non solum antiqui dicebant Scortum, sed etiamnunc dicimus Scortea ea, quæ ex corio & pellibus sunt facta. Inde in aliquot sacreis ac sacelleis scriptum habemus, Ne quid scorteum adhibeatur, ideo ne morticinium quid adsit. In Atellaneis licet animadvertere, rusticos dicere se adduxisse pro scorto pelliculam. Apud

Actium, Multeis nomen vestrum numenque ciendo. Numen dicunt esse imperium, dictum ab nutu. omnia sunt ejus, cujus imperium maximum esse videatur. Itaque in Jove hoc, & Homerus, & aliquotiens Livius. Apud Plautum, Si unum epityrum edam apud illum esuriens insane bene. Epityrum vocabulum est cibi, quo frequentius Sicilia, quam Italia, usa. Idem vehementer cum vellet dicere, dicit Insane: quod insani faciunt omnia vehementer. Apud Pacuvium, Flexanima tanquam lymphata. Dicitur a lympha Nympha: ut apud Græcos Thetis. Apud Ennium, Ea Thetis illi mater. In Græcia commota mente, quos λυμφολήπτους appellant; ab eo Lymphatos dixerunt nostri. Bacchus Liber, cujus comites Bacchæ: & vinum in Hispania Baccha. origo in heis omnibus Græca. Apud Pacuvium, Halcyonis ritu litus pervolgans furor. Hæc enim avis nunc Græce dicitur ἀλκυὼν, a nostreis Halcedo: hæc hieme quod pullos dicitur tranquillo mari facere, eos dies Halcyonios appellant. Quod est in versu, Halcyonis ritu: id est, ejus instituto. ut cum Haruspex præcipit, ut suo quisque ritu sacrificium faciat: & nos dicimus duodecim viros Græco ritu sacra, non Romano, facere. Quod enim fit rite, id ratum ac rectum: ab eo Actius recte perfecteis sacreis vult accipi. Apud Ennium, Si voles advortere animum, comiter monstrabitur. Comiter, hilare ac lubenter; cujus origo Græce κῶμος: inde Latina comissatio dicta, & a Græceis (ut quidam dicunt) Comœdia. Apud Atilium: Cape, cæde Lyde, come, conde. Cape, unde Accipe. sed hoc

in proximo libro retractandum. Apud Pacuvium, Nulla res neque cicurare, neque mederi potis est, neque reficere. Cicurare, mansuefacere. quod enim a fero discretum, id dicitur Cicur: & ideo dictum, Cicur ingenium obtineo, mansuetum. a quo Veturii quoque nobiles cognominati Cicurini. Id natum a cico. Cicum dicebant membranam tenuem, quæ est in malo Punico discrimen. a quo etiam Plautus dicit, Quod volet densum cicum non interduo. Apud Nævium, Eccum venire video ferme injuria. Ferme dicitur, quod nunc fere. utrumque dictum a ferendo, quod id, quod fertur, est in motu, atque adventat. Apud Plautum, Euax jurgio uxorem tandem abegi ab janua. Euax verbum nihil significat, sed effutitium naturaliter est. ut apud Ennium, Hehe ipse clypeus cecidit. Apud Nævium, Eheu mea puella, spe quidem is succenset tibi. Apud Pompilium, Heu qua me causa fortuna infesta premis? Quod ait Jurgio, id est, litibus. Itaque quibus erat in controversia, ea vocabatur Lis: ideo in actionibus videmus dici, Quam rem sive litem dicere oportet. Ex quo licet videre, Jurgare ab jure dictum: cum quis jure litigaret. a quo Objurgat is, qui id facit injuste. Apud Lucretium, Atque aliquos ibi ab rebus clepsere foro. Qui clepsere dixit, unde etiam alii Clepere: id est, corripere; quorum origo a clam, ut sit dictum clapere, & ex E, A commutato, ut multa, est factum clepere. Potest & a Græco dictum κλέπτειν. Apud Matium, Corpora Grajorum mærebar mandier igni. Dictum Mandier a mandendo, unde manducari. a quo in

Atellaneis obſonium vocant Manducum. Apud Matium, Obſcæni interpres, funeſtique ominis auctor. Obſcænum dictum ab ſcæna. ea ut Græci. ut Actius ſcribit, ſcena. In pluribus verbeis A ante E alii ponunt, alii non. ut quod partim dicunt Scæptrum, partim dicunt Sceptrum; alii Fænus, alii Fenus: ſic Fæniſicia, & Feniſicia. a quo ruſtici pappum Mæſum, non meſum. A quo Lucilius ſcribit, Cæcilius ne ruſticus fiat. Quare turpe, id obſcænum; quod niſi in ſcæna palam dici non debet. Poteſt vel ab eo, quod puereis turpicula res in collo quædam ſuſpenditur, ne quid obſit, bonæ ſcævæ cauſa. inde Scævola appellatus. Ea dicta ab ſcæva, id eſt, ſiniſtra: quod quæ ſiniſtra ſunt, bona auſpicia exiſtimantur. A quo dicuntur comitia, aliudve quid ſit, dici ave ſiniſtra, quæ nunc eſt. id a Græco eſt, quod hi ſiniſtram vocant σκαιάν. quare quod dixi ſcævum, bonum omen eſt: obſcænum vero, turpe. quod inde dicitur obſcæne, quod exotericum. Apud Plautum, Quia ego antehac te amavi, & mihi amicam eſſe crevi. valet, conſtitui. Itaque heres, cum conſtituit ſe heredem eſſe, dicitur Cernere, & cum id fecit, creviſſe. Apud eundem, Quo de ſinu frequentem operam dediſtis. valet adſiduam. Itaque qui adeſt, adſiduus: ferre quem quæ oportet, is frequens. opponi ſolet itaque. Illud quod eædem mulierculæ dicunt, Pol iſtoc quidem nos pretio tanti eſt frequentare: ita in prandio nos lepide ac nitide accepiſti. Apparet dicere facile eſt, curare ut adſimus, cum tam bene nos accipias. Apud Ennium,

Decretum est fossare corpora teleis. hoc verbum Ennii, dictum a fodiendo: a quo Fossa. Apud Ennium, Vocibus concide: fac siet obrutus.

Desunt quædam.

Mussare dictum, quod muti non amplius quam μῦ dicunt. a quo idem dicit, Quod minimum est, neque ut ajunt, μῦ facere audet. Apud Pacuvium, Dii monerint meliora, atque amentiam averruncassint. A vertendo Averruncare; ut Deus, qui iis rebus præest, Averruncus. Itaque ab eo precari solent, ut pericula avertat. In Aulularia, Pipulo te differam ante ædeis. id est, convicio, declinatum a pipatu pullorum. Multa ab animalium vocibus translata in homines: partim quæ sunt aperta, partim obscura. Perspicua, ut Ennii, Animus cum pectore latrat. Plauti, Gannit odiosus omni totæ familiæ. Cæcilii, Tantam rem dibalare, ut pro nihilo habuerit. Lucilii, Hæc, inquam, rudet ex rostreis, atque hinnilitabat. Ejusdem, Quantum hinnitum atque equitatum. Cum minus aperiant: Porcii ab lupo, volutare ululantis. Ennii a vitulo, Tibicina maximo labore mugit. Ejusdem a bove, Clamore bovantes. Ejusdem a leone, Pausam fecere fremendi. Ejusdem ab hædo, Clamor ad cælum volvendus per æthera vagit. Et a frendice, Frunde frutimi suaviter. M. Actius in Casina a fringuilla, Quid fringutis? quid istuc tam cupide cupis? sues avolverat. Ita trude neque in re, neque in judicium Æsopi, nec theatrales. In Colace, Nexum. Manilius scribit, omne quod per libram & æs geritur, in quo sint mancipi: Mucius Scævola,

quæ per æs & libram fiant, ut obligentur, præterquam quæ mancipio dentur. Hoc verius esse, ipsum verbum ostendit, de quo quæritur. Nam idem quod obligatur per libram, neque suum fit, inde Nexum dictum. Liber, qui suas operas in servitute pro pecunia, quam debeat, dum solveret, Nexus vocatur, ut ab ære Obæratus. Hoc C. Popilio rogante Sylla dictatore sublatum ne fieret; & omneis, qui bonam copiam jurarent, ne essent nexi, dissoluti. In Casina, Sine amet, sine, quod lubet, id faciat: quando tibi nil domi deliquium est. Deliquium dictum ab eo, quod deliquatur: ut turbida quæ sunt, deliquantur, ut liquida fiant. Aurelius scribit, deliquium esse a liquido: Claudius, ab eliquato. Si quis alterutrum sequi malit, habebit auctorem Cæcilium, Per lætitiam liquitur animus. Aliquando liquitur fictum. Multa apud poetas reliqua esse verba, quorum origines possunt dici, non dubito; ut apud Nævium in Esiona. Enimvero gladii lingula a lingua. In Clastidio, Vitulantes, a vitula. In Duloreste, Caperata fronte, a capræ fronte. In Demetrio, Persibus aperite. Itaque sub hoc glossema callide subscribunt. In Lampadione, Protinam a protinus continuitatem significans. In Agidone, Candacus suavis tametsi, a magistreis accepimus mansuetum. In Romulo, Sponsus contra sponsum rogatus. In Stigmatia, Præbia a præbendo, ut sit tutum: quod sint remedia in collo puereis. In Therimo, Confictitant, a conficto convenire dictum. In Tarentilla Pacuvii, Ab luce Inlustre. In Tunicularia, Exbolas quassant, ejiciunt. a Græco verbo ἐκβολή dictum.

In Bello Punico, Nec ſatis reſarrire, ab ſerra dictum, id eſt aperire. Hinc etiam Seræ, quibus remoteis fores panduntur. Sed vereor, ne plures ſint futuri, qui de hoc genere me, quod nimium multa ſcripſerim, reprehendant; quam quod reliquerim quædam, accuſent. ideo potius jam reprimendum, quam producendum puto eſſe volumen. Nemo reprehenſus, qui e ſegete ad ſpicilegium reliquit ſtipulam. Quare inſtituteis ſex libreis, quemadmodum rebus Latina nomina eſſent impoſita ad uſum noſtrum, e queis treis ſcripſi P. Septimio, qui mihi fuit quæſtor; treis tibi, quorum hic eſt tertius; priores de diſciplina originis verborum, poſteriores de verborum originibus: in illeis, qui ante ſunt, in primo volumine eſt, quæ dicantur, cur etymologice neque ſit, neque ea utilis ſit: in ſecundo, quæ ſit, & cur ea ſit, & in illeis ſit: in tertio, quæ forma etymologiæ. In ſecundeis tribus, quos ad te miſi, item generatim diſcreteis, primum, in quo ſunt origines verborum, locorum, & earum rerum, quæ in locis eſſe ſolent: ſecundum, quibus vocabuleis tempora ſint notata, & hæ res, quæ in temporibus ſiunt. Tertius hic, in quo a poeteis item ſumta utilia, quæ dixi in duobus libreis ſoluta oratione. Quocirca, quoniam omnis operis de lingua Latina treis feci partes: prima, quemadmodum vocabula impoſita eſſent rebus; ſecunda, quemadmodum ea in caſus declinantur; tertia, quemadmodum conjungerentur: prima parte perpetrata, ut ſecundam ordiri poſſimus, huic libro faciam finem.

M. TERENTII VARRONIS DE LINGUA LATINA

LIBER SEPTIMUS.

QUOM oratio natura tripartita esset, ut superioribus libreis ostendi, ejus prima pars, quemadmodum vocabula rebus essent imposita; secunda, quo pacto de heis declinata in discrimina ierunt; tertia, ut ea inter se ratione conjuncta sententiam efferant; prima parte exposita, de secunda incipiam hinc. Ut propago omnis natura secunda; quod prius illud rectum, unde ea sit declinata: ita declinatur in verbeis rectum Homo: obliquum Hominis, quod declinatum a recto. De hujusce multiplici natura discriminum oræ sunt hæ: cur, & in quo, & quemadmodum in loquendo declinata sunt verba. De quibus duo prima duabus causeis percurram breviter: quod & tum, cum de copia verborum scribam, erit retractandum; & quod, de tribus tertium quod est, habet suas permultas ac magnas parteis.

Declinatio inducta in sermones non solum Latinos, sed omnium hominum, utili & necessaria de

causa. Nisi enim ita esset factum, neque dicere tantum numerum verborum possemus: infinitæ enim sunt naturæ, in quas ea declinantur: neque quæ didicissemus ex heis, quæ inter se rerum cognatio esset, appareret. At nunc ideo videmus, quod simile est, quod propagatum. legi, ut declinatum est a lego: duo simul apparent quodammodo; eadem dici, & non eodem tempore factum. Ut si verbi gratia alterum horum diceretur Priamus, alterum Hecuba; nullam unitatem adsignificaret, quæ apparet in Lego & legi, & in Priamus Priami. Ut in hominibus quædam sunt cognationes, & gentilitates; sic in verbeis. Ut enim ab Aimilio homines orti Aimilii, ac gentiles; sic ab Aimilii nomine declinatæ voces in gentilitate nominali. Ab eo enim, quod est impositum recto casu Aimilius, orta, Aimilii, Aimilium, Aimilios, Aimiliorum; & sic reliqua, ejusdem quæ sunt stirpis. Duo igitur omnino verborum principia, impostitiorum & declinatorum: alterum, ut fons, alterum ut rivus. Impostitia nomina esse voluerunt quam paucissima, quo citius ediscere possent: declinata quamplurima, quæ istoc opere facilius omnes, quibus opus essent, discerent. Ad illud genus, quod prius, historia opus est. nisi descendendo enim, aliter id non pervenit ad nos: ad reliquum genus, quod posterius, ars; ad quam opus est pauceis præcepteis, quæ sunt brevia. Quæ enim recte in uno vocabulo declinare didiceris; in infinito numero nominum uti possis. Itaque noveis nominibus adlateis in consuetudinem, sine dubitatione eorum declinatus statim omnis di-

cit populus. etiam novitii ſervi emti in magna familia, cito omnium conſervorum omnis recto caſu accepto in reliquos obliquos declinant. Qui ſi nonnunquam offendunt, non eſt mirum: etenim illi, qui primi nomina impoſuerunt rebus, forſitan in quibuſdam ſunt lapſi. Voluiſſe enim putant ſingulareis res notare, ut ex iis in multitudine declinarentur; ut eſt ab Homine Homines, ſic mares liberos voluiſſe notari; ut ex heis feminæ declinarentur: ut eſt a Terentio Terentia: ſic in recto caſu, quas imponerent voces, ut illinc eſſent futuræ quæ declinarentur: ſed hæc in omnibus tenere nequiſſe. quod & una dicuntur ſcopæ, & mas & femina aquila; & recto & obliquo vocabulo vis. Cur hæc non tam ſint in culpa, quam putant plerique, ſolvere non difficile, ſed nunc non neceſſe. non enim quod non potuerunt adſequi, ſed quod voluerunt, ad hoc, quod propoſitum, refert. Quod nihilo minus declinari poteſt ab eo, quod impoſuerunt ſcopæ, ſcopa; quam ſi impoſuiſſent ſcopa, ab eo ſcopæ. ſic alia. Cauſam, quare ab impoſiteis nominibus declinarint, oſtendi. Sequitur, in queis voluerint declinare aut noluerint; generatim ac ſummatim; item in formeis. Duo enim genera verborum: unum fecundum, quod declinando multas ex ſe parit diſparileis formas, ut eſt lego, legis, legam, ſic alia: alterum genus ſterile, quod ex ſe parit nihil. ut eſt etiam, vix, magis, cras, cur. Quarum rerum uſus erat ſimplex; ibi etiam vocabuli declinatus. ut in qua domo unus ſervus, uni ſervolo poſt nomen; in qua multi, pluribus.

Igitur & in heis rebus, quorum ſunt nomina, quod diſcrimina vocis plura, propagines plures. In heis rebus quæ copulæ ſunt, ac heis junguntur verba, quod non opus fuit declinari in plura, fere ſingula ſunt. Uno enim loro colligare poſſis vel hominem, vel equum, vel aliud quod, quidquid eſt, quod cum altero poteſt colligari. Sic quod dicimus in loquendo, Conſul fuit Tullius & Antonius: eodem illo & omneis binos conſules colligare poſſumus. Vel dicam amplius, omnia nomina, atque ideo etiam omnia verba; (cum fiunt tunc ex una ſyllaba, illud & maneat unum.) Quare duce natura, ſi quæ impoſita eſſent vocabula rebus:

Multa deſunt.

Ne ab omnibus heis declinatus putarent; quorum generum declinationes oriuntur. Partes orationis ſunt duæ, ſi item ut Dion, in treis diviſerimus partes res, quæ verbeis adſignificantur. una, quæ adſignificat caſus: altera, quæ tempora: tertia, quæ neutrum. De heis Ariſtoteles duas partes orationis eſſe dicit, vocabula & verba; ut homo & equus, & legit & currit. Utriuſque generis & vocabuli & verbi, quædam priora, quædam poſteriora. priora, ut homo ſcribit; poſteriora, ut doctus & docte. dicitur enim Homo doctus, & Scribit docte: Hæc ſequitur & locus & tempus; quod neque homo, neque ſcribit, poteſt ſine loco & tempore eſſe: ita ut magis ſit locus homini conjunctus, tempus ſcriptioni, cum de heis nomen ſit primum. Prius enim nomen eſt, quam verbum temporale: & reliqua poſterius, quam nomen & ver-

bum. Prima igitur nomina. Quare de eorum declinatione, quam de verborum, ante dicam. Nomina declinantur, aut in earum rerum discrimina, quarum nomina sunt, ut a Terentius, Terentii: aut in eas res extrinsecus, quarum ea nomina non sunt, ut ab equo, Equito. In sua discrimina declinantur, aut propter ipsius rei naturam, de quo dicuntur, aut propter illius, qui dicit. Propter ipsius rei discrimina, aut a toto, aut a parte. A toto, ut ab homine Homunculus, a capite Capitulum: propter multitudinem, ut ab homine Homines; ab eo, quod alii dicunt Cervices, & id Hortensius in poemateis cervix. Quæ a parte declinata, aut a corpore, ut a mamma Mammosa, a manu Manubiæ: alia ab animo, ut a prudentia Prudens, ab ingenio Ingeniosus. hæc sine agitationibus: aut ubi motus majores. Item ab animo, ut ab strenuitate & nobilitate, Strenui & Nobiles. Sic a pugnando & currendo, Pugiles & Cursores. Ut aliæ declinationes ab animo, aliæ a corpore: sic aliæ, quæ extra hominem: ut Pecuniosi, Agrarii; quod foris pecunia & ager propter eorum, quam dicuntur. Sunt declinati casus, ut is, qui de altero diceret, distinguere posset, cum vocaret, cum daret, cum accusaret: sic alia quidem discrimina, quæ nos & Græcos ad declinandum duxerunt. Sine controversia sunt hi quinque. Quis vocetur, ut Hercules; Quemadmodum vocetur, ut Hercules; Quo vocetur, ut ad Herculem; Cui vocetur, ut Herculi; Cujus vocetur, ut Herculis. Propter ea verba, quæ erant proinde ac cognominata, ut prudens, candidus, stre-

nuus; quod in heis præterea ſunt diſcrimina propter incrementum, quod majus vel minus in heis eſſe poteſt: adceſſit declinationum genus, ut a candido, candidius, candidiſſimum: ſic a longo, divite, id genus aliis, ut fieret. Quæ in eas res quæ extrinſecus declinantur, ſunt, ab equo Equile, ab ovibus Ovile; ſic alia. hæc contraria illeis, quæ ſupra dicta, ut a pecunia Pecunioſus, ab urbe Urbanus, ab atro Atratus: ut nonnunquam ab homine locus, ab eo loco homo: ut a Romulo Roma, a Roma Romanus. Aliquot modeis declinata ea, quæ foris. nam aliter qui a majoribus ſueis Latonius & Priamides: aliter quæ a facto, ut a prædando Præda, a merendo Merces. Sic alia ſunt, quæ circum ire non difficile: ſed genus jam videtur, & alia urgent: omitto. In verborum genere, quæ tempora adſignificant, quod ea erant tria, præteritum, præſens, futurum; declinatio facienda fuit triplex, ut ſaluto, ſalutabam, ſalutabo. Cum item perſonarum natura triplex eſſet, qui loqueretur, de quo, ad quem; hæc ab eodem verbo declinata, quæ in copia verborum explicabuntur. Quoniam dictum de duabus declinationibus, cur & in qua ſit forma; tertium quod relinquitur, quemadmodum, nunc dicetur, Declinationum genera ſunt duo, Voluntarium, & Naturale: voluntarium eſt, quo, ut cujuſque tulit voluntas, declinavit. Sic tres cum emerunt Epheſi ſingulos ſervos; nonnunquam alius declinat nomen ab eo, qui vendit: Artemidorus, atque Artemam appellat: alius aut ab regione, quod ibi emit, ab Jonia, Jonam; aut ab urbe Epheſo,

Ephesium: sic alius ab aliqua alia re, ut visum est. Contra naturalem declinationem dico, quod non a singulorum oritur voluntate, sed a communi consensu. Itaque omnes impositeis nominibus, eorum item declinant casus; atque eodem modo dicunt hujus Artemidori, & hujus Jonæ, & hujus Ephesii: sic in aliis casibus. Cum utrumque nonnunquam accidat, & ut in voluntaria declinatione animadvertatur natura, & in naturali voluntas, quæ cujusmodi sint, aperietur infra. Quod utraque declinatione alia fiunt similia, alia dissimilia, de eo Græci Latinique libros fecerunt multos; partim cum alii putarent in loquendo ea verba sequi oportere, quæ a similibus similiter essent declinata, quas appellarunt ἀναλογίας: alii cum id neglegendum putarent, ac potius sequendam συνήθειαν dissimilitudinemque, quæ in consuetudine est: quam etiam vocant ἀνομαλίαν: cum, ut ego arbitror, utrumque sit nobis sequendum; quod in declinatione voluntaria sit ἀνομαλία, in naturali magis analogia. De quibus utriusque generis declinationibus libros faciam bis ternos: prioreis treis de earum declinationum disciplina; posterioreis, ex ejus disciplinæ propaginibus. De prioribus primus erit hic: quæ contra similitudinem declinationum dicantur. Secundus, quæ contra dissimilitudinem. Tertius de similitudinum forma. de quibus quæ experiero, singuleis tribus; tum de altereis totidem scribere ac dividere incipimus.

Incipiam, quod hujusce libri est, dicere contra eos, qui similitudinem sequuntur: quæ est, ut in

ætate puer ad ſenem, puella ad anum; in verbeis, ut eſt ſcribo, ſcribam, dico, dicam. prius contra univerſam analogiam; tum de ſinguleis partibus a natura ſermonis incipiam. Omnis oratio cum debeat dirigi ad utilitatem, ad quam tum denique pervenit, ſi eſt aperta & brevis; quæ petimus, quod obſcurus & longus orator eſt odio; & cum efficiat aperta, ut intellegatur; brevis, ut cito intellegatur; & apertam conſuetudo, brevem temperantia loquentis: & utrumque fieri poſſit ſine analogia: nihil ea opus eſt. Neque enim utrum Herculi an Herculis clavam dici oporteat, ſi doceat analogia, cum utrumque ſit in conſuetudine, non neglegendum; quod æque ſunt & brevia & aperta. Præterea, quod is utilitatis cauſa quæque res ſit inventa; ſi ex ea quis id ſit conſecutus, amplius eam ſcrutari non debet, cum ſit nimium otioſi. & cum utilitatis cauſa verba ideo ſint impoſita rebus, ut ea ſignificent; ſi id conſequimur una conſuetudine, nihil prodeſt analogia. Accedit, quod quæcunque uſus cauſa ad vitam ſint adſumta, in heis utilitatem quærere, non ſimilitudinem. itaque in veſtitu, cum diſſimillima ſit virilis toga tunicæ muliebri, ſtola pallio; tamen inæqualitatem hanc ſequimur nihilo minus. In ædificiis, quod non videmus habere atrium περίστυλον, ſimilitudinem, & cubiculum ad æquale; cum tamen propter utilitatem in heis diſſimilitudines potius, quam ſimilitudines, ſequamur. itaque & hiberna triclinia & æſtiva, non item valvata & feneſtrata facimus. Quare cum in veſtitu, ædificiis, ſic in ſupellectile,

cibo, cetereis omnibus, quæ uſu ad vitam ſunt adſumta, dominetur inæqualitas; in ſermone quoque, qui eſt uſus cauſa conſtitutus, ea non repudianda. Quod ſi quis duplicem putat eſſe ſummam, ad quas metas naturæ ſit perveniendum in uſu, utilitatis & elegantiæ: quod non ſolum veſtiti eſſe volumus, ut vitemus frigus, ſed etiam ut videamur veſtiti eſſe honeſte: non domum habere, ut ſimus in tecto & tuto ſolum, quod neceſſitas contruſerit; ſed etiam ubi voluptas retineri poſſit: non ſolum vaſa ad victum habilia, ſed & figura bella, atque ab artifice: quod aliud homini, aliud humanitati ſatis eſt. Quodvis ſitienti poculum homini idoneum; humanitati niſi bellum, parum. ſed cum diſceſſum eſt ab utilitate ad voluptatem, tamen in eo ex diſſimilitudine plus voluptatis, quam ex ſimilitudine, ſæpe capitur. quo nomine & gemina conclavia diſſimiliter pollent, & lectos non omneis pareis magnitudine ac figura faciunt. Quod ſi eſſet analogia petenda in ſupellectile; omnes lectos haberemus domi ad unam formam, & aut cum fulcro, aut ſine eo, nec tum ad tricliniarem gradum, non item ad cubicularem: neque potius delectaremur ſupellectile, diſtincta quæ eſſet ex ebore, aliiſque rebus diſparibuſque figureis, quam grabateis analogeis; cum ad ſimilem formam plerumque eadem materia fiunt. Quare aut negandum, nobis diſparia eſſe jucunda; aut quoniam eſſe neceſſe eſt confiteri, dicendum, verborum diſſimilitudinem, quæ ſit in conſuetudine, non eſſe vitandam. Quod ſi analogia nobis ſequenda eſt: aut ea nobis ob-

servanda est, quæ est in consuetudine; aut quæ non est. si ea, quæ est, sequenda est; præcepteis nihil opus est: quod cum consuetudinem sequemur, ea nos sequetur. si, quæ non est in consuetudine, sequemur; ut quisque duo verba in quattuor formeis finxerunt similiter, quamvis hæc nollemus, tamen erunt sequenda: ut, Juppiter, Marspiter: quas si quis servet analogias, pro insano sit reprehendendus. non ergo est ea sequenda. Quod si oportet, ut a similibus similiter omnia declinentur verba, sequitur, ut ab heis similibus similia debeant fingi. quod non fit: nam & a similibus alia fiunt similia, alia dissimilia: & a dissimilibus partim similia, partim dissimilia. A similibus similia, ut a bono ac malo, bonum, malum. A similibus dissimilia, ut a lupus, lepus; lupo, lepori. Contra a dissimilibus dissimilia, ut Priamus Paris, Priamo Pari. A dissimilibus similia, ut Juppiter Jovis, & Jovis Jovis. Eo etiam magis ἀναλογικῶς dissimilia finguntur, sed etiam ab iisdem vocabuleis dissimilia: neque a dissimilibus similia, sed etiam eadem. Ab iisdem vocabuleis dissimilia fingi apparet, quod cum duæ sint Albæ, ab una dicuntur Albani, ab altera Albenses: cum trinæ fuerint Athenæ, ab una dicti Athenæi, ab altera Athenienses, a tertia Athenæopolitæ. Si ex diverseis verbeis multa facta, in declinando inveniuntur eadem: ut cum dico a luo, luam, & abluo, abluam. Omnia fere nostra liberalia & muliebria multitudinis, cum recto casu fiunt dissimilia, cum dandei casu, similia. ut mares Terentii, feminæ Terentiæ: eadem in dandei,

vireis Terentiis, & mulieribus Terentiis. Dissimilia, Plautus & Plautius: & communia, hujus Plauti, & hujus Plautii. Denique si est analogia, quod in multeis verbeis est similitudo verborum: sequitur, quod in pluribus est dissimilitudo: ut non sit in sermone sequenda analogia. Postremo, si est in oratione, aut in omnibus ejus partibus est, aut in aliqua: & in omnibus non est: in aliqua esse parum est: ut album esse Æthiopem, non satis est quod habet candidos dentes. non est ergo analogia. Cum a similibus verbeis, quæ declinantur, similia fore pollicentur, qui analogias esse dicunt, & cum simile tum denique dicentes se ostendere ex verbo verbum, quod ex eodem sit genere, eadem figura transitum de casu in casum similiter ostendi possit. Qui hæc dicunt, utrumque ignorant, & in quo loco similitudo debeat esse, & quemadmodum spectari soleat, simile sit necne. quæ cum ignorant, sequitur, ut cum analogiam dicere non possint, sequi debeamus. Quæro enim, verbum utrum dicant vocem, quæ ex syllabeis est ficta, eam, quam audimus; an quod eam significat, quam intellegimus; an utrumque. si vox voci esse debet similis, nihil refert, quod significat, mas an femina sit: & utrum nomen, an vocabulum sit. quod illi interesse dicunt. Sin illud quod significatur, debet esse simile, Diona & Theona, quos dicunt esse ipsi pæne geminos, inveniuntur esse dissimiles: si alter erit puer, alter senex, aut unus albus, alter Æthiops: item aliqua re alia dissimiles. Sin ex utraque parte debeat verbum esse simile: non cito invenie-

tur, quin in alterutra re claudicet. nec Perperna & Alphena erit ſimile: quod alterum nomen virum, alterum mulierem ſignificat. Quare quoniam ubi ſimilitudo eſſe debeat, nequeunt oſtendere: impudentes ſunt, qui dicunt eſſe analogias.

Alterum illud, quod dixi, quemadmodum ſimile exſpectari oporteret, ignorare apparet ex eorum præcepto, quod dicunt, cum tranſierit e nominandei caſibus in eos, quos appellant vocandei, tum denique poſſe dici rectos eſſe ſimileis aut diſſimileis. eſſet enim, ut ſi quis Menæchmos geminos cum videat, dicat, ſe non poſſe judicare diſſimileſne ſint, niſi qui ex heis ſint nati, conſiderarit: nunc diſcrepant inter ſe. nihil, inquam, quo magis minuſve ſit ſimile, quod conferas cum altero, ad judicandum extrinſecus oportet ſumi. Quare cum ignorent, quemadmodum ſimilitudo debeat ſumi, de analogia dicere non poſſunt. Hæc apertius dixiſſem, niſi brevius eo nunc mallem; quæ infra ſunt, planius uſurpanda. Quare quod ad univerſam verborum naturam attinet, hæc attigiſſe modo ſatis eſt. Quod ad parteis ſingulas orationis, deinceps dicam. quarum vis, quoniam ſunt diviſiones plures, nunc ponam potiſſimum in quæ dividitur. Oratio ſervanda, ut natura, in quattuor parteis: unam, quæ habet caſus; alteram, quæ habet tempora; & tertiam, quæ habet neutrum; & quartam, in qua eſt utrumque. Has vocant quidam, appellandei, dicendei, adminiculandei, jungendei. Appellandei dicitur, ut homo, & Neſtor: dicendei, ut ſcribo, & lego: jungendei, ut atque: adminiculandei, ut do-

cte, & commode. Appellandei partes sunt quattuor: e queis dicta a quibusdam provocabula, quæ sunt, ut quisque: vocabula, ut scutum, gladius: nomina, ut Romulus, Remus: pronomina, ut hic, hæc. Duo media dicuntur nomina; prima & extrema, articuli. Primum genus est infinitum: secundum, ut infinitum; tertium, ut effinitum: quartum, finitum. Hæc sigillatim triplicia esse debent, quoad sexum, multitudinem, casum. Sexum, utrum virile, an muliebre, an neutrum sit: ut doctus, docta, doctum. Multitudinem, unum, an plura significet: ut hic, hi, hæ. Casum, utrum recto sit, ut Marcus; an obliquo, ut Marco; an communi, ut Jovis. Heis dicteis partibus, singulas prospice, quo facilius nusquam esse analogias, quas sequi debeamus, videas. Nempe esse oportebat vocis formas ternas, ut in hoc, humanus, humana, humanum. sed habent quædam binas, ut cervus, cerva: quædam singulas, ut aper, & sic multa. non ergo est in hujuscemodi generibus analogia. Et in multitudine, ut unum significat pater, plures, patres: sic omnia debuerunt esse bina. Sed & singularia solum sunt multa, ut cicer, siser (nemo enim dicit cicera, sisera) & multitudinis, ut salinæ. non enim ab heis singulari specie dicitur salina, & balnea. Neque ab eo, quod dicunt balneum, habet multitudinem consuetudo. nam quod est, ut prædium, balneum: debuerunt esse plura, ut prædia, balnea: quod non est. non est ergo in heis quoque analogia. Alia casus habent, & rectos & obliquos: alia rectos solum: alia modo obliquos. Ha-

bent utrosque, ut Juno, Junonis: rectos modo, ut Juppiter, Marspiter: obliquos solum, ut Jovis, Jovem. non ergo in heis est analogia. Nunc videamus in illa quadripartita. Primum si esset analogia, ut in heis tribus articuleis, ut est quis, quem, cujus: sic diceretur, quæ, quam, cujus. Et ut est quis, cui, sic diceretur qua, quæ: nam est proportione simile. ut Deæ bonæ, quæ sit: Dea bona, quæ est. & ut est quem, quis: sic quos, ques. Quare quod nunc dicitur, qui homines, dici oportuit ques. Præterea, ut est ab is, ei, sic ab ea, eæ diceretur, quod nunc dicitur ei: & pronuntiaretur, ut in ieis vireis, sic eeis mulieribus. & ut est in recteis, is, ea: debuit esse ibus, eeis: sed id est in obliqueis ieis. nunc non modo in virili, sicut in muliebri, dicitur ejus: sed etiam in neutreis articuleis, ut, ejus viri, ejus mulieris, ejus pabuli: cum discriminentur in recteis casibus, is, ea, id. De hoc genere parcius tetigi, quod librarios hæc spinosiora indulgentius laturos putavi. De nominativeis, quæ accidunt proxime ad finitam naturam articulorum, atque appellantur vocabula, ut homo, & equus: eorum declinationum genera sunt quattuor. unum, nominandei, ut ab equo, equile: alterum, casuale, ut ab equo, equum: tertium, augendei, ut ab albo, albius: quartum, minuendei, ut a cista, cistula. Primum genus (ut dixi) id est, cum aliqua parte orationis declinata sunt recto casu vocabula: ut a balneeis, balneator. hoc fere triplices habet radices: quod & a vocabulo oritur, ut a venatore, venabulum: & a nomine, ut a Tibure, Ti-

burs: & a verbo, ut a currendo, curſor. In nullo horum analogiam ſervare videbis. Primum cum dicatur, ut ab ove & a ſue, Ovile & Suile, ſic a bove dicitur Bubile, non bovile. Et cum ſimile ſit avis, & ovis: neque dicitur, ut ab ave Aviarium, ab ove ovile, ab ave avile non eſt, neque ab ove oviarium. Et cum debuerit eſſe, ut a cubatione Cubiculum, ſic a ſeſſione ſediculum non eſt. Quoniam taberna, ubi venit vinum, a vino Vinaria, a creta Cretaria, ab unguento Unguentaria dicitur: ἀναλογικῶς ſi eſſent vocabula, ubi caro venit, carnaria: ubi pelles, pellaria: ubi calcei, calcearia dicerentur: non laniena, pelleſuina, ſutrina. Et ſicut eſt ab uno Uni, a tribus Trini, a quattuor Quatrini, ſic a duobus Duini, non Bini dicerentur. nec non ut quadrigæ, trigæ, ſic potius duigæ, quam Bigæ. Permulta ſunt hujuſce generis: quæ, quoniam admonitus perſpicere poteſt, omitto. Vocabula, quæ a nominibus oriuntur, ſi a ſimilibus nominibus ſimilia eſſe debent, dicemus, quoniam gemina ſunt, Parma, Alba, Roma; Parmenſes: aut quoniam ſimilis eſt Roma, Nola, Parma; dicemus, ut Romani, Nolani, ſic Parmani. & a Pergamo, ab Ilio ſimiliter, ut Pergamenus, ſic Ilienus: aut ut Ilius mas & Ilia femina, ſic Pergamus & Pergama. Et quoniam ſimilia nomina ſunt Aſia, Libya; dicemus ut Aſiaticos, ſic Libyaticos homines. Quæ vocabula ducuntur a verbeis, ſiunt, ut a ſcribendo Scriptor, a legendo Lector. hæc quoque non ſervare ſimilitudinem, licet videre ex heis. cum ſimiliter dicatur, ut ab amando Amator, a

salutando Salutator, a cantando Cantator: & cum dicatur, Lassus sum metendo, ferendo: ex heis vocabula non reddunt proportionem: quod non fit, ut Messor, Fertor. Multa sunt item in hac specie, in quibus potius consuetudinem sequimur, quam rationem verborum. Præterea, cum sint ab eadem origine verborum vocabula dissimilia superiorum; quod simul habeant casus & tempora, quæ vocantur participia; & multa sint contraria, ut amor amo, feror fero: ab amo & ejusmodi omnibus verbeis oriuntur præsens & futurum, ut amans & amaturus: & ab eis verbeis tertium, quod debet fingi præteriti, in lingua Latina reperiri non potest. non ergo est analogia. Sic amabor, legor, & ejusmodi verbi, est vocabulum ejus generis præteriti temporis, fit, ut amatus eram, sum, ero: neque præsentis & futuri ab heis fit. non est ergo analogia: præsertim cum tantus numerus vocabulorum in eo genere interierit; quod dicimus in heis verbeis, & in ieis verbeis quæ contraria non habent, loquor, venor: tamen dicimus loquens, venans: locuturus, venaturus. quod secundum analogias non est: quoniam dicimus loquor, & venor. Unde illa, quæ erant superiora, minus servantur. quod cum heis, quæ contraria verba habent, alia efficiunt terna, ut ea, quæ dixi: alia, bina, ut ea, quæ dicam, currens, ambulans: cursurus, ambulaturus. tertia enim præteriti non sunt: ut cursus sum, ambulatus sum. Neque in heis quidem, quæ sæpius quid fieri ostendunt, servant analogiam: ut est a cantando cantitans, ab amando

amitans non eſt, & ſic multa. Ut in heis ſingularibus, ſic in multitudinis: ſicut enim cantitantes, ſeditantes non dicuntur. Quoniam eſt vocabulorum genus, quod appellant compoſitum, & negant conferri id oportere cum ſimplicibus, de quibus adhuc dixi: de compoſiteis ſeparatim dicam. Cum a tibiis & canendo tibicen dicitur: quærunt, ſi analogias ſequi oporteat, cur non a cithara & pſalterio, & pandura, dicamus citharicen, & ſic alia. Si ab æde & tuendo Ædituus eſt; cur ab atrio & tuendo non atrituus ſit potius, quam Atrienſis? Si ab avibus capiendeis Auceps dicatur, debuiſſe ajunt ex piſcibus capiendeis piſciceps, ut aucupem, ſic piſcicupem dici, & ubi lavetur æs, ærarias, non Ærelavinas nominari. & ubi fodiatur argentum, Argentifodinas dici: neque ubi fodiatur ferrum, Ferrifodinas. Qui lapides cædunt, lapicidas: qui ligna, lignicidas non dici. neque ut aurificem, ſic argentificem. non doctum dici indoctum, non ſalſum inſulſum. Sic & ab hoc quoque fonte quæ profluant, animadvertere eſt facile. Relinquitur de caſibus, in quo Ariſtarchei ſuos intendunt nervos. Primum ſi in heis eſſet analogia, dicunt debuiſſe omneis nominativos & articulos habere totidem caſus: nunc alios habere unum ſolum, ut literas ſingulas omnes: alios, treis, ut prædium, prædii, prædio: alios, quattuor, ut mel, mellis, melli, melle; alios, quinque, ut quintus, quinti, quinto, quintum, quinte: alios, ſex, ut unus, unius, uni, unum, une, uno. Non eſſe ergo in caſibus analogias. Secundo, quod Crates dicebat,

cur quæ ſingulos habent caſus, ut literæ Græcæ, non dicantur alpha, alphatos? Si idem mihi reſpondebitur, quod Crateti, non eſſe vocabula noſtra, ſed penitus barbara: quæram, cur iidem noſtra nomina, & Perſarum, & ceterorum, quos vocant barbaros, cum caſibus dicant. quare, ſi eſſet analogia, aut, ut Pœnicorum & Ægyptiorum vocabula, ſinguleis caſibus dicerentur: aut pluribus, ut Gallorum & ceterorum. Nam dicunt ab alaco alacus, & ſic alias. In quod ſcribent, dicent, quod Pœnicum ſit, ſinguleis caſibus: ideo eas literas Græcas nominari: ſic Græci noſtra ſeneis caſibus non quineis dicere debebant. quod cum non faciunt, non eſt analogia. Quæ ſi eſſet, negant ullum caſum duobus modeis debuiſſe dici: quod fit contra. Nam ſine reprehenſione vulgo alii dicunt in ſingulari, hac ovi & avi: alii, hac ove & ave. In multitudinis, hæ puppeis, reſteis, & hæ puppes, reſtes. Item, quod in patrico caſu hoc genus diſpariliter dicatur civitatum, parentum: civitatium, parentium: in accuſandei hos monteis, fonteis, hos montes, fontes. Item cum ſi ſit analogia, debent a ſimilibus verbeis ſimiliter declinateis ſimilia fieri, & id non fieri oſtendi poſſit: deſpiciendam eſſe eam rationem. Atqui oſtenditur. nam quid poteſt ſimilius eſſe, quam mens, dens, gens? cum horum caſus patricus, & accuſandei, in multitudine ſint diſpariles. nam a primo fit gentium, & genteis, utrobique ut ſit I: a ſecundo mentium, & mentes, ut in priore ſolo ſit I: a tertio dentum, & dentes, ut in neutro ſit I. Sic item, quoniam ſimi-

le eſt recto caſu ſurus, lupus, lepus; rogant, cur non dicant proportione item ſuro, lupo, lepo. Si reſpondent, ſimilia non eſſe, quod ea vocemus diſſimiliter, ſure, lupe, lepus: ſic enim reſpondere voluit Ariſtarchus Crateti. nam cum ſcripſiſſet ſimilia eſſe, Philomedes, Heraclides, Melicertes; dixit, non eſſe ſimilia. in vocando enim cum E brevi dici Philomede, cum E longo Heraclide, & cum E brevi Melicerte. In hoc dicunt Ariſtarchum non intellexiſſe, quod quæreretur, cum ſic ſolverit. Sic enim, ut quidquid in obliqueis caſibus diſcrepavit, dicere potuit, propterea rectos caſus non eſſe ſimileis: cum quæratur, duo inter ſe ſimilia ſint necne, non debere extrinſecus adſumi, cur ſimilia ſunt. Item, ſi eſſet analogia, ſimiliter aves, oves, ſues dicerent: item ut ovium, avium, ſic ſuium. Si analogia eſt, inquit, cur populus dicit Dii Penates, Dii Conſentes? cum ſit, ut hic reus, ferus, Deus; ſic hi rei, feri, Dei? Item quærunt, ſi ſit analogia, cur appellant omnes ædem Deum Conſentum, & non Deorum Conſentium? Item cur dicatur mille denarium, non mille denariorum? eſt enim hoc vocabulum ea figura, ut Vatinius, Manlius, denarius. debet igitur dici, ut Vatiniorum, Manliorum, ſic denariorum. & non equum publicum mille aſſarium eſſe, ſed mille aſſariorum. ab uno enim aſſario multi aſſarii, ab eo aſſariorum. Item ſecundum illorum rationem debemus ſecundeis ſyllabeis longeis dicere Hectōrem, Neſtorēm. eſt enim ut quæſtor, prætor, Neſtor, Hector. Et non debuit dici, quibus

das, ſed queis das. eſt enim ut eeis, heis, queis. At ſi eſt quibuſcum, non ibus & hibuſcum dicatur? Da patri familias, dicere non debuerunt, ſi analogias ſequi vellent: quod eſt ut Atiniæ, Scatiniæ, familiæ; ſic una Atinia, Scatinia, familia. Item plúres patres familias dicere non debuerunt, ſed, ut Siſenna ſcribit, patresfamiliarum. Neque oportebat conſuetudinem notare: alios dicere boum greges, alios boverum: ut ſtruum, ſic Jovum, & Joverum: cum eſſet ut Jovis, bovis, ſtruis, Jovem, bovem, ſtruem, Jovi, bovi, ſtrui. Nec cum hæc convenirent in obliqueis caſibus, dubitare debuerunt in recteis propinquioribus: nunc in conſuetudine aliter dicere pro Jovis, Juppiter: pro bovis & bus, bos: pro ſtruis, ſtrues.

Deinceps dicam de altero genere vocabulorum, in quo contentiones ſunt: ut album, albiús, albiſſimum. in quo eam analogiam non ſervari apparet. nam cum ſit ſimile, ſalſum, caldum: & dicatur ab heis, ſalſius, ſalſiſſimum, caldius, caldiſſimum debuit dici. quoniam ſimile eſt bonum, malum: ab heis bonius & malius, boniſſimum & maliſſimum: nonne dicimus, bonum, melius, optimum? malum, pejus, peſſimum? In aliis verbeis nihil deeſt: ut dulcis, dulcior, dulciſſimus. in aliis primum, ut pejus, peſſimum: in aliis medium, ut cæſius, cæſiſſimus: in aliis bina ſunt, quæ ſint ab eadem voce declinata: & ea ita, ut alias deſint ſecundum & tertium, ut in hoc, mane, manius, maniſſime: alias, ut duo prima abſint, ut optimum: alias, ut primum & tertium deſit, ut melius. Præ-

terea si dicerent similiter declinari, cum similia essent macer, sacer, tener: & macerrimus, sacerrimus, tenerrimus: non discreparent in heis, macrior, & magis sacer, & tenerior: neque alia trisyllaba fierent, &, si in heis dominaretur similitudo, diceremus, ut candidissimus, candidissima, pauperrimus, pauperrima: ut candidus, candida, pauper, paupera. & ut dicimus doctus, docta, doctissimus, doctissima: sic diceremus, frugalissimus, frugalissima, frugus & fruga. Ea si proportione essent verba, ut uno vocabulo dicimus virum & mulierem sapientem, & diligentem, & sapientiorem, & diligentiorem: sic diceremus item, cum perveniremus ad summum. quod facimus aliter: nam virum dicimus sapientissimum & diligentissimum: feminam, sapientissimam & diligentissimam. Quod ad vocabulorum hujus generis exempla pertinet, multa sunt reliqua. sed eadem, quæ dicta, ad judicandum satis sunt, quod analogias in collatione verborum sequi non debemus. Magnitudinis vocabula cum possint esse terna, ut cista, cistula, cistella: in mediis non sunt: ut in heis, macer, macricolus, macellus: niger, nigricolus, nigellus. Item minima in quibusdam non sunt, ut avis, avicula, avicella: caput, capitulum, capitellum. In hoc genere vocabulorum quod multa desunt, dicendum est non esse in eo, sed potius sequendam consuetudinem, quam rationem. Quod ad vocabulorum genera quattuor pertinet, ut in

hoc potius consuetudinem, quam analogiam dominari facile animadverti possit, dictum est.

Sequitur de nominibus, quæ differunt a vocabuleis, ideo quod sunt infinita, ac res communeis designent: ut vir, mulier: cum nomina sint finita, ac significent res proprias, ut Paris, Helena. e quibus sunt alia nomina a nominibus, ut Ilium, ab Ilo, & Ilia, ab Ilio: alia a vocabulo, ut ab albo, albius, & ab atro, atrius: in neutreis servata est analogia. Nam & cum sit a Romulo Roma, proportione non est, quod debuit esse Perperni filia, non Perpernæ. Perperna mulieris nomen esse debuit, & nata a Perperno: quod est, ut Arbernus, Perpernus: Arberna, Perperna. Quod si Marcus Perperna virile est nomen, & analogia sequenda: Lucius Ælia, & Quinctus Mucia, virilia nomina esse debebunt. Item quæ habent ab Rhodo, Andro, Cyzico, Rhodius, Andrius, Cyzicenus: similiter Cyzicius civis diceretur unusquisque. Nam ut ab Atheneis Athenæus dicitur rhetor nomine, etsi non sit Atheniensis, in hoc ipso analogia non est: quod alii nomina habent ab oppideis; alii aut non habent, aut non, ut debent, habent. habent plerique libertini a municipio manumissi. in quo, ut societatum & fanorum servi, non servarunt proportionem & rationem, & Romanorum liberti debuerunt dici. ut a Faventia Faventinus, a Reate Reatinus: sic a Roma Romanus. ut nominantur a libertineis orti publici servi,

Romani, qui manumissi ante, quam sub magistratus nomina, qui eos liberarunt, succedere cœperunt. hinc quoque illa nomina Lesas, Ufenas, Carinas, Mæcenas: quæ cum essent a loco, ut Urbinas, & tamen Urbinus, ab heis debuerunt dici ad nostrorum nominum similitudinem.

Deest pagina.

M. TERENTII VARRONIS DE LINGUA LATINA

LIBER OCTAVUS.

Desunt quædam.

tam nesciunt docere, quam discere, quæ ignorant. in quo fuit Crates nobilis grammaticus, qui fretus Chrysippo, homine acutissimo, qui reliquit sex libros περὶ τῆς ἀνομαλίας, heis libreis contra analogiam atque Aristarchum est nixus: sed ita, ut scripta indicant ejus, ut neutrius videatur pervidisse voluntatem. quod & Chrysippus, de inæqualitate cum scribit sermones, propositum habet ostendere similes res dissimilibus verbeis, & similibus dissimiles, esse vocabuleis notatas. id quidem est verum: & cum Aristarchus de æqualitate conscribit, & de verborum similitudine; quorundam inclinationes sequi jubet, quoad patiatur consuetudo. Sed hi, qui in loquendo partim sequi jubent nos consuetudinem, partim rationem, non tam discrepant: quod consuetudo & analogia conjunctiores sunt inter se, quam hi credunt. quod est nata ex quadam consuetudine analogia: & ex hac consuetudo ex dissimi-

libus & ſimilibus verbeis eorum, quod declinationibus conſtat. neque anomalia, neque analogia eſt repudianda. niſi ſi non eſt homo ex anima, quod eſt homo ex corpore & anima. Sed ea, quæ dicam, quo facilius pervideri poſſint, prius de trineis copuleis diſſerendum: nam confuſim ex utraque parte pleraque dicuntur, quorum alia ad aliam referri debent ſummam. Primum de copuleis naturæ & ſueis. hæc enim duo ſunt, quæ exigunt diverſa: quod aliud eſt, dicere verborum analogias, aliud, dicere uti oportere analogiis. Secundum de copuleis multitudinis, ac finis: utrumque omnium verborum dicatur eſſe analogia, an uſus, an majoris partis. Tertium, de copuleis perſonarum, qui eis debent uti, quæ ſunt plures. Alia enim populi univerſi, alia ſingulorum: & de heis non eadem oratores & poetæ: quod eorum non idem jus. Itaque populus univerſus debet in omnibus verbeis uti analogia: &, ſi perperam eſt conſuetus, corrigere ſe ipſe; cum orator non debeat in omnibus uti: quod ſine offenſione non poteſt facere, cum poetæ tranſilire lineas impune poſſint. Populus enim in ſua poteſtate, ſinguli in illius. Itaque ut ſuam quiſque conſuetudinem, ſi mala eſt, corrigere debeat; ſic populus ſuam. Ego populi conſuetudinis non ſum, ut dominus: at ille meæ eſt. Ut rationi obtemperare debet gubernator, gubernatori unuſquiſque in navi; ſic populus rationi, nos ſinguli populo. Quare ad quamcunque ſummam in dicendo referam, ſi animadvertes, intelliges, utrum dicatur analogia eſſe, an, uti oporteret, redigere; dici id in popu-

lum aliter; ac inde omnibus dici in eum, qui ſit in populo.

Nunc jam primum dicam pro univerſa analogia, cur non modo videatur eſſe reprehendenda, ſed etiam cur in uſu quodammodo ſequenda. Secundo, de ſinguleis criminibus, quibus rebus poſſint, quæ dicta ſunt contra, ſolvi. dicam ita, ut generatim comprehendam & ea, quæ in priori libro ſunt dicta, & ea, quæ poſſunt dici, atque illic præterii. Primum, quod ajunt, qui bene loqui velit, conſuetudinem, non rationem ſimilitudinum, ſequi oportere: quod alterum ſi neglegat, ſine offenſione facere non poſſit; alterum ſi ſequatur, quod ſine reprehenſione non ſit futurum; errant: quod qui in loquendo conſuetudinem, qua oportet uti, ſequitur, non ſine ea ratione. Nam vocabula ac verba, quæ declinamus, ſimiliter ea in conſuetudine eſſe videmus, & ad eam referimus: & ſi quid eſt erratum, non ſine ea corrigimus. Nam ut qui triclinium conſtrarunt, ſi quem lectum de tribus unum imparem poſuerunt, aut de paribus nimium, aut parum produxerunt; una corrigimus, & ad conſuetudinem communem, & ad aliorum tricliniorum analogias. Sic ſi quis in oratione in pronuntiando ita declinat verba, ut dicat diſparia; quod peccat, redigere debemus ad ceterorum ſimilium verborum rationem. Cum duo peccati genera ſint declinationum: unum, quod in conſuetudinem perperam receptum eſt; alterum, quod nondum eſt, & perperam dicatur: unum dant, non oportere dici, quod ſit in conſuetudine; alterum non con-

ceditur, quin ita dicatur, ut ſit ſimile. cum id faciat, ac ſi quis puerorum per delicias pedes male ponere, atque imitari vacias cœperit, hos corrigi oportere, ſi concedant: contra ſi quis in conſuetudine ambulandei jam factus ſit vacia, aut compernis, ſi eum corrigi non concedant. non ſequitur, ut ſtulte faciant, qui puereis in geniculeis alligent ſerperaſtra, ut eorum depravata corrigant crura. cum culpandus non ſit medicus, qui e longinqua mala conſuetudine ægrum in meliorem traducit: quare reprehendendus ſit, qui orationem minus valentem propter malam conſuetudinem traducit in meliorem? Pictores, Apelles, Protogenes, ſic alii artifices egregii non reprehendendi, quod conſuetudinem Myconis, Dioris, Arimnæ & aliorum ſuperiorum non ſunt ſecuti: Ariſtophanes improbandus, qui potius in quibuſdam veritatem, quam conſuetudinem ſecutus? Quid ſi viri ſapientiſſimi, & in re militari & in aliis rebus multeis contra veterem conſuetudinem cum eſſent uſi, laudati; deſpiciendi ſunt, qui potiorem dicunt oportere eſſe conſuetudinem ratione? An cum quis perperam conſueverit quid facere in civitate, non modo non patiemur, ſed etiam pœna adficiemus? item ſi quis perperam conſueverit dicere verbum, non corrigemus, cum id fiat ſine pœna? & hi, qui pueros in ludum mittunt, ut diſcant, quæ neſciunt, verba, quemadmodum ſcribant: itidem barbaros, qui ignorabunt verba, quemadmodum oportuit dici, non docebimus, ut ſciant, qua ratione conveniat dici? ſed ut nutrix pueros a lacte non ſubito

evellit a consuetudine, cum a cibo pristino in meliorem traducit: sic in majoribus loquendo, a minus commodeis verbeis ad ea, quæ sunt cum ratione, modice traducere oportet. cum sint in consuetudine contra rationem alia verba, ita ut ea facile tolli possint: alia, ut videantur esse fixa, quæ leviter hærent, ac sine offensione commutari possint. Si enim ad rationem corrigi oportet, quæ non ad rationem sunt, ita ut in præsentia corrigere nequeas: quin ita dicas, heis oportet, si possis, non uti. sic enim obsolescent, ac postea jam oblitera-ta facilius corrigi poterunt. Quas novas verbi declinationes ratione introductas respuet forum, iis boni poetæ, maxime scænici, consuetudine subigere aureis populi debent. quod poetæ multum possint in hoc, propter eos quædam verba in declinatione melius, quædam deterius dicuntur. Consuetudo loquendi est in motu. itaque solet fieri ex meliore deterior. meliora verba perperam dicta apud antiquos aliquos, propter poetas non modo nunc dicuntur recte, sed etiam quæ ratione dicta sunt tum, nunc perperam dicuntur. Quare, qui ad consuetudinem nos vocant, si ad rectam, sequamur. in eo enim quoque est analogia. si ad eam invitent, quæ est depravata, nihilo magis sequemur. nisi cum erit necesse, sequar in cetereis rebus mala exempla. nam ea quoque, cum aliqua vis urget, inviti sequimur. Neque enim Lysippus artificum priorum potius est vitiosa secutus, quam artem: sic populus facere debet, etiam singuli, sine offensione quod fiat populi, qui amissa modo quærant, sed etiam quod

indicium dent: iidem, ex sermone si quid deperiit, non modo nihil impendunt, ut requirant, sed etiam contra indices repugnant, ne restituatur verbum novum & ratione introductum, quo minus ut recipiamus, vitare non debemus. Nam ad usum in vestimenteis, ædificiis, supellectili, novitati non impedit vetus consuetudo. Quem enim amor adsuetudinis potius in panneis possessorem retinet, quam ad nova vestimenta traducit? An non sæpe veteres leges abrogatæ noveis cedunt? nonne inusitateis formeis vasorum recentibus a Græcia adlatis obliteratæ antiquæ consuetudinis sinorum & capidarum species? Heis formeis vocabulorum contaminati uti nollent, quæ docuerit ratio propter consuetudinem veterem? Et tantum inter duos sensus interesse volunt, ut oculeis semper aliquas figuras supellectilis novas conquirant, contra aureis expertes velint esse? Quotus quisque jam servos habet prisceis nominibus? quæ mulier suum instrumentum atque vasa auri, veteribus vocabuleis appellat? Inducteis non tam irascendum, quam hujusce pravitatis patroneis. Si enim usquequaque non esset analogia, tum sequebatur, ut in verbeis quoque non esset; non cum esset usquequaque (ut est) non esse in verbeis. Quæ enim est pars mundi, quæ non innumerabiles habeat analogias? Cælum, an mare, an terra, an aer, & cetera, quæ sunt in heis? nonne in cælo, ut ab æquinoctiali circulo ad solstitialem, & hinc ad septemtrionalem divisum? sic contra paribus partibus item a bruma versum contraria parte? non, quantum polo supe-

rior, abest inferior ab eo, quem ἀνταρκτικὸν vocant astrologi, & is ad brumalem? non, quemadmodum quodque signum exortum hoc anno, quotquotanneis eodem modo exoritur? Num aliter sola brumæ venit ad æquinoctium? an contra cum ad solstitium, venit ad æquinoctialem circulum, & inde ad brumam? Nonne luna, ut a sole discedit ad aquilonem, & inde redit in eandem viam; sic inde fertur ad austrum & regreditur inde? Sed quid plura de astreis, ubi difficilius reperitur quid sit, aut fiat in motibus dissimiliter? At in mari, credo, motus non habent dissimilitudines geminas, qui in viginti quattuor horeis lunaribus cottidie quater se mutant? At cum sex horeis æstus creverunt, totidem decreverunt rursum iidem. Item ab heis, an hanc analogiam ad diem servant, ad mensem non item alios motus? Sic item cum habeant alios inter se convenientes, de quibus in libro, quem de æstuariis feci, scripsi.

Non in terra in sationibus servata analogia? nec cujusmodi in præterito tempore fructuum genera reddidit, similia in præsenti reddat: & cujusmodi a tritico jacto reddit segetes, sic ordeo sato proportione reddit parileis? Nonne ut Europa habet flumina, lacus, monteis, campos; sic habet Asia? Non in volucribus generatim servatur analogia? non ex aquileis aquilæ, atque ex turdeis qui procreantur, turdi: sic ex reliqueis sui cujusque generis? An aliter hoc fit, quam in aere, in aqua? non hic conchæ inter se generatim innumerabili numero similes? non pisces? sane murena fit lu-

pus, aut merula? Non bos ad bovem conlatus, similis? &, qui ex heis progenerantur, inter se vituli? etiam ubi dissimilis setus, ut ex equa & asino mulus: tamen ibi analogia: quod ex quocunque asino & equa nascitur item mulus, aut mula, ut ex equo & asina hinnuli. Non sic ex viro & muliere omnis similis partus? quid pueri & puellæ? non horum ita inter se non omnia similia membra, ut separatim in suo utroque genere similitudines sint pariles? Non homines omneis cum sint ex anima & corpore, partes quoque horum proportione similes? Quid ergo, cum omnes animæ hominum sint divisæ in octonas parteis, inter se non proportione similes? quinque, quibus sentimus: sexta, qua cogitamus: septima, qua progeneramus: octava, qua voces mittimus? Igitur, quoniam qua loquimur voce orationem, hanc quoque necesse est natura habere analogias. itaque habet, an non? Vides, ut Græci habeant eam quadripartitam? unam, in qua sit casus; alteram, in qua tempora; tertiam, in qua neutrum; quartam, in qua utrumque: sic nos habere? Et quid, verba nescis, ut apud illos sint alia finita, alia non: sic utraque esse apud nos equidem non dubito. Qui animadverterunt item in eam innumerabilem similitudinem numerum: ut trium temporum verba, ut trium personarum. quis enim potest non animadvertisse, in omni oratione esse, ut legebam, lego, legam: sic lego, legis, legit: cum hæc eadem dicantur alias ut singula, alias ut plura significent? Quis est enim tam tardus, qui illas quoque non anim-

advertit ſimilitudines, quibus utimur imperando, quibus in optando, quibus in interrogando, quibus in infecteis rebus, quibus in perfecteis, ſic in aliis diſcriminibus? Quare qui negat eſſe rationem analogiæ, non videt naturam non ſolum orationis, ſed etiam mundi: qui autem vident, & ſequi negant oportere, pugnant contra naturam, non contra analogiam: & pugnant volſelleis, non gladio: cum pauca excepta verba ex pelago ſermonis puri, minus trita efferant; cum dicant propterea analogias non eſſe. ſimiliter ut ſi quis viderit mutilum bovem, aut luſcum hominem, claudicantem equum, neget in cornibus boum, hominum & equorum, naturam ſimilitudinis proportione conſtare. Qui autem, cum duo genera eſſe dicunt analogiæ: unum naturale, quod, ut ex lentibus nateis naſcuntur lentes, ſic ex lupineis lupinum: alterum voluntarium, ut in fabrica, cum vident ſcænam, ut dexteriore parte ſint oſtia, ſic eſſe in ſiniſteriore ſimili ratione facta: de heis duobus generibus naturalem eſſe analogiam: ut ſit in motibus cæli: voluntariam vero eſſe, quod ut cuique fabro libitum ſit, poſſit facere partem ſcænæ; ſic in hominum partibus eſſe analogias; quod eas natura fecit: in verbeis non eſſe, quod & homines ad ſuam quiſque voluntatem ſingunt. itaque de iiſdem rebus alia verba habere Græcos, alia Syros, alia Latinos. Ego declinatus verborum & voluntarios & naturales eſſe puto. voluntarios, quibus homines vocabula impoſuerint rebus quædam, ut a Romulo Roma, a Tibure Tiburtes: naturales, ut ab impoſiteis vo-

cabuleis, quæ inclinantur in tempora aut in casus: ut ab Romulus, Romuli, Romulo, Romulum, & a Dico, dicebam, dixeram. Itaque in voluntariis declinationibus inconstantia est; in naturalibus constantia: quas utrasque, quoniam id non debeant negare esse in oratione, quod in mundi partibus omnibus sit, & declinationes verborum innumerabiles, dicendum est, esse in iis analogiam. Neque ideo statim ea in omnibus verbeis est sequenda. nam si qua perperam declinavit verba consuetudo, ut ea aliter efferri non possint sine offensione multorum; hinc orationem verborum non prætermittendam ostendit loquendi ratio. Quod ad universalem pertinet causam, cur similitudo & sit in oratione & debeat observari, & quam ad finem quoque, satis dictum. Quare, quod sequitur, de partibus singuleis deinceps expediemus: ac singula crimina, quæ dicunt in analogias, solvemus. In quo animadverto, natura quadruplicem esse formam, ad quam in declinando accommodari debeant verba: quod debeat subesse res, quæ designetur; & ut sit ea res in usu: & ut vocis natura ea sit, quæ significavit, ut declinari possit, & similitudo. Figura verbi, ut sit ea, quæ ex se declinata genus prodere certum possunt. quo neque a terra terrus ut diceretur, postulandum est, quod natura non subest. ut in hoc alterum maris, alterum feminæ debeat esse. Sic neque propter usum, ut Terentius significat unum, plures, Terentii, postulandum est, ut sic dicamus faba & fabæ. non enim in similibus utrumque. neque ut dicimus Terentius Terentium, sic postulan-

dum ut inclinemus A & B: quod non omnis vox natura habet declinatus. neque enim forma conlata quærendum solum, quid habeat in figura simile, sed etiam nonnunquam in eo, quem habeat effectum. Sic enim lana Gallicana & Appulà videtur imperito similis propter speciem; cum peritus Appulam emat pluris, quod in usu firmior sit. Hæc nunc strictim dicta, apertiora fient infra. incipiam hinc. Quod rogant, ex qua parte oporteat simile esse verbum, ab voce an a significatione: respondeamus, a voce. sed tamen nonnunquam quærimus, genere similiane sint, quæ significantur; ac nomen virile cum virili conferimus, feminæ cum muliebri. non quod id, quod significant voces, commoveat; sed quod nonnunquam in re dissimilis figuræ, formas vocum indissimiles ponunt dispariles. ut calcei, muliebres sint an viriles, dicimus ad similitudinem figuræ; cum tamen sciamus, nonnunquam & mulierem habere calceos viriles, & virum muliebreis. Sic dici virum Perpernam, & M. Læcam muliebri forma. & contra, parietem, ut abietem, esse forma similem; cum alterum vocabulum dicatur virile, alterum muliebre; & utrumque natura neutrum. Sic itaque ea virilia dicimus, non quæ virum significant, sed quibus proponimus hic & hi. & sic muliebria, in quibus dicere possumus hæc, & hæ. Quare nihil est, quod dicunt Theona & Diona non esse simileis; si alter est Æthiops, alter Gallus: si analogia rerum dissimilitudines adsumat & ad discernendum vocis verbeis figuras. Quod dicunt, simile sit necne, nomen nomini, impruden-

ter Aristarchum præcipere, oportere spectare non solum ex recto, sed etiam ex eorum vocandei casu: esset enim ridiculum, si similes inter se parentes sint, de filiis judicare. Qui errant, quod non ab obliqueis casibus fit, ut recti simili facie ostendantur: sed propter eos facilius prospici similitudo potest eorum, quam vim habeat. ut lucerna in tenebreis adlata non facit, quæ ibi sunt posita, similia sint; sed ut videantur, quæ sint, quæve desint. Quid similius videtur, quam in heis est extrema litera, crux, frux? quas qui audit voces, auribus discernere potest nemo: cum easdem non esse similes ex aliis verbeis intelligamus. quod cum sint cruces, & fruges, & de heis extremeis syllabeis exemtum sit C ex altero, sicut ex C & S crux, ex G & S frux. quod item apparet, cum est demtum S. nam fit unum, cruci, alterum, frugi. Quod ajunt, cum in majore parte orationis non sit similitudo, non esse analogiam: dupliciter stulte dicunt, quod & in majore parte est, & in minore parte est: &, si in minore non sit, tamen sit in majore. Nisi etiam nos calceos negabunt habere, quod in majore parte corporis calceos non habeamus. Quod dicunt, nos sequi dissimilitudinem: itaque in vestitu, in supellectile delectari varietate: non paribus subuculeis uxoris: respondeo, si varietas est jucunda; magis varium esse, in quo alia sunt similia, alia non sunt. Itaque sic, ut abacum argento ornari videmus, ut alia paria sint, alia disparia: sic in oratione. Rogant, si similitudo sit sequenda, cur malimus habere lectos alios ex ebore, alios ex te-

ſtudine, ſic item genere aliquo alio. ad quæ dico non diſſimilitudines quoque ſequi. ſæpe itaque ex eadem ſupellectili licet videre. nam nemo facit triclinii lectos, niſi pareis & materia, & altitudine, & figura. Quis facit mappas triclinarias non ſimileis inter ſe? quis pulvinos? quis denique cetera, quæ unius generis ſint plura? Cum (inquit) utilitatis cauſa introducta ſit oratio, ſequendum, non quæ habebit ſimilitudinem, ſed quæ utilitatem. Ego quidem utilitatis cauſa orationem factam eſſe concedo, ſed ut veſtimenta. quare ut hic ſimilitudines ſequemur: ut virilis tunica ſit virili ſimilis, item toga togæ: ſic mulierum ſtola ſtolæ, proportione, & pallium pallio ſimile: ſi cum ſint nomina utilitatis cauſa, tamen virilia inter ſe ſimilia: item muliebria inter ſe ſequi debemus. Quod ajunt, ut perſedit, & perſtitit, ſic percubuit, & percubivit: quoniam non ſit; non eſſe analogiam. & in hoc errant: quod duo poſteriora ex prioribus declinata non ſunt: cum analogia polliceatur ex duobus ſimilibus ſimiliter declinateis ſimilia fore. Qui dicunt, quod ſit a Romulo Roma, & non Romula; neque ut ab ove Ovilia, ſic a bove Bovilia, eſſe analogias: errant, quod nemo pollicetur e vocabulo vocabulum declinari recto caſu ſingulari in rectum ſingularem; ſed ex duobus vocabuleis ſimilibus caſus ſimiliter declinatos ſimiles fieri. Quod dicunt, quod vocabula literarum Latinarum non declinentur in caſus, non eſſe analogias; hi ea, quæ natura declinari non poſſunt, eorum declinatus requirunt. proinde ut non ea dicatur eſſe analogia, quæ a ſimilibus

verbeis similiter declinateis similia declinat. Quare non solum in vocabuleis literarum non hæc requirenda analogia, sed ne in syllaba quidem ulla. quod dicimus hoc ab, hujus ab: sic alia. Quod si quis in hoc quoque velit dicere esse analogias rerum; tenere potest: ut enim dicunt ipsi alia nomina, quod quinque habent figuras, habere quinque casus, alia quattuor, sic minus alia; dicere poterunt esse literas ac syllabas in voce, quæ singulos habent casus. In rebus plurimeis, quemadmodum inter se conferrent ea, quæ quaternos habebunt vocabuleis casus; item ea inter se quaternos; sic, quæ singulos habebunt, ut conferant inter se: dicentes, ut sit hoc A, hujus A, esse hoc E, hujus E, huic E. Quod dicunt, esse quædam verba, quæ habeant declinatus, ut caput; quorum pars reperiri quod non possit, non esse analogias: respondendum sine dubio, si, quod est singulare verbum, id non habere analogias: minimum duo esse verba debent, in quibus sit similitudo. quare in hoc tollunt esse analogias? sed initio vocabulum recto casu apparet in hoc, Quod dedit ira caput, nec dispendi facit hilum. Quod valet, neque dispendii facit quidquam. Idem hoc obliquo apud Plautum, Video enim te nihili pendere præ Philolache omnes homines. Quod ex ne & hili: quare dictus est Nihili, qui non hili. habet casus tum, cum commutatur, de quo dicitur. De homine. dicimus enim, hic homo nihili est, & hujus hominis nihili, & hunc hominem nihili. Si in illo commutaremus; diceremus, ut hoc linum, & limum, sic nihilum, non hic nihili, & huic lino

& limo: sic nihilo, non huic nihili. Potest dici patricus casus, ut ei praeponuntur pronomina plura: ut hic casus Terentii, hunc casum Terentii; hic miles legionis, hujus militis legionis, hunc militem legionis. Negant, cum omnis natura sit aut mas, aut femina, aut neutrum, debuisse ex singuleis vocibus ternas figuras vocabulorum fieri, ut albus, alba, album: nunc fieri in multeis rebus binas, ut Metellus, Metella: nonnulla singula, ut tragœdia, comœdia. sic esse Marcum, Numerium: at Marcam, & Numeriam non: dici corvum, turdum, non dici corvam, turdam. contra dici pantheram, merulam, non dici pantherum, merulum. Nullius nostrum filium, & filiam, non apte discerni marem ac feminam; ut Terentium & Terentiam. contra Deorum liberos, & servorum non itidem: ut Jovis filium & filiam, non Jovem & Jovam. item magnum numerum vocabulorum in hoc genere non servare analogias. Ad hæc dicimus, omnis orationis, quamvis res natura subsit, tamen si ea in usum non pervenerit, eo non pervenire verba: ideo equus dicitur & equa. in usu enim horum discrimina: corvus & corva non. quod sine usu id, quod dissimilis natura. Itaque quædam aliter olim, & nunc: tum omnes mares & feminæ dicebantur columbæ, quod non erant in eo usu domestico, quo nunc. contra propter domesticos usus quod internovimus, appellatur mas, columbus: femina, columba. Nam cum in tria genera transit, & idem est in usu discriminare, totumque denique apparet, ut est in doctus, docta, doctum. doctrina enim per hæc

tria tranfire poteft, & ufus docuit difcriminare doctas res ab hominibus, & in heis marem ac feminam in mare, & femina, & neutro. Neque natura mas tranfit, neque femina, neque neutra: & ideo non dicitur feminus, femina, feminum: fic reliqua. Itaque fingularibus & fecreteis vocabuleis appellati funt: quare in quibus rebus non fubeft fimilis natura, aut ufus, in heis vocabuleis hujufcemodi ratio quæri non debet. Ergo dicitur, ut furdus vir, furda mulier, fic furdum theatrum; quod omnes tres ad auditum funt comparatæ. Contra nemo dicit cubiculum furdum, ad filentium, non ad auditum. at fi feneftram non habet, dicitur cæcum, ut cæcus & cæca. quod omnia habent lumen, habere debent mas ac femina. Habent inter fe natura quandam focietatem neutra cum heis, quod funt diverfa non inter fe; quodque de heis perpauca funt, quæ habeant quandam communitatem. Dei & fervi nomina, quod non item ut libera noftra tranfeunt, eadem ex caufa, quod ad ufum attinet, inftitui opus fuit de libereis, de reliqueis nihil attinuit: quod in ferveis gentilitia natura non fubeft in ufu: in noftreis nominibus, qui fumus in Latio, & liberi, neceffaria. Itaque ibi apparet analogia: ac dicitur Terentius vir, Terentia femina, Terentium genus: in prænominibus ideo non fit item, quod hæc inftituta ad ufum fingularia, quibus difcernerentur nomina gentilitia: ut a numero Prima, Secunda, Tertia, Quarta. In vireis, ut Quinctus, Sextus, Decimus. fic ab aliis rebus, cum effent duo Terentii, aut plures, dif-

cernendei caufa, ut aliquid fingulare haberent, notabant. forfitan ab eo, qui mane natus diceretur, ut is Manius effet; qui luci, Lucius; qui poft patris mortem, Poftumus. E quibus, quæ, cum item accidiffet femineis, proportione appellata. declarant prænomina mulierum antiqua, Mania, Lucia, Poftuma. Videmus enim Maniam, matrem larum, & Luciam Volumniam, Saliorum carminibus appellari. Poftumam a multeis poft patris mortem etiam nunc appellari. Quare quocunque progreffa eft natura, cum ufu vocabuli fimilis, proportione propagata eft analogia. Cum in quibus declinationibus voluntariis maris, & feminæ, & neutri, quæ voluntaria funt, non debent fimiliter declinari: fed in quibus naturales fint declinatus, hi qui effe reperiuntur. Quocirca in tribus generibus nominum inique tollunt analogias. Qui autem eas reprehendunt, quod alia vocabula fingularia funt folum, ut cicer: alia multitudinis folum, ut fcalæ; cum debuerint effe omnia duplicia, ut equus equei: analogiæ fundamentum effe oblivifcuntur naturam. nam & ufu fingulare eft, quod natura unum fignificat, ut equus: aut quod conjuncta quodammodo ad unum ufum, ut bigæ. itaque dicimus una Mufa, fic dicimus unæ bigæ. Multitudinis vocabula funt, unum, infinitum, ut Mufæ: alterum, finitum, ut duo, tres, quattuor. dicimus enim, ut hæ Mufæ, fic unæ bigæ, & binæ, & trinæ bigæ: fic deinceps. Quare tam unei & unæ & una quodammodo fingularia funt, quam unus, & una, & unum. hoc modo mutat, quod

altera in ſingularibus, altera in conjunčteis rebus, & ut duo, tria, ſunt multitudinis, ſic bina, trina. Eſt tertium quoque genus ſingulare, ut in multitudine, uter: in quo multitudinis, ut uter, utrei: uter poeta ſingularis, utrei poetæ multitudinis eſt. Qua explicata natura, apparet, non debere omnia vocabula multitudinis habere par ſingulare. omnes enim numeri a duobus ſurſum verſus multitudinis ſunt; neque eorum quiſquam habere poteſt ſingulare compar. Injuria igitur poſtulant, ſi qua ſint ſingularia, oportere habere multitudineis. Item qui reprehendunt, quod non dicatur, ut unguentum unguenta, vinum vina; ſic acetum aceta, garum gara: faciunt imperite, qui ibi deſiderant multitudinis vocabulum, quæ ſub menſuram ac pondera potius, quam ſub numerum ſuccedant. nam in plumbo, oleo, argento, cum incrementum acceſſit, dicimus, multum oleum, multum plumbum, argentum: non multa olea, plumba, argenta: cum quæ ex heiſce fiant, dicamus plumbea, & argentea. aliud enim cum ex argento: nam id tum cum jam vas argenteum, aut pocillum, aut quid item: quod pocilla argentea multa, non quod argentum multum. ea natura, in quibus eſt menſura, non numerus, ſi genera in ſe habent plura, & in uſum venerunt, & genere multo. ſic vina, unguenta dičta. alius enim generis vinum, quod Chio, alius quod Lesbo. Sic ex regionibus, quæ ipſa dicuntur, nunc melius unguenta, cui nunc genera aliquot. Si item diſcrimina magna eſſent olei & aceti, & ſic ceterarum rerum hujuſcemodi in uſu com-

muni, dicerentur ſic olea, ut vina. Quare in utraque denique re, ſcindere conantur analogiam: & cum in diſſimili uſu ſimilia vocabula quærunt; & cum item ea, quæ metimur, atque ea, quæ numeramus, dici putant oportere. Item reprehendunt analogias, quod dicantur multitudinis nomine publicæ balineæ, non balinea. contra quod privati dicunt unum balineum, quod plura balineas dicant. Quibus reſponderi poteſt, non eſſe reprehendendum, quod ſcalæ, & aquæ calidæ, pleraque, quæ cum multitudinis vocabuleis ſint appellata, neque eorum ſingularia in uſum venerint. Idemque, item contra primum balineum novum, & Græcum introiit in urbem, publice ibi concedit, ubi bina eſſent conjuncta ædificia lavandei cauſa; unum ubi viri, alterum ubi mulieres lavarentur: ab eadem ratione domi ſuæ quiſque ubi lavatur, balineum dixerit. & quod non erant duo balinea, dicere non conſueverunt: cum hoc antiqui non balineum, ſed Lavatrinam appellare conſueviſſent. Sic aquæ calidæ a loco, & quæ ubi ſcaterent, cum ut colerentur, & veniſſent in uſum noſtreis, cum aliæ ad alium morbum idoneæ eſſent. Hæ cum plures eſſent, ut Puteoleis, & in Tuſceis, quibus utebantur, multitudinis potius, quam ſingulari vocabulo appellarunt. Sic ſcalas, quod a ſcandendo dicantur, & ſingulos gradus ſcanderent: magis erat quærendum, ſi appellaſſent ſingulari vocabulo ſcalam, cum origo nominatus oſtenderet contra. Item reprehendunt de caſibus; quod quidam nominatus habent rectos, quidam

obliquos: quod dicunt utrosque in vocibus oportere. Quibus idem responderi potest: in quibus usus & natura non subsit, ibi non esse analogiam. sed ne in heis vocabuleis, quæ declinantur, si transeunt e recto casu in rectum casum. quæ tamen fere non discedunt a ratione sine justa causa. ut hi, qui gladiatores dicunt Faustinios. nam quod plerique dicuntur, ut treis extremas syllabas habeant easdem, Cascelìani, Aquiliani, Cæciliani: animadvertant, unde oriuntur nomina dissimilia: Cascelius, Cæcilius, Aquilius, Faustius: recte dicerent Faustianos potius, quam Faustinios. sic a Scipione quidam male dicunt Scipionios. nam contra est Scipionarios. Sed, ut dixi, quod ab hujuscemodi cognominibus raro declinantur cognomina, neque in usum etiam perducta notant quædam. Item dicunt, cum sit simile stultus, luscus: & dicatur, stultus, stultior, stultissimus: non dici, luscus, luscior, luscissimus. sic in hoc genere multa. Ad quæ dico, ideo fieri, quod natura nemo lusco magis sit luscus: cum stultior fieri videatur. Quod rogant, cur non dicamus, mane, manius, manissime: item de vespertino tempore: vere magis & minus esse non potest; ante & post potest. itaque prius est hora prima, quam secunda, non magis hora. sed magis mane surgere tam dicitur, qui primo mane surgit, quam qui non prior. Ut enim dies non potest esse magis, quam mane; itaque ipsum hoc, quod dicitur magis, sibi non constat: quod magis mane significat primum mane, magis vespere, novissimum vesper. Item ab hujuscemodi similitudinibus

analogia, quod cum ſit anus, cadus ſimile, & ſit ab anu Anicula, Anicella, a cado duo reliqua, quod non ſint propagata: ſic non dicatur a piſcina, piſcinula, piſcinella. ad hujuſcemodi vocabula analogias eſſe, ut dixi, ubi magnitudo animadvertenda ſit in unoquoque gradu, & quæ ſit in uſu communi, ut eſt ciſta, ciſtula, ciſtella; & canis, catulus, catellus; quod in pecoris uſu non eſt. Itaque conſuetudo frequentius res in binas divīdit parteis, ut majus & minus; ut lectus & lectulus, arca & arcula, ſic alia. Quod dicunt, caſus alia non habere rectos, alia obliquos, & ideo non eſſe analogias, falſum eſt. Negant habere rectos, ut in hoc, frugis, frugem, item roris, rorem; obliquos non habere, ut in hoc, Dieſpiter, Marſpiter. Ad hoc reſpondeo, & priora habere nominandei, & poſteriora obliquos. Nam & frugi rectus eſt natura frux: ac ſi ſecundum conſuetudinem dicimus, ut hæc avis, hæc ovis, ſic hæc frugis. Sic ſecundum naturam nominandei eſt caſus roris, ſecundum conſuetudinem ros; cum utrumque conveniat ad analogiam; quod & id, quod in conſuetudine non eſt, cujuſmodi debeat eſſe, apparet; & quod eſt in conſuetudine nunc in recto caſu, eadem eſt analogia ad pleraque, quæ ex multitudine cum tranſeunt in ſingulare, difficulter efferuntur ore. ſic cum tranſiretur ex eo, quod dicebatur hæ oves, una non eſt dicta oves, ſed additum I, ac factum ambiguum verbum, nominandei an patrici ſit caſus, ut ovis, & avis. Sic in obliqueis caſibus cur negant eſſe Marſpitris,

Diespitris, non video: nisi quod minus est tritum in consuetudine, quam Diespiter: quod in nihil argumentum est. nam tam casus, qui non tritus est, quam qui est. Sed in casuum serie alia vocabula non habent nominandei, alia de obliqueis aliquem. Nihil enim video quo minus si ratio percellere poterat hoc crimen. Nam ut signa, quae non habent caput, aut aliquam aliam partem, nihilominus in reliqueis membreis eorum esse possunt analogiae, sic in vocabuleis casuum. Possunt item fieri, ac reponi quod aberit, ubi patietur natura & consuetudo; quod nonnunquam apud poetas invenimus factum. ut in hoc apud Naevium in Clastidio, Vita insepulta laetus in patriam redux it. Item reprehendunt, quod dicatur haec strues, hic Hercules, hic homo: debuissent enim dici (si esset analogia) hic Hercul, haec strus, hic homon. haec ostendunt non analogiam non esse, sed obliquos casus non habere caput ex sua analogia. nam ut in Alexandri statua si imposueris caput Philippi, membra conveniunt ad rationem; sic & ad Alexandri membrorum simulacrum caput, quod respondeat, ita sit. Nam si quis tunicam in usu ita consuit, ut altera plagula sit angusteis claveis, altera lateis: utraque pars in suo genere caret analogia. Item negant esse analogias, quod alii dicunt cupressus, alii cupressei. item de ficeis, plataneis, & plerisque arboribus; de quibus alii extremum US, alii EI faciunt. Id est falsum. nam debent dici hei & hae ficei: quod est ut nummei, ficei, ut nummorum, ficorum. si essent plures ficus, ut ma-

nus, diceremus ut manibus, ſic ficibus, & ut manuum, ſic ficuum. neque has ficos diceremus, ſed ficus, ut non manos, ſed manus. Sed neque conſuetudo diceret ſingulareis obliquos caſus hujus fici, neque ab hac fico: ut non dicit hujus mani, ſed hujus manus, & ab hac mano, ſed manu. Et illud putant eſſe cauſæ, cur non ſit analogia, quod Lucilius ſcribit, Decuis, ſive decuſſis eſt. qui errant; quod Lucilius non debuit dubitare, quod utrumque: nam in ære uſque ab aſſe ad centuſſis numerus æs adſignificat, & ejus numero finiti caſus omnes a dupondio ſunt. quod dicitur a multeis duobus modeis, hic dupondius, & hoc dupondium: ut hoc gladium, & hic gladius. a treſſibus virilia multitudinis hei treſſes & heis treſſibus: cum ſit ſingulare hoc treſſis ab eo, ſic deinceps ad centuſſis. Deinde numerus æs non ſignificat. numeri, qui æs non ſignificant, uſque a quattuor ad centum, tripliceis habent formas; quod dicuntur hei quattuor, hæ quattuor, hæc quattuor; cum perventum eſt ad mille, quartum adſumit ſingulare neutrum: quod dicitur hoc mille denarium, a quo multitudinis fit millia denaria. Quare quom ad analogias quod pertineat, non eſt ut omnia ſimilia dicantur. ſed ut in ſuo quæque genere ſimiliter declinentur; ſtulte quærunt, cur as & dupondius & treſſis non dicantur proportione: cum as ſit ſimplex, dupondius fictus, quod duo aſſes pendebat, treſſis ex tribus æris, quod ſic pro aſſibus nonnunquam æs dicebant antiqui. a quo dicimus aſſem tenentes, Hoc ab ære, æneaque libra: & mille æris legaſſe. quare, quod

a treſſis uſque ad centuſſis numeri ejuſmodi ſunt compoſiti: ejuſmodi habent ſimilitudinem: dupondius, quod diſſimilis eſt, ut debuit, diſſimilem habet rationem. Sic as, quoniam ſimplex eſt ac principium, & unum ſignificat, & multitudinis habet ſuum infinitum. dicimus enim aſſes: quos cum finimus, dicimus dupondius & treſſis, & ſic porro. Videtur mihi, quoniam finitum & infinitum habeat, ſimilitudinem non habere, utrumque item dici: eo magis, quod in ipſeis vocabuleis ubi additur certus numerus, aliter atque in reliqueis dicitur. Nam ſic loquuntur, hoc mille denarium, non hoc mille denarii: &, hæc duo millia denarium, non duo millia denarii. Si eſſet denarii in recto caſu, atque infinitam multitudinem ſignificaret, tunc in patrico denariorum dici oportebat. & non ſolum in denariis, victoriateis, drachmeis, nummeis, ſed etiam in vireis idem ſervari oportere, cum dicimus judicium fuiſſe triumvirum, decemvirum, non triumvirorum, decemvirorum. Numeri antiqui habent analogias, quod omnibus eſt una novenaria regula, duo actus, tres gradus, ſex decuriæ; quæ omnia ſimiliter inter ſe reſpondent. regulæ eſt numerus novenarius, quod ab uno novem cum pervenimus, rurſus redimus ad unum, & hinc unum & nongenta ab una ſunt natura novenaria. ſic ab octonaria & deorſum verſus ad ſingularia perveniunt. Actus primus eſt ab uno ad nongenta: ſecundus, a mille ad nongenta millia; quod idem valebat unum, & mille: utrumque ſingulari numero appellant. Nam ut dicitur hoc unum,

hæc duo millia, & sic deinceps multitudineis: in duobus actibus reliqui omnes item numeri. Gradus singularis est in utroque actu ab uno ad novem: denarius gradus a decem ad nonaginta: centenarius ad nongenta. ita tribus gradibus sex decuriæ fiunt, tres milliariæ, & tres minores. antiqui heis numereis fuerunt contenti. Ad hos tertium & quartum actum a deciens minora imposuerunt vocabula, neque ratione: sed tamen non contra est eam, de qua scribimus, analogiam. Nam ut deciens cum dicatur, hoc deciens, ut hoc mille, hujus mille, ut sit utrumque sine casibus vocis, dicemus, ut hoc mille, hujus mille, sic hoc deciens, hujus deciens: nec eo minus in altero, quod est mille, præponemus hei mille, horum mille. Quoniam in eo est nomen commune, quam vocant ὁμωνυμίαν obliqui casus; ab eodem capite ubi erit ὁμωνυμία, quo minus dissimiles fiant, analogia non prohibet. Itaque dicimus hic Argus, cum hominem dicimus; cum oppidum, Græcanice hoc Argos, Latine hei Argei, item faciemus. eadem vox nomen & verbum significabit, ut in casus & in tempora dispariliter declinetur, ut faciamus a Meto, quod nomen est, Metonis, Metonem: quod verbum est, meto, metis, metam, metebam. Reprehendunt, cum ab eadem voce plura sunt vocabula declinata, & sunt quas συνωνυμίας appellant, ut Sappho, & Alcæus, & Alcæo, sic Geryon, & Geryones, & Geryonas: in hoc genere, quod casus perperam permutant quidam, non reprehendunt analogiam, sed qui eis utitur imperite. quod quisque caput pertenderit,

ſequi debet ejus conſequentias caſus in declinando; ac non facere, cum dixerit recto caſu Alcæus, in obliqueis dicere Alcæoni & Alcæonem: quod ſi inſtiterit, & non ſecutus erit analogias. Reprehendendum Ariſtarchum, quod hæc nomina Melicertes & Philomedes ſimilia neget eſſe, quod vocandei caſus habet alter Melicerta, alter Philomede. Sic qui dicat lepus & lupus, non eſſe ſimile, quod alterius vocandei caſus ſit lupe, alterius, lepus. Sic ſocer, macer, quod in tranſitu fiat ab altero triſyllabum ſoceri, ab altero biſyllabum macri. De hoc etſi ſupra reſponſum eſt, cum dixi de lana, heic quoque amplius adjiciam, ſimilia non ſolum a facie dici, ſed etiam ab aliqua conjuncta vi & poteſtate, quæ & oculeis & auribus latere ſoleat. itaque ſæpe gemina facie mala negamus eſſe ſimilia, ſi ſapore ſunt alio. Sic equos eadem facie nonnullos negamus eſſe ſimileis in nationes ex procreante diſſimileis. Itaque in hominibus emendeis, ſi natione alter eſt melior, emimus pluris. atque in heiſce omnibus ſimilitudines non ſumimus tantum a figura, ſed etiam aliunde, ut in equeis ætas, ut in heis cujuſmodi faciant pullos: ut in pomeis, quo ſint ſucco. ſi igitur idem ſequitur in ſimilitudine verborum quis, reprehendendus non eſt. quare diſſimilitudinum diſcernendarum cauſa nonnunquam ut pronomen adſumitur, ſic caſum aliquem adſumi, ut in heis nemus, lepus, hic lepus, hoc nemus. Itaque differunt, ac dicuntur hei lepores, hæc nemora, ſic aliud ſi quid adſumtum erit extrinſecus, quo ſimilitudo penitus perſpici poſſit. non enim

erit remotum a natura. neque enim magnetes lapides duo inter ſe ſimiles ſint necne, perſpicere poſſis, niſi minutum extrinſecus prope appoſueris ferrum; quod ſimiles lapides ſimiliter ducunt, diſſimiliter diſſimiles. Quod ad nominationum analogiam pertinet, ita declinatum arbitror, ut omnia, quæ dicuntur contra, ad reſpondendum ab heis ſumi fontibus poſſit. Quod ad verborum rationem attinet, cum partes ſint quattuor, temporum, perſonarum, generum, diviſionum; ex omni parte quoniam reprehendunt, ad ſingula reſpondebo. Primum quod ajunt, analogias non ſervari in temporibus, cum dicant, lego, legi, legam, & ſic ſimile alia; nam quæ ſunt ut legeram, perfectum ſignificare, duo reliqua, legam & lego, inchoatum; injuria reprehendunt. Nam ex eodem genere & diviſione idem verbum, quod ſumtum eſt, per tempora traduci poteſt: ut diſcebam, diſco, diſcam: & eadem perfecti, ſic, didiceram, didici, didicero; ex quo licet ſcire verborum rationem conſtare. Sed eos, qui trium temporum verba pronuntiare velint, ſcienter id facere ſcire licet. Item illos, qui reprehendunt, quod dicimus, amor, amabor, amatus ſum. non enim debuiſſe in una ſerie unum verbum eſſe duplex, cum duo ſimplicia eſſent. Neque ex diviſione uniuſmodi pæne verba diſcrepant inter ſe. nam infecta omnia ſimplicia ſimilia ſunt, & perfecta duplicia inter ſe paria in omnibus verbeis: ut heic, amabar, amor, amabor, amatus ero. quare item male dicunt, ferio, feriam, percuſſi; quod eſt ordo, feriam, ferio, feriebam: & item per-

cussi, percutio, percutiam. sic deinceps in reliqueis temporibus reprehendenti responderi potest. Similiter errant, qui dicunt, ex utraque parte verba omnia commutare syllabas oportere, ut in heis, pungo, pungam, pupugi: tundo, tundam, tutudi. dissimilia enim conferunt, verba infecta cum perfecteis. Quod si infecta modo conferrent, omnia verbi principia incommutabilia viderentur: ut in heis, pungebam, pungo, pungam. Et contra ex utraque parte commutabilia, si perfecta ponerent, ut pupugeram, pupugi, pupugero. Item male conferunt, fui, sum, ero: quod fui est perfectum: cujus series sibi, ut debet, in omnibus personeis & formeis constat: quod est, fueram, fui, fuero, de infecteis. sum, quod nunc dicitur, dicebatur esum: & in omnibus personeis constabat, quod dicebatur, esum, es, est: eram, eras, erat: ero, eris, erit. sic hujusmodi cetera servare analogiam videbis. Etiam hoc reprehendunt, quod quædam verba neque personas habent ternas, neque tempora terna. Id imperite reprehendunt, ut si quis reprehendat naturam, quod non uniusmodi finxerit animaleis omneis. Si enim natura non omnes formæ verborum terna habeant tempora, ternas personas: non habent totidem verborum divisiones: quare cum imperamus naturæ, quod infecta solum habet: cum & præsenti & absenti imperamus, fiunt terna, ut lege, legito, legat. perfectum enim imperat nemo. contra quæ sunt fatendei, ut, lego, legis, legit, novena fiunt verba infecti, novena perfecti. Quocirca non si genus cum genere discre-

pat, ſed in ſuo quiſque genere ſi quid deeſt, requirendum: ad hæc addita ſi erunt ea, quæ de nominativeis ſupra ſunt dicta, facilius omnia ſolventur. Nam ut illeic extremum caput rectos caſus, ſic heic in forma eſt perſona ejus, qui loquitur, & tempus præſens: ut ſcribo, lego. quare ut illeic fit, ſic heic item acciderit in formula, ut aut caput non ſit, aut ex alieno genere ſint proportione eadem, quæ illeic dicimus, cur nihilominus ſervetur analogia: item ſicut illeic caput ſuum habebit, & in obliqueis caſibus tranſitio erit in aliquam formulam, qua adſumta, reliqua facilius poſſunt videri verba unde ſint declinata. Fit enim, ut rectus nonnunquam ſit ambiguus: ut in hoc verbo Volo, quod id duo ſignificat: unum a voluntate, alterum a volando. Itaque a Volo intellegimus & volare & velle. Quidam reprehendunt, quod Pluit & Luit dicamus in præterito & præſenti tempore, cum analogiæ ſui cujuſque temporis verba debeant diſcriminare. Falluntur: nam eſt, ac putant, aliter: quod in præteriteis U dicimus longum luit, pluit: in præſenti breve luit, pluit. Ideoque in venditionis lege fundi ruta cæſa ita dicimus, ut U producamus. Item reprehendunt quidam, quod putant idem eſſe ſacrifico & ſacrificor, & lavat, & lavatur. quod ſit an non, nihil commovet analogiam; dum ſacrificat, qui dicat, ſervet ſacrificabo, & ſic per totam formam. nec dicat ſacrificandus, aut ſacrificatus ſum. hæc enim inter ſe non conveniunt. Apud Plautum cum dicit, Piſceis ego credo, qui uſque dum vivunt, adlavant, diu minus

lavari, quam hæc lavat Phronesium. Adlavant lavari non convenit; ut T sit postremum, sed R, ut lavantur. analogia adlavari reddit, quod Plauti aut librarii mendum fuit. si est, non ideo analogia, sed qui scripsit, est reprehendendus. omnino & lavant & lavantur dicitur separatim recte in rebus certeis: quod puerum nutrix lavat, puer a nutrice lavatur: nos in balineis & lavamus & lavamur. Sed consuetudo alterutrum cum satis haberet, in toto corpore potius utimur Lavamur, in partibus, Lavamus. quod dicimus lavo manus, sic pedes, & cetera. Quare & in balineis non recte dicunt Lavi, lavi manus recte. sed quoniam in balineis lavor, lavatus sum, sequitur. ut contra, quoniam est soleo, oportet dici Solui, ut Cato & Ennius scribunt, non, ut dicit volgus, Solitus sum., debere dici. neque propter hæc, quod hæc quoque discrepant in sermone pauca, minus est analogia, ut supra dictum est. Item cur non sit analogia, adferunt, quod a similibus similia non declinantur, ut ab dolo, & colo. ab altero enim dicitur dolavi, ab altero colui. In quibus adsumi solet aliquid, quo facilius reliqua dicantur, ut in Myrmecidis operibus minuteis solet fieri. Igitur in verbeis temporalibus quom similitudo sæpe sit confusa, ut discerni nequeat, nisi transieris in aliam personam, aut in tempus, quæ præposita sunt, nosse, similia intelleguntur, cum transitum est in aliam personam: quod alterum est, dolas, alterum colis. Itaque in reliqua forma verborum suam uterque sequitur formam, utrum in secunda forma verborum tempo-

rale habeat in extrema ſyllaba AS, ac ſi ad diſcernendas diſſimilitudines intereſt: quocirca quare ibi potius index analogiæ, quam in prima? quod ibi abſtruſa eſt diſſimilitudo, ut apparet in heis, meo, neo, veho. ab heis enim diſſimilia fiunt tranſitu. quod ſic dicuntur, meas, nes, vehis: quorum unumquodque ſuas conſervat ſimilitudinis formas. Analogiam item de heis, quæ appellantur participia, reprehendunt multa injuria. Nam non debent duci terna a ſinguleis verbeis, amaturus, amans, amatus: quod eſt ab amo, amans, & amaturus: ab amor, amatus. Illud analogia quod præſtare debet, in ſuo quidque genere habet caſus, ut amatus, amato, amati: & ſic in mulieribus, amata, amatæ: item amaturus ejuſmodi habet declinationes. amans paulo aliter, quod hoc genus omnia ſunt in ſuo genere ſimilia proportione. ſic virilia & muliebria ſunt eadem. De eo, quod in priore libro extremum eſt, ideo non eſt analogia: quod qui de ea ſcripſerint, aut inter ſe non conveniant, aut in quibus conveniant, ea cum conſuetudinis diſcrepant verbeis utcunque. Sic enim omneis repudiandum eſt arteis: quod in medicina & in muſica & in aliis multeis diſcrepant ſcriptores. item in quibus conveniunt, ut ſcripteis, ſic etiam re repudiant. nam quod ita dicitur, non ſit ars, ſed artifex reprehendendus, qui debet in ſcribendo non vidiſſe verum: non ideo non poſſe ſcribi verum. qui dicit hoc monti, & hoc fonti, cum alii dicant hoc monte & hoc fonte: ſic alia, quæ duobus modeis dicuntur, cum alterum ſit verum, alterum,

ſalſum : non uter peccat, tollit analogias ; ſed uter recte dicit, confirmat : & quemadmodum is, qui cum peccat in heis verbeis, ubi duobus modeis dicuntur, non tollit rationem, cum ſequitur ſalſum : ſic etiam in heis, quæ non duobus dicuntur, ſi quis aliter putat dici oportere atque oportet, non ſcientiam tollit orationis, ſed ſuam inſcitiam nudat. Quibus rebus ſolvi arbitraremur poſſe quæ dicta ſunt priore libro contra analogiam, ut potui, brevi percurri. Ex quibus ſi id confeciſſent, quod volunt, ut in lingua Latina eſſet anomalia, tamen nihil egiſſent : ideo quod in omnibus partibus mundi utraque natura ineſt ; quod alia inter ſe, alia ſunt, ſicut in animalibus, diſſimilia : ut equus, bos, ovis, homo, item alia in unoquoque horum genere inter ſe ſimilia innumerabilia. Item in piſcibus, diſſimilis muræna lupo, heis ſoleæ, hæ murænæ, & muſtellæ, ſic aliis. ut major ille numerus ſit ſimilitudinum earum, quæ ſunt ſeparatim in murænéis, ſeparatim in aſelleis, ſic in generibus aliis. Quare cum in inclinationibus verborum numerus ſit magnus a diſſimilibus verbeis ortus, quod etiam vel major eſt, in quibus ſimilitudines reperiuntur, confitendum eſt, eſſe analogias. Itemque cum ea non multo minus, quam in omnibus verbeis, patiatur uti conſuetudo communis; fatendum illud, quodammodo analogiam ſequi nos debere univerſos, ſingulos autem, præterquam in quibus verbeis offenſura ſit conſuetudo communis : quod, ut dixi, aliud debet præſtare populus, aliud e populo ſinguli homines. Neque id mirum eſt, cum ſinguli quoque non ſint

eodem jure. nam liberius poteſt poeta, quam orator, ſequi analogias. Quare, cum hic liber id, quod pollicitus eſt demonſtraturum, abſolverit, faciam finem, proximo deinceps de declinatorum verborum forma ſcribam.

M. TERENTII VARRONIS DE LINGUA LATINA

LIBER NONUS.

In verborum declinationibus diſciplina loquendei diſſimilitudinem an ſimilitudinem ſequi deberet, multi quærunt. Cum ab heis ratio, quæ a ſimilitudine oriretur, vocaretur analogia, reliqua pars appellaretur anomalia: de qua re primo libro, quæ dicerentur, cur diſſimilitudinem ducem habere oporteret, dixi. Secundo contra quæ dicerentur, cur potius ſimilitudinem conveniret præponi. quarum rerum quod nec fundamenta, ut debuit, poſita ab ullo, neque ordo ac natura, ut res poſtulat, explicata, ipſe ejus rei formam exponam. Dicam de quattuor rebus, quæ continentur declinationibus verborum: quid ſit ſimile ac diſſimile, quid ratio, quam appellant λόγον, quid proportio, quod dicunt ἀνάλογον, quid conſuetudo. quæ explicatæ declarabunt analogiam & anomaliam, unde ſit, quid ſit, cujuſmodi ſit. De ſimilitudine & diſſimilitudine ideo primum dicendum, quod ea res eſt fundamentum omnium declinationum, ac continet ra-

tiones verborum. Simile est, quod res plerasque videtur habere easdem, quas illud cujusque simile. Dissimile est, quod videtur esse contrarium. hujus minimum ex duobus constat omne simile, item dissimile. quod nihil potest esse simile, quin alicujus sit simile: item nihil dicitur dissimile, quin addatur, quojus id sit dissimile. Sic dicitur similis homo homini, equus equo: & dissimilis homo equo: nam similis est homo homini, ideo quod easdem figuras membrorum habent, quæ eos dividunt ab reliquorum animalium specie: in ipseis hominibus simili de causa vir viro similior, quam vir mulieri, quod plures habent easdem partes: & sic senior seni similior, quam puero. Eo porro similiores sunt, qui facie quoque pæne eadem, habitu corporis simili. Itaque qui plura habent eadem, dicuntur similiores: qui proxime accedunt ad id, ut omnia habeant eadem, vocantur gemini, simillimi. Sunt, qui treis naturas rerum putent esse, simile, dissimile, neutrum, quod alias vocetur non simile, alias non dissimile. Sed quamvis tria sint, simile, dissimile, neutrum, tamen potest dividi etiam in duas parteis: sic, quodcunque conferas, aut simile esse, aut non esse. simile esse & dissimile, si videatur esse, ut dixi: neutrum, si in neutram partem præponderet: ut si duæ res, quæ conferuntur, vicenas habent parteis, & in heis denas habeant easdem, denas alias ad similitudinem & dissimilitudinem æque animadvertendas. hanc naturam plerique subjiciunt sub dissimilitudinis nomen. Quare quoniam sit, ut potius de vocabulo, quam de re controversia

esse videatur: illud est potius advertendum, cum simile esse dicitur quid, cui parti simile dicatur esse. in hoc enim solet esse error, quod potest fieri, ut homo homini simile sit, & non sit, ut multas partes habeat simileis: & ideo dici possit simileis habere oculos, manus, pedes, sic alias res separatim, & una plures. Itaque, quod diligenter videndum est in verbeis, quas parteis & quot modeis oporteat ut simileis dicantur, ut infra apparebit: is locus maxime lubricus est. Quid enim similius potest videri indiligenti, quam duo verba hæc, suis, & suis? quæ non sunt: quod alterum significat suere, alterum suem. Itaque similia esse vocibus ac syllabeis confitemur, dissimilia esse partibus orationis videmus: quod alterum habet tempora, alterum casus. quæ duæ res vel maxime discernunt analogias. Item, propinquiora genere inter se verba similem sæpe pariunt errorem, ut in hoc, quod nemus & lepus videntur esse simile, quod utrumque habuerit eundem casum rectum: sed non est simile, quod eis certæ similitudines opus sunt, in quo est, ut in genere nominum sint eodem. quod in heis non est: nam in virili genere est lepus, & neutro nemus: dicitur enim hic lepus, & hoc nemus. Si ejusdem generis essent, utrique præponeretur idem, ac diceretur aut hic lepus, & hic nemus: aut hoc lepus, & hoc nemus. quare, quæ & cujusmodi sunt genera similitudinum ad hanc rem, perspiciendum ei, qui declinationes verborum proportione sintne, quæret. Locum hunc, quod est difficilis, qui de heis rebus scripserunt, aut vitaverunt, aut incepe-

runt, neque adsequi potuerunt. itaque in eo dissensio, neque ea uniusmodi, apparet. nam alii de omnibus universeis discriminibus posuerunt numerum: ut Dionysius Sidonius, qui scripsit eas esse septuaginta unam: alii, partes ejus, quæ habent casus: cujus eadem hic cum dicat esse discrimina quadraginta septem, Aristoteles retulit in literas quattuordecim, Nestocles Parmenisius in literas octo: sic alii pauciora aut plura. quarum similitudinum si esset origo recte capta, & inde orsa ratio, minus erraret in declinationibus verborum. quarum ego principia prima duorum generum sola arbitror esse, ad quæ similitudines exigi oporteat: e queis unum positum in verborum materia, alterum ut in materiæ figura, quæ ex declinatione sit. Nam debet esse unum, ut verbum verbo, unde declinetur, sit simile: alterum, ut e verbo in verbum declinatio, ad quam conferatur, ejusdem modi sit. alias enim a similibus verbeis similiter declinantur, ut ab herus, ferus, hero, fero: alias dissimiliter herus, ferus, heri, ferum. Cum utrumque & verbum verbo erit simile, & declinatio declinationi; tum denique dicam esse similem, ac duplicem & perfectam similitudinem habere: id quod postulat analogia. Sed ne astutius videar posuisse duo genera esse similitudinum sola, cum utriusque inferiores species sint plures; si de heis reticuero, ut mihi relinquam latebras, repetam ab origine similitudineis, quæ conferendeis verbeis & inclinandeis sequendæ aut vitandæ sint. Prima divisio in oratione, quod alia verba nusquam declinantur, ut hæc, vix,

mox: alia declinantur, ut a limo, limabo: a fero, ferebam: & cum nisi in heis verbeis, quæ declinantur, non possit esse analogia, qui dicit simile esse mox & nox, errat: quod non est ejusdem generis utrumque verbum, cum nox succedere debeat sub casuum ratione, mox neque debeat, neque possit. Secunda divisio est de heis verbeis, quæ declinari possunt: quod alia sunt a voluntate, alia a natura. Voluntatem appello, cum unusquisque a nomine alio imponit nomen, ut Romulus, Roma. Naturam dico, cum universi acceptum nomen ab eo, qui imponit, non requirimus quemadmodum id velit declinari: sed ipsi declinamus, ut hujus Romæ, hanc Romam. De heis duabus partibus, voluntaria declinatio refertur ad consuetudinem, naturalis ad rationem. Quare proinde ac simile, conferri non oportet, ac dicere, ut sit a Roma Romanus, sic ex Capua dici oportere Capuanus. quod in consuetudine vehementer nutat: quod declinantes imperite rebus nomina imponunt, a quibus cum accepit consuetudo, turbulenta necesse est dicere. itaque neque Aristarchus, neque alii in analogiis defendendam ejus susceperunt causam. Sed, ut dixi, hoc genere declinatio in communi consuetudine verborum ægrotat & languescit: quod oritur e populi multiplici imperio. itaque in hoc genere in loquendo magis anomalia, quam analogia. Tertia divisio est, quæ verba declinat a natura. ea dividitur in parteis quattuor. in unam primam, videlicet, quæ habet casus, neque tempora habet: ut docilis, facilis: in alteram, quæ tempora habet, neque ca-

ſus: ut docet, facit: in tertiam, quæ utraque habet, ut docens, faciens: in quartam, quæ neutrum, ut docte. Ex hac diviſione ſinguleis partibus tres reliquere diſſimiles. Quare niſi in ſua parte inter ſe collata erunt verba, ſi non conveniunt, non erit ita ſimile, ut debeat facere idem. In articuleis vix adumbrata eſt analogia: & magis vocum, quam rerum: in nominibus magis expreſſa: ac plus etiam in vocibus ac ſimilitudinibus, quam in rebus, ſuam obtinet rationem. Etiam illud accedit, in articuleis, habere analogias, oſtendere ſit difficile, quod ſingula ſint verba: heic contra facile, quod magna ſit copia ſimilium nominum. Quare non tam hanc partem ab illa dividendum, quam illud videndum, ut ſatis ſit verecundi, etiam illam in eandem harenam vocare pugnatum. Ut in articuleis duæ partes, finitæ & infinitæ: ſic in vocabuleis duæ, vocabulum & nomen. non enim idem, oppidum, & Roma: cum oppidum, ſit vocabulum, Roma, nomen. quorum diſcrimen in heis reddendeis rationibus alii diſcernunt, alii non. nos, ſicubi opus fuerit, quid ſit, & cur, adſcribimus uniuſcujuſque partes. quoniam ſpecies plures, de ſinguleis dicam. Prima pars caſualis dividitur in parteis duas, in nominativum ſcilicet: quod finitum & infinitum eſt, ut hic & quis. de heis generibus duobus utrum ſumſeris, cum reliquo non conferendum, quod inter ſe diſſimiles habeant analogias nominatus. Ut ſimilis ſit nominatus, habere debet, ut ſit eodem genere, ſpecie eadem, ſic caſu, exitu. Genere, ut, ſi nomen eſt, quod conferas ſit nomen. Specie ſi-

mile, ut non solum, sed utrumque sit virile. Casu simile, ut si alterum sit dandei, item alterum sit dandei, quocum conferas. Exitu, ut quas unum habeat extremas literas, easdem alterum habeat. Ad hunc quadruplicem fontem ordines diriguntur bini: uni, transversi; alteri, directi, ut in tabula solet, in qua latrunculeis ludunt. Transversi sunt, qui a recto casu obliqui declinantur, ut albus, albi, albo: directi sunt, qui a recto casu in rectos declinantur, ut albus, alba, album: utrique sunt partibus seneis. Transversorum ordinum partes appellantur casus: directorum, genera: utreisque inter se implicateis, forma. Dicam prius de transverseis. Casuum vocabula alius alio modo appellavit. nos dicemus, qui nominandei causa dicitur, nominandei, vel nominativum.

Desunt paginæ tres.

& scopæ dicitur una scopa. aliter enim natura, quod priora simplicibus, posteriora conjuncteis rebus vocabula ponuntur. sic bigæ, sic quadrigæ, a conjunctu dictæ. itaque non dicitur, ut hæc una, lata, & alba: sic una biga, sed unæ bigæ: neque ut dicitur, ut hæ duæ, latæ, albæ, sic hæ duæ bigæ, & quadrigæ. Item figura verbi qualis sit refert, quod in figura vocis alias commutatio sit in uno verbo in medio, ut curso, cursito: alias in extremo, ut doceo, docui: alias communis, ut lego, legi. Refert igitur, ex quibus litereis quodque verbum constet, maxime extrema, quod ea in plereisque commutantur. quare in heis quoque partibus similitudines ab aliis male, ab aliis bene.

quod ſolent ſumi in caſibus conferendeis, recte an perperam videndum. ſed ubicunque commoventur literæ, non ſolum hæ ſunt animadvertendæ, ſed etiam quæ proximæ ſunt, neque moventur. hæc enim vicinitas aliquantum poteſt in verborum declinationibus. In queis figureis non ea ſimilia dicemus, quæ ſimileis res ſignificant: ſed quæ ea forma ſint, ut ejuſmodi res ſimilia ex inſtituto ſignificare plerumque ſoleant. ut tunicam virilem & muliebrem, dicimus non eam, quam habet vir aut mulier, ſed quam habere ex inſtituto debet. poteſt enim muliebrem vir, virilem mulier habere, (ut in ſcæna ab actoribus haberi videmus:) ſed eam dicimus muliebrem, quæ de eo genere eſt, quo indutu mulieres ut uterentur, eſt inſtitutum. ut actor ſtolam muliebrem, ſic Perperna, & Cæcina, & Purpurina figura muliebria dicuntur habere nomina, non mulierum. Flexuræ quoque ſimilitudo videnda, ideo quod alia verba quam vim habeant, ex heis verbeis, unde declinantur, apparet, ut quemadmodum oporteat, ut a prætor, conſul; prætori, conſuli. Alia ex tranſitu intelleguntur, ut, ſocer, macer: quod alterum fit ſocerum, alterum, macrum: quorum utrumque in reliqueis a tranſitu ſuam viam ſequitur & in ſingularibus, & in multitudinis declinationibus. hoc fit ideo, quod naturarum genera ſunt duo, quæ inter ſe conferri poſſunt. unum, quod per ſe videri poteſt, ut homo & equus: alterum ſine adſumta aliqua re extrinſecus perſpici non poſſit, ut Eques, & Equito. utrumque enim dicitur ab equo: quare hominem

homini ſimilem eſſe, aut non eſſe, ſi contuleris, ex heis ipſeis homini animadverſeis ſcies. Ac duo inter ſe ſimiliterne ſint longiores, quam ſint eorum fratres, dicere non poſſis, ſi illeis breviores, cum quibus conferuntur, quam longi ſint ignorentur. ſic latiorum atque altiorum, item cetera ejuſdem generis, ſine adſumto extrinſecus aliquo perſpici ſimilitudines non poſſunt. Sic igitur quidam caſus, quod ex hoc genere ſunt, non facile eſt dicere ſimiles eſſe, ſi eorum ſingulorum ſolum animadvertas voces: niſi adſumſeris alterum, quo flectitur in tranſeundo vox.

Quod ad nominatuum ſimilitudines animadvertendas arbitratus ſum ſatis eſſe augere, hæc ſunt. Relinquitur de articuleis. in quibus quædam eadem, quædam alia. De quinque enim generibus duo prima habent eadem, quod ſunt & virilia, & muliebria, & neutra; & quod alia ſunt, ut ſignificent unum, alia ut plura; & de caſibus, quos habent quinos. nam vocandei voce notatus non eſt. Proprium illud habent, quod partim ſint finita, ut hic & hæc; partim infinita, ut quis & quæ: quorum quod adumbrata & tenuis analogia, in hoc libro plura dicere non neceſſe. eſt. Secundum genus, quæ verba tempora habent, neque caſus, ſed habent perſonas, eorum declinatuum ſpecies ſunt ſex. Una, quæ dicitur temporalis, ut legebam, gemebam; lego, gemo. Altera, perſonarum, ut ſero, meto; ſeris, metis. Tertia, rogandei, ut ſcribone, legone; ſcribiſne, legiſne? Quarta, reſpondendei, ut fingo, pingo; fingis, pingis. Quinta,

optandei, ut dicerem, facerem; dicam, faciam. Sexta, imperandei, ut cape, rape; capito, rapito. Item ſunt declinatuum ſpecies quattuor, quæ tempora habent ſine perſoneis, in rogando: ut foditurne? feriturne? &, fodieturne? fereturne? Ab reſpondendei ſpecie eædem figuræ fiunt extremeis ſyllabeis demteis. Optandei ſpecies, ut vivatur, ametur; viveretur, amaretur. Imperandei declinatus ſintne, habet dubitationem: & earum ſitne hæc ratio, paretur, pugnetur; parari, & pugnari. Accedunt ad has ſpecies a copuleis diviſionum quadrineis, ab infecti, & perfecti, emo, edo; emi, edi: a ſemel & ſæpius, ut lego, ſcribo: lectitavi, ſcriptitavi: faciendei, & patiendei, ut uro, ungo; uror, ungor. A ſingulari & multitudinis, ut laudo, culpo; laudamus, culpamus. Hujus generis verborum, cujus ſpecies expoſui, quam late quidque pateat, & cujuſmodi efficiat figuras, in libreis, qui de formuleis verborum erunt, diligentius expedietur. Tertii generis, quæ declinantur cum temporibus & caſibus, ac vocantur a multeis ideo participalia, hoc eſt gerundi.

Deſunt paginæ tres.

quemadmodum declinamus, quærimus caſus ejus, etiamſi is, qui finxit poeta aliquod vocabulum, & ab eo caſu ipſe aliquem perperam declinavit, potius eum reprehendimus, quam ſequimur. Igitur ratio, quam dico, utrobique eſt & in heis verbeis, quæ imponuntur, & in heis, quæ declinantur: neque non etiam tertia illa, quæ ex utroque miſcetur genere. Quarum unaquæque ratio conlata cum

altera, aut ſimilis, aut diſſimilis, aut ſæpe verba alia, ratio eadem; & nonnunquam ratio alia, verba eadem. Quæ ratio in amor, amori, eadem in dolor, dolori; neque eadem in Dolor, dolorem: & cum eadem ratio, quæ eſt in amor & amoris, ſit in amores & amorum, tamen ea, quod non in ea, quæ oportet, confertur materia, per ſe ſolum efficere non poteſt analogias, propter diſparilitatem vocis figurarum. quod verbum copulatum ſingulare cum multitudine, ita cum eſt proportione, ut eandem habeat rationem: tum denique ea ratio conficit id, quod poſtulat analogia: de qua deinceps dicam. Sequitur tertius locus, quæ ſit ratio & proportio, quæ a Græceis vocatur ἀνάλογον: hinc dicta analogia. Ex eodem genere, quæ res inter ſe aliqua parte diſſimiles rationem habent aliquam, ſi ad eas duas alteræ res duæ conlatæ ſunt, quæ rationem habeant eandem: quod ea verba bina habent eundem λόγον, dicitur utrumque ſeparatim analogon: ſimul conlata quattuor, analoga. Nam ut in gemineis, cum ſimile dicimus eſſe Menæchmum Menæchmo, de uno dicimus, cum ſimilitudinem eſſe in heis, de utroque videatur: ſic cum dicimus, eandem rationem habere aſſem ad ſemiſſem, quam habet in argento libella ad ſembellam, quid ſit analogon, oſtendimus: cum utrobique dicimus & in ære & argento eſſe eandem rationem: cum dicimus de analogia, ut ſodalis & ſodalitas, civis & civitas; non eſt idem: ſed utrumque ab eodem, ac conjunctum. ſic analogon & analogia idem non eſt, ſed item eſt congeneratum.

Quare, ſi homines ſubſtuleris, ſodales ſubſtuleris: ſi ſodales, ſodalitatem. Sic item ſi ſubſtuleris λόγον, ſubſtuleris analogon: ſi id, analogiam. quæ cum inter ſe tanta ſint cognatione, debebit ſubtilius audiri, quam dici exſpectare. id eſt, cum dixero quid de utroque, & erit commune, exſpectes, dum ego in ſcribendo transferam in reliquum. Sed ut potius tu perſequare animo, hæc fiunt in diſſimilibus rebus. ut in numereis, ſi contuleris cum uno duo, ſic cum decem viginti. Nam quam rationem duo ad unum habent, eandem habent viginti ad decem. In nummeis in ſimilibus, ſic eſt ad unum victoriatum denarius, ſicut ad alterum victoriatum alter denarius. Sic item in aliis rebus omnibus proportione dicuntur, in quo eſt: ſic quadruplex natura, ut in progenie, ut eſt filius ad patrem, ſic eſt filia ad matrem: & ut eſt in temporibus meridies ad diem, ſic media nox ad noctem. Hoc poetæ genere in ſimilitudinibus utuntur. multum hoc acutiſſime geometræ. hoc in oratione diligentius, quam alii ab Ariſtarcho grammatici: ut cum dicunt proportione ſimilia eſſe, amorem amori, dolorem dolori. Cum item diſſimile eſſe videant amorem dolori, quod eſt alio caſu, item dolorem dolori. ſed dicunt, quod a ſimilibus nonnunquam rationes habent implicatas duas, ut ſit una directa, altera tranſverſa. Quod dico, apertius ſic fiet. Eſto, ſic expoſitos eſſe numeros, ut in primo verſu ſit unum, duo, quattuor: in ſecundo, decem, viginti, quadraginta: in tertio, centum, ducenta, quadringenta. In hac formula numerorum duo inerunt,

quos dixi λόγους, qui diversas faciunt analogias: unus, duplex, qui est in obliqueis versibus, quod est unus ad duo, sic duo ad quattuor: alter, decemplex, in directeis ordinibus: quod est unus ad decem, sic decem ad çentum. Similiter in verborum declinationibus est bivium, quod ab recto casu in recto: ita ut formulam similiter efficiant: quod sit primo versu hic albus, huic albo, hujus albi. secundo, hæc alba, huic albæ, hujus albæ. tertio, hoc album, huic albo, hujus albi. Itaque fiunt per obliquas declinationes ex heis analogiæ hoc genus.

Desunt quædam.

albius, atrius; albio, atrio: per directas declinationes, albius, atrius; albia, atria: quæ scilicet erit particula ex illa ducenaria, tria, quæ scilicet centenaria formula analogiarum, de qua supra dixi. Analogia quæ dicitur, ejus genera sunt duo. Unum dijunctum sic est, ut unum ad duo, sic decem ad viginti: alterum conjunctum, sicut est unum ad duo, sic duo ad quattuor: in hoc quod duo bis dicuntur; & tum conferimus ad unum, & tum cum quattuor. Hoc quoque, natura dicitur quadruplex. sic a septem chordeis citharæ, tamen duo dicuntur habere tetrachorda; quod quemadmodum crepat prima ad quartam chordam, sic quarta ad septimam respondet: media est alterius prima, alterius extrema. Medici, in ægroteis septimos dies qui observant quarto die, ideo diligentius signa morbi advertunt, quod quam rationem habuit primus dies ad quartum, eandem præ-

ſagit habiturum, qui eſt futurus ab eo quartus, & qui eſt ſeptimus a primo. Quadruplices dejunctæ ſunt in caſibus vocabulorum, ut rex regi: conjunctæ ſunt triplices in verborum tribus temporibus, ut legebam, lego, legam. quod quam rationem habet legebam ad lego, hanc habet lego ad legam. In hoc fere omnes homines peccant, quod perperam tribus temporibus hæc adjiciunt, cum proportione volunt pronuntiari. Nam cum ſint verba alia, infecta, ut lego & legis: alia perfecta, ut legi & legiſti: & debeant ſui cujuſque generis in conjungendo copulari: & cum recte ſit ideo lego ad legebam, non recte eſt lego ad legi: quod legi ſignificat quid perfectum, ut hoc, tutudi, pupugi; tundo, pungo: tundam, pungam. item necatus ſum, verberatus ſum: necabor, verberabor. Injuria reprehendunt, quod infecti inter ſe ſimilia ſunt, & perfecti inter ſe, ut tundebam, tundo, tundam: & tutuderam, tutudi, tutudero. Sic amabar, amor, amabor: & amatus eram, amatus ſum, amatus ero. Itaque reprehendunt, qui contra analogias dicunt, cur diſpariliter in tribus temporibus dicantur quædam verba natura, cum quadruplex ſit natura analogia. Id nonnunquam, ut dixi, pauciores videtur habere partes, ſic etiam alias plureis: ut cum eſt, quemadmodum ad tria unum & duo, ſic ad ſex duo & quattuor. quæ tamen quadripartita comprehenditur forma, quod bina ad ſingula conferuntur. quod in oratione quoque nunnunquam reperietur. Sicut Diomedes confertur Diomedibus, ſic dicitur ab Hercules Hercu-

libus. & ut hæ heic ab uno capite a recto casu in duos obliquos descendunt casus; sic contra multa a duobus capitibus recti casuum confluunt in obliquum unum. Nam ut ab heis recteis, hei Bœbiei, hæ Bœbiæ, fit heis Bœbieis: sic est ab heis, hei Cœliei, hæ Cœliæ, heis Cœlieis. A duobus similibus similiter declinantur: ut fit in heis, nemus, olus; nemora, olera. Alia a dissimilibus similiter declinantur: ut in articuleis ab hic, iste; hunc, istum. Analogia fundamenta habet aut a voluntate hominum, aut a natura verborum, aut re utraque. Voluntatem dico, impositionem vocabulorum; naturam, declinationem vocabulorum, quo decurritur sine doctrina. Qui impositionem sequetur, dicet: si simile in recto casu dolus & malus; fore in obliquo, dolo & malo: si naturam sequetur, si sit simile in obliqueis Marco, Quincto, fore ut sit Marcum, Quinctum. Qui utrumque sequetur, dicet, si sit similis transitus, ut est in servus serve, fore, ut sit item in cervus cerve. Commune omnium est, ut quattuor figuras vocis habeat proportione declinatus. Primum genus est ortum ab similitudine in recteis casibus: secundum ab similitudine, quæ est in obliqueis: tertium a similitudine, quæ est in transitibus de casu in casum. Primo genere ab imposito ad naturam proficiscuntur: in secundo, contra: in tertio, ab utroque. Quocirca etiam hoc tertium potest bifariam divisum esse: tertium & quartum dici, quod in eo ut prosas, & rosas potest dici. qui initia faciet analogiæ, impositiones ab heis obliquas figu-

ras declinare habebit: qui naturam, contra. qui ab utraque, reliquas declinationes ab hujusmodi transitibus. Impositio est in nostro dominatu; nos in natura. quemadmodum enim quisque vult, imponit nomen; at declinat, quemadmodum vult natura. Sed quoniam duobus modeis imponitur vocabulum, aut re singulari, aut multitudine: singulari, ut cicer; multitudinis, ut scalæ. Nec dubium est, quin ordo declinatuum, in quo res singulares declinantur, solæ ab singulari aliquo casu proficiscantur, ut cicer, ciceri, ciceris: item contra in eo ordine, qui multitudinis erit solum, quin a multitudinis aliquo casu ordiri conveniat, ut scalæ, scaleis, scalas. Aliud videndum est, cum duplex natura copulata, ac declinatuum bini fiant ordines, ut est Mars, Martis. Unde autem ratio analogiæ debuit ordiri, utrum ab singulari re in multitudinem, an contra? neque enim si natura ab uno ad duo pervenit, idcirco non potest amplius esse in docendo posterius, ut inde incipias, ut, quod sit prius, ostendas. Itaque illi, qui de omni natura disputant, atque ideo vocantur physici, tamen ex heis ab universa natura profecti, retroque esse principia mundi ostendunt. Oratio cum ex litereis constat, tamen eam grammatici litereis ostenderunt. quare in demonstrando, quoniam potius profecisse oportet ab eo, quod apertius est, quam ab eo, quod prius est, & potius ab incorrupto principio, ab natura rerum, quam ab libidine hominum. Et hæc tria, quæ sequenda magis sunt, minus sunt in singularibus, quam in multitudine, commodius

poteſt ordiri. quod in heis principiis minus orationis verbeis fingendeis, verborum forma, facilius ſingularia videri poſſe, quam ex ſingularibus multitudinis: hæc oſtendunt, trabes, trabs; duces, dux. Videmus enim ex heis verbeis, trabes, duces, de extrema ſyllaba E literam excluſam, & ideo in ſingulari factum eſſe trabs, dux. Contra ex ſingularibus non tam videmus quemadmodum facta ſint ex B & S trabs, ex C & S dux. Si ſimilitudinis rectus caſus forte figura corrupta erit, (id quod accidit raro) prius id corrigemus, quam inde ordiemur. obliqueis adſumere oportere figuras eas, quæ non erunt ambiguæ, ſive ſingulares, ſive multitudinis; ex quibus id cujuſmodi debent eſſe, perſpici poſſint. Nam nunquam alterum ex altero videtur: ut Chryſippus ſcribit, quemadmodum pater ex filio, & filius ex patre. neque minus in fornicibus propter ſiniſtram dextra ſtat, quam propter dextram ſiniſtra. Quapropter, ut ex recteis caſibus obliqui, & ex obliqueis recti, & ex ſingularibus multitudines, & ex multitudinis ſingulares nonnunquam recuperari poſſunt: principium id potiſſimum ſequi debemus, ut in eo fundamentum ſit in natura, quod in declinationibus ibi facilior ratio. Facile enim eſt animadvertere, peccatum magis cadere poſſe in impoſitiones eas, quæ fiunt plerumque in recteis caſibus ſingularibus: quod homines imperiti & diſperſi vocabula rebus imponunt, quocunque eos libido invitavit. natura incorrupta eſt plerumque ſuapte ſponte, niſi qui eam uſu inſcio depravavit. Quare ſi quis principium analogiæ po-

tius posuerit in naturalibus casibus, quam in impositiveis, non multa in consuetudine occurrent. & ut a natura libido humana corrigitur, non ab libidine natura; quod, qui impositionem sequi voluerint, facient contra. sin a singulari quis potius proficisci volet, id illum facere oportebit ab sexto casu, qui est proprius. Latineis enim non est casus alius. Heis literarum discriminibus facilius reliquorum varietatem discere poterit; quod ii habent exitus aut in A, ut ab hac terra: aut in E, ut ab hac lance: aut in I, ut ab hoc levi: aut in O, ut ab hoc cælo: aut in U, ut ab hoc versu. Igitur ad demonstrandas declinationes biceps una hæc. Sed quoniam ubi analogia, tria; unum, quod in rebus; alterum, quod in vocibus; tertium, quod in utroque: duo priora simplicia, tertium duplex: animadvertendum hæc quam inter se habeant rationem. Primum ea, quæ sunt discrimina in rebus, partim sunt, quæ ad orationem non attineant, partim quæ pertineant. Non pertinent, ut ea, quæ observant in ædificiis & signeis faciendeis ceterisque rebus artifices: e queis vocantur aliæ, harmonicæ; sic item aliæ nominibus aliis: sed nulla harum fit loquendo pars ad orationem. Quæ pertinent res, eæ sunt, quæ verbeis dicuntur proportione, neque a similitudine quoque vocum declinatus habent. ut Juppiter, Marspiter; Jovi, Marti. Hæc enim genera nominum & numero & casibus similia sunt, proportione. similia inter se, quod utraque nomina sunt, & virilia sunt, & singularia, & casu nominandei & dandei. Alterum

genus vocale eſt, in quo voces modo ſunt proportione ſimiles, non res: ut biga, bigæ, nuptia, nuptiæ. Neque enim in heis res ſingularis ſubeſt una, cum dicitur biga, quadriga. neque ab heis vocibus quæ declinata ſunt, multitudinis, ſignificant quidquam. Ideo quod omnia multitudinis, quæ declinantur ab uno: ut a merula, merulæ, ſunt ejuſmodi ut ſingulari ſubjungantur: ſic merulæ duæ, caculæ tres, faculæ quattuor. Quare cum idem non poſſit ſubjungi: cum dicimus unæ bigæ, quadrigæ duæ, nuptiæ tres; ſed pro eo unæ bigæ, binæ quadrigæ, trinæ nuptiæ; apparet non eſſe biga, & quadriga; & bigæ, & quadrigæ: ſed ut eſt hujus ordinis una, duæ, tres, principium una: ſic in hoc ordine altero, unæ, binæ, trinæ, principium eſt unæ. Tertium genus, eſt illud duplex, quod dixi, in quo & res & voces ſimiliter proportione dicuntur: ut bonus, malus: boni, mali. de quorum analogia & Ariſtophanes & alii ſcripſerunt. Etenim hæc denique perfecta, ut in oratione illæ duæ ſimplices inchoatæ analogiæ, de quibus tamen ſeparatim dicam, quod heis quoque utimur in loquendo. Sed prius de perfecta, in qua & res & voces quadam ſimilitudine continentur. cujus genera ſunt tria: unum vernaculum ac domi natum: alterum adventitium: tertium nothum, ex peregrino heic natum. Vernaculum eſt, ut ſutor, & piſtor; ſutori, & piſtori. Adventitium eſt, ut Hectores, Neſtores; Hectoras, Neſtoras. Tertium illud nothum, ut Achilles, & Peleus. de genere multi utuntur, non modo poetæ, ſed etiam

plerique. hæc primo omnes, qui ſoluta oratione loquuntur, dicebant, ut quæſtorem, prætorem, ſic Hectorem, Neſtorem. Itaque Ennius ait, Hectoris natum de muro Trojano jactari. Actius hoc in tragœdiis largius a priſca conſuetudine movere cœpit, & ad formas Græcas verborum magis revocare, & a quo Valerius ait, Actius Hectorem nollet facere, Hectora mallet. quod adventitia pleraque habemus Græca, ſecutum, ut de notheis Græcanicos quoque nominatos plurimum haberemus. Itaque ut heic alia Græca, alia Græcanica, ſic analogiæ. e quibus quæ ſic nothæ ſiunt declinationes, de heis aliæ ſunt priſcæ, ut Bacchides, Chryſides: aliæ minores, ut Chryſideis, Bacchideis: aliæ recentes, ut Chryſidas, Bacchidas: cum heis omnibus tribus utantur noſtri, maxime qui ſequuntur media in loquendo, offendunt minimum. quod prima parum ſimilia videntur eſſe Græceis, unde ſint translata: tertia parum ſimilia noſtreis. Omnis analogiæ fundamentum ſimilitudo quædam, ut dixi. quæ ſolet eſſe in rebus, in vocibus, & in utroque: in qua harum parte cumque ſit in ferendo, & cujuſmodi, videndum. Nam, ut dixi, neque rerum, neque vocis ſimilitudo ad has dupliceis, quæ in loquendo quærimus, ſeparatim ſatis eſt, quod utraque parte opus eſt ſimili, analogias verborum exprimendas: quas ad loquendum ut perducas, accedere debet uſus. Alia enim ratio qua facias veſtimentum; alia, quemadmodum utare veſtimento. Uſui ſpecies videntur eſſe tres: una, conſuetudinis veteris; altera, conſuetudinis hujus; tertia au-

tem, neutra. Vetera, ut cascus furus, casci furi. Hujus consuetudinis, ut albus, caldus; albo, caldo. Neutra, ut scala, falera; scalam, faleram. Ad quas accedere potest quarta, quæ est mixta, ut amicitia, inimicitia; amicitiam, inimicitiam. Prima est, qua usi antiqui, & nos reliquimus: secunda, qua nunc utimur: tertia, qua utuntur poetæ. Analogia non item ea definienda, quæ dirigitur ad naturam verborum, atque illa, quæ ad usum loquendei. Nam prior definienda sic, Analogia est verborum similium declinatio similis. Posterior sic, Analogia est verborum similium declinatio similis, non repugnante consuetudine communi. Ad quam harum duarum ad extremum additum erit hoc, ex quadam parte; poetica analogia erit definita. harum primam sequi debet populus, secundam omnes singuli e populo; tertiam poetæ. Hæc diligentius, quam apertius, dicta esse arbitror. sed non obscurius, quam de re simili definitiones grammaticorum sunt, ut Arusini, Aristodemi, Aristoclis, item aliorum. quorum obscuritates eo minus reprehendendæ, quod pleræque definitiones re incognita propter summam brevitatem, non facile perspiciuntur, nisi articulatim sit explicata. Quare magis apparebit, si erit aperte de singuleis partibus: quid dicatur verbum, quid similitudo verbi, quid declinatio, quid similitudo declinationis, non repugnante consuetudine communi, quid ex quadam parte. Verbum dico, orationis vocalis partem, quæ sit indivisa & minima, si declinationem naturalem habeat. Similem, verbum verbo, tum

quom & res, quam significat, & vocem, qua significatur, & in figura transitum declinationis parilem. Declinatio est, cum ex verbo in verbum, aut ex verbi discrimine, ut transeat mens, vocis commutatio fit aliqua. Similitudo declinationis, cum item ex aliqua figura in figuram transit, ut id transit, cum quo confertur. Adjectum est, non repugnante consuetudine communi: quod quædam verba contra usum veterem declinata patietur, ut passa Hortensium dicere pro has cervices, cervix; quædam non, ut si dicas pro fauces, faux. Ubi additur, ex quadam parte, significat non esse in consuetudine in heis verbeis omneis parteis: ut declinatum amo, juvo; amor, juvor. Quid videretur analogia in oratione, & quas haberet species, & quæ de heis sequenda viderentur, ut brevi potui, informavi. nunc in quibus non debeat esse, ac proinde ac debeat, soleat quæri, dicam. Ea fere sunt quattuor genera: primum in id genus verbeis, quæ non declinantur, analogia non debet quæri, ut in heis, nequam, mox, vix. De heis magis in alio, quam in alio erratur verbo. dicunt enim non habere casus mox & vix, nequam habere: quod dicamus, hic nequam, hujus nequam, huic nequam: cum intellegimus, aut hominis ejus, quem volumus ostendere esse nequam, dicimus casus, & ei præponimus, non, cujus putamus nequitiam. Quod vocabulum factum, ut ex non & volo, Nolo; sic ex ne & quidquam, item media extrita syllaba, coactum est Nequam. Itaque ut eum, quem putamus esse non hili, dicimus Nihili;

ſic in quo putamus eſſe nequidquam, dicimus nequam. Secundo, ſi unum ſolum habent caſum in voce, quod non declinentur, ut literæ omnes. Tertio, ſi ſingularis eſt vocabuli ſeries, neque habet eum qua comparari poſſit, ut eſſe putant caput, capitis, capite. Quartum, ſi ea vocabula, quæ conferuntur inter ſe, rationem habent, quam oportet, ut ſocer, ſocrus; ſocerum, ſocrum. Contra in quibus debeat quæri analogia, fere totidem gradus debent eſſe conjuncti. Primum, ut ſint res: ſecundum, ut earum ſit uſus: tertium, uti hæ res vocabula habeant: quartum, ut habeant declinatus naturaleis. De primo gradu, quod natura ſubeſt & multitudinis & ſingularis, dicimus hei aſſes, hoſce aſſes, hic as, hunc aſſem: contra quod in numereis finiteis multitudinis natura ſingularis non eſt, dicimus hei duo, & hei tres; heis duobus, heis tribus. Secundo gradu ſi eſt natura, neque eſt uſus, id genus ut ſit diſcriminandum, ut ſit in faba, & id genus. Non enim opus fuit, quæ ut in ſerveis, item ex parte & univerſa nominamus.

Deſunt quædam.

M. TERENTII VARRONIS

FRAGMENTA.

M. TERENTII VARRONIS
FRAGMENTA.

DE LINGUA LATINA
LIBER I
AD P. SEPTIMIUM.

Agguлus, aggens, agguilla, aggerunt. in ejusmodi Græci & Attius noſter binam G ſcribunt, alii N & G. quod in hoc veritatem facile videre non eſt. Similiter agceps & agcora. *Priſc. libro primo.*

*

Nec R, nec Q, nec H, in numero literarum. *Ibidem.*

*

In quo L. Ælius noſter, literis ornatiſſimus, memoria noſtra erravit aliquotiens. nam aliquot verborum antiquorum Græcorum, perinde atque eſſent propria noſtra, reddidit cauſas falſas. Non enim Leporem dicimus, ut ait, quod eſt Levipes, ſed quod eſt vocabulum antiquum Græcum. Multa enim vetera illorum ignorantur, quod pro iis, aliis nunc vo-

cabulis utantur : & illum esse, plerique ignorent Græcum. quem nunc nommant ἕλληνα, puteum esse, quod vocant φρέαρ : Leporem, quod λαγωὸν dicunt. In quo non modo L. Ælii ingenium non reprehendo, sed industriam laudo. Successum enim fortuna, experientiam laus sequitur. *A. Gellius, lib. I, cap. 18.*

(*Hoc fragmentum huc reposui, fide Ausonii Popmæ. A. Gellius hæc citat ex libro XIV humanarum. Lud. Carrio in notis ad A. Gellium, notavit, in libri hujus nomenclatura, & item numero, vehementer inter se dissentire membranas, & libros vulgatos: antiquissimas editiones habere*, in primo de ratione vocabulorum libro; *alias*, in quarto decimo, de ratione vocabulorum libro. *Sequatur quisque sententiam, quæ magis ei arridet, neque enim in hoc vertuntur opes Latii.*)

*

Furem ex eo dictum, quod veteres Romani Furvum atrum appellaverint, & Fures per noctem, quæ atra sit, facilius furentur. *Ibidem.*

DE LINGUA LATINA, LIB. II.

AD P. SEPTIMIUM.

*

*

*

DE LINGUA LATINA LIB. III.

AD P. SEPTIMIUM.

*

Fenerator a fenore est cognominatus. Fenus autem dictum a fetu, & quasi a fetura quadam pecuniæ pa-

rientis, atque increscentis. Et idcirco & M. Cato, & ceteri ætatis ejus, *Feneratorem* sine A litera pronuntiarunt: sicuti Fetus ipse, & Fecunditas appellata. *A. Gellius libro XVI, cap. 12.*

*

Sicut vocetur panthera & Lea. *Junius Philargyr. ad Eclogam II Virgil. Leam Varro ad Ciceronem dicit libro III.*

M. TERENTII VARRONIS DE LINGUA LATINA

LIB. X.

*

LIB. XI.

Rure ordinatum arbustum. *Sosip. lib. I.*

Horum poematorum, his poematis. *Ibidem.*

Catinuli. *Idem. Catinuli dixit, non catilli, Varro ad Ciceronem XI. GIT per omnes casus ire debere. Vulgo autem hoc Gicti dicunt.*

LIB. XII.

*

LIB. XIII.

Olivo & Osso.

Palpetras.

Sosip. Charis. lib. I. Palpetras per T, Varro ad Ciceronem XIII dixit, sed Fabianus de animalibus primo palpebras *per B. Alii dicunt,* palpetras *genas,* palpebras *autem ipsos pilos.*

LIB. XIV.

*

LIB. XV.

*

LIB. XVI.

*

LIB. XVII.

*

LIB. XVIII.

*

Quibus nos in hoc libro, proinde ut nihil interſit, utemur indiſcriminatim. *Nonius Indiſcriminatim.*

LIB. XIX.

*

LIB. XX.

*

LIB. XXI.

*

LIB. XXII.

*

Rure veni. *Soſip. Chariſ. lib. I.*

LIB. XXIII.

Ingluvies, ſunt tori circa gulam, qui propter pinguitudinem fiunt, & interjectas habent rugas. *Junius Philarg. in III Georg. Virgilii.*

LIB. XXIV.

Proloquium eſt ſententia, in qua nihil deſideratur. *A. Gellius lib. XVI, cap. 8.*

Cum inde haurierint. *Priſc. lib. X. Haurivi, vel haurii.*

INCERTI LIBRI.

*

Talia ex Græco ſumta, ex maſculino in femininum tranſeunt, & A litera finiuntur, ὁ κοχλίας, hæc cochlea, ὁ χάρτης, hæc charta, ὁ γαυσάπης, hæc Gauſapa, ὁ ἕρμαξ, Herma. *Priſc. lib. VII, & Soſip. Chariſ. lib. I.*

*

Junior & ſenior, comparativi ſunt per deminutionem, Senior, non ſatis ſenex, Junior, non ſatis juvenis, vel intra juvenem. ſicut pauperior intra pauperem. *Servius in librum V & VI Æneid.*

Id præſente Legatis omnibus exercitus pronuntiat. *Donatus in Eunuch. Terentii. Actus IV, Scena 3.*

Caput, quod ab eo capiant initium ſenſus, ac nervi. *Lactant. in lib. de opificio Dei.*

Fixum. *Diomed. lib. I.*

Ala, culmus fabæ. *Servius.*

M. TERENTII VARRONIS DE LINGUA LATINA AD M. MARCELLUM LIB. I.

*

Cretenſes Ennius dixit. *Soſip. lib. I.*

LIB. II.

Semel minuſne, an bis minus ſit, non ſat ſcio,
An utrumque eorum, ut quondam audivi dicier,
Jovi ipſi Regi noluit concedere. *Gell. lib. XII, c. 6.*

M. Varro Æditimum dici oportere cenſet magis quam æditumm: quod alterum ſit recenti novitate

factum, alterum antiqua origine incorruptum. *A. Gell. lib. XII, cap. 10.*

L I B. III.

*

Utrumque mulieres, & epicrocum viri quoque habitarunt. *Nonius. Habitare, pro uti.*

L I B. IV.

*

L I B. V.

*

Later, lutum, agmenta. *Charis. lib. I.*

Domi suæ. *Idem ibidem. Domi est Genitivus.*

Mutuo. *Idem libro II.*

HΘH nulli alii servare convenit, quam Titinnio & Terentio: Πάθη vero Trabea, & Attilius & Cæcilius facile moverint. *Ibidem.*

Præcise generat animi passionem, quod novi generis cum non sit interjectio, sed ademtio tantum, interjecti animi causa vocitamus: *Tu me homo adigis ad insaniam:* irascentis & hæc oratio est, licet nulla interjecta sit particula. *Ibidem.*

L I B. VI.

*

L I B. VII.

Clausulas quoque primum appellatas dicunt, quod clauderent sententiam, ut apud Attium: *An hæc jam obliti sunt Phruges? Ruffinus de metris Terentii, Plauti, & aliorum.*

Aut in extremum senarium totidem semipedibus

adjectis fiat comicus quadratus, ut hic: *Heri aliquot adolescentuli coimus in Piræo.* Ibidem.

INCERTI LIBRI.

*

Quare in hujusmodi locis poni oportet notam in transversum inter syllabas frequentius ad extremum versum senarium, & similes, si pro longa brevem habebunt, ut in hoc: *Amicus summus meus & popularis Geta.* Ibidem.

In priore verbo graves prosodiæ quæ fuerunt, manent: reliquæ mutant. *A. Gellius lib. XVIII, cap. 12. Mutant, pro mutantur.*

Varro ait, quatuor foraminum fuisse tibias apud antiquos, & se ipsum in templo Marsyæ vidisse tibias quatuor foraminum. *Acron in Artem poeticam Horatii.*

Ex gallo gallinaceo castrato, fit capus. *Sosip. lib. I. Capo dicitur nunc, sed Varro Capus.*

M. TERENTII VARRONIS
DE UTILITATE SERMONIS

LIB. I.

*

LIB. II.

*

LIB. III.

*

LIB. IV.

*

Ænigmatis. *Sosip. Charis. lib. I.*

M. TERENTII VARRONIS
DE SIMILITUDINE VERBORUM
LIB. I.

*

LIB. II.

Pax singulariter dicitur. *Sosip. lib. I.*

M. TERENTII VARRONIS
DE POEMATIS
LIB. I.

*

LIB. II.

*

Nunc vides in conviviis, ita poni sal & mel. *Sosip. Charis. lib. I.*

Lentim. *Ibidem.*

LIB. III.

Poematorum, poematis. *Ibidem.*

INCERTI LIBRI.
Olympiam non accessit. *Ibidem.*

M. TERENTII VARRONIS
DE COMPOSITIONE SATYRARUM
LIBER.

Parrectatæ adsunt, mulcetque mulier Venus caput. *Nonius Porrectati.* Alii: *Paractatæ adsunt, mulerque mulier, Venus caput.*

M. TERENTII VARRONIS DE PROPRIETATE SCRIPTORUM LIBER.

Quin æs, ſtannum, aut quid aliud ejus generis fervefactum, colliquiſſet, & in forma eſſet infuſum. *Nonius, Liquidum, molle & fluxum.*

M. TERENTII VARRONIS DE COMŒDIIS PLAUTINIS LIBER.

Nam nec Gemini, nec Lenones, nec Condalium, nec Anus, nec Bis compreſſa, nec Bœotia Plauti unquam fuit: neque adeo ἄγροικος, neque Commorientes, ſed M. Attilii. *A. Gellius lib. III, cap. 3.*

Plautium fuiſſe quempiam poetam comœdiarum, cujus quoniam fabulæ Plautii inſcriptæ forent, acceptas eſſe quaſi Plautinas: cum eſſent non a Plauto Plautinæ, ſed a Plautio Plautianæ. *Ibidem.*

Saturionem & Aditum, & tertiam quandam in piſtrino Plautus ſcripſit, cum pecunia omni, quam in operis artificium ſenicorum pepererat, in mercationibus perdita, inops Romam rediſſet, & ob quærendum victum ad circumagendas molas, quæ truſatiles appellantur, operam piſtori locaſſet. *Ibidem.*

M. TERENTII VARRONIS PLAUTIN. QUÆSTIONUM LIB. I.

LIB. II.

*

Amussis, est & æquamentum lævigatum: & est apud fabros tabula quædam, qua utuntur ad saxa coæquanda. *Nonius, Examussim dicitur examinate ad regulam.*

Satyra est ex uva passa & polenta, ex nucleis pineis mulso consparsis. *Diomed. lib. III. Satyra, a quodam genere farciminis, quod multis rebus fertum Satyram Varro vocitat.*

M. TERENTII VARRONIS EPISTOLICARUM QUÆSTIONUM

LIB. I.

*

Corona navali. *Sosip. lib. I.*

Maximam multam dixerunt trium millium, & viginti assium: quia non licebat quondam pluribus triginta bobus, & duabus ovibus, quemquam multari: æstimabaturque bos centussibus, ovis decussibus. *Festus, Multa. Osce pœna est pecuniaria.*

Pignoriscapio ob æs militare, quod æs a Tribuno ærario miles accipere debebat, vocabulum seorsum fit, per quod dilucet, hanc capionem posse dici, quasi hanc captionem, & in usu, & in pignore. *A. Gell. lib. VII, cap. 10.*

LIB. II.

*

LIB. III.

*

Capillus pluraliter dici non debet. *Sosip. lib. I.*

LIB. IV.

*

More majorum Senatus haberi ſolebat, per Dictatorem, Conſules, Prætores, Tribunos plebis, Interregem, Præfectum urbis: neque alii præter hos jus fuit facere Senatuſconſultum, quotieſque uſu veniebat, ut omnes iſti Magiſtratus eodem tempore Romæ eſſent, tum quo ſupra ordine ſcripti erant, qui eorum prior aliis erat, ei potiſſimum Senatus conſulendi jus fuit. Extraordinario jure Tribuni quoque militares, qui pro Conſulibus erant, item Decemviri, quibus imperium Conſulare tum erat, item Treſviri Reipublicæ conſtituendæ cauſa creati, jus conſulendi Senatum habuerunt.

Intercedendi ne Senatuſconſultum fieret, jus fuit iis ſolis, qui eadem poteſtate, qua ii, qui Senatuſconſultum facere volebant, majoreſque erant.

Niſi in loco per Auguſtum conſtituto, quod templum appellaretur, Senatuſconſultum factum eſſet, juſtum id non fuit. propterea & in Curia Hoſtilia, & in Pompeja, & poſt in Julia, cum profana ea loca eſſent, templa ſunt per Auguſtum conſtituta, ut in iis Senatuſconſulta, more majorum juſta fieri poſſent.

Non omnes ædes ſacræ templa ſunt, ac ne ædes quidem Veſtæ templum eſt.

Senatuſconſultum ante exortum, aut poſt occaſum ſolem factum, ratum non fuit. Opus Cenſorium fecit exiſtimatos, per quos eo tempore Senatuſconſultum factum eſſet.

Immolare hoſtiam prius, auſpicarique debet, qui

Senatum habiturus eſt. De rebus divinis prius, quam humanis, ad Senatum referendum eſt. Referri oportet, aut infinite de Republica, aut de ſingulis rebus finite. Senatuſconſultum fit duobus modis, aut per diſceſſionem, ſi conſentiatur; aut, ſi res dubia ſit, per ſingulorum ſententias exquiſitas. Singuli autem debent conſuli gradatim, incipique a Conſulari gradu, ex quo gradu ſemper quidem antea primus rogari ſolitus eſt, qui Princeps in Senatum lectus eſſet. Hoc autem tempore novus mos inſtitutus eſt per ambitionem, gratiamque, ut is primus rogaretur, quem rogare velit, qui habeat Senatum, dum is tamen ex gradu Conſulari ſit. *A. Gellius lib. XIV, c. 7, citat hæc ex literis, quas Varro ad Oppianum dederat, quæ erant in libro Epiſtolicarum quæſtionum quarto.*

Jus eſt præfecto Senatus habendi, deque hac re aſſenſus eſt Capito Tuberoni, contra ſententiam Mutii: namque & Tribunis plebis Senatus habendi jus erat, quamquam Senatores non eſſent ante Aſinium plebiſcitum. *Idem, libri ejuſdem cap. 8.*

L I B. V.

*

A Deorum ſede cum in Meridiem ſpectes, ad ſiniſtram ſunt partes mundi exorientes, ad dextram occidentes. eo factum arbitror, ut ſiniſtra meliora auſpicia, quam dextra eſſe exiſtimentur. *Feſtus, ſcribens idem fere ſentire Sinnium Capitonem, & Cincium, quod ſentiat Varro.*

L I B. V I.

*

Eclogas ex Annale descriptas. *Sosip. lib. I.*

Quo loco per O, & quo loci per I, potest dici, sed ita, ut si pluribus locum quæras, aut in Italia quid puta sit, an in Græcia, Quo loco dicas? respondetur, hoc loco. Si per I, sicut quo sis. Sed homo in multitudine dicitur. Cum autem, quid hoc est hominis? quæritur, de alicujus quæro hominis qualitate. *Sosip. lib. I citat ex IV libro epist. quæst.*

Ad mortem perduceres non sii. *Diomed. lib. I.*

INCERTI LIBRI.

*

Demolivit tectum. *Diomed. lib. I. Demolio.*

M. TERENTII VARRONIS EPISTOLARUM

LIB. I.

*

In votum amicorum domus fumat, hilaresco. *Nonius, Hilarisco.*

LIB. II.

*

Tuum opus nemo imitare potest. *Non. Imitat.*

LIB. III.

*

Capillum pluraliter dici non debere. *Sosip. lib. I. Alii referunt ad lib. III epist. quæstionum.*

LIB. IV.

*

LIB. V.

*

LIB. VI.

*

LIB. VII.

*

Quintum tricensimum annum dici sine & conjunctione, & similia, nec interponendam conjunctionem in re ipsa conhærentem, ut si dixero, Ad quintum & tricensimum prædium habeo, jam duo significabunt, alterum ad quintum, alterum ad tricensimum. *Sosip. ibidem.*

LIB. VIII.

*

Margaritum, margarita plura. *Sosip. ibidem.*

INCERTI LIBRI.

*

Si te in libertatem vindicare non potes, feres fortunam. *Nonius, Vindicare.*

Si venisses Capuam; quod & pueros minutos vides libenter, & majores animadvertere non vis. *Nonius in Minutum.*

EPISTOLA AD JULIUM CÆSAREM.

*

Interea prope ad occidentem solem horrescit mare. *Nonius, Horrendum.*

Convocat Ptolomæum cinædon, Laconicon Petauristen, Diona αὐλοποιόν. *Nonius, Petaurista.*

EPISTOLA JULII CÆSARIS.

Cum simul ac Romam venissem, mihi attigit au-

res nuntius. *Ex templo eas:* in curriculum contuli propere pedes. *Nonius, Curriculus.*

EPISTOLA AD FABIUM.

*

Quod facie Saturnorum ſimiles ſunt, iidemque imberbi. *Nonius, Imberbi. Male Riccob. Nonius in verbi, pro in verbis. Error ex vicinitate literarum earumque inepta diviſione.*

EPISTOLA AD FUFLUM.

*

Si hodie Nenum venis, cras quidem ſi veneris meridie, natali Fortis Fortunæ, Quintiporis Clodiani Forias ac poemata gargaridans dices: *O fors fortuna, quantis commoditatibus hunc diem. Nonius, Gargaridiare.* Idem. *Nenon, pro non.* Idem, *fors fortuna.*

EPISTOLA AD MARULLIUM.

*

Utrum meridie, an veſperi lubentius ad Obbam accedas, locus, actus, adventus declarabit. *Nonius, obba.*

EPISTOLA AD NERONEM.

*

Nam ſi tuam rhedam non habuiſſem, habuiſſem varices. *Nonius in Rheda & varices.*

Ad lare familiare. *Soſip. Char. lib. I.*

EPISTOLA AD SERVIUM SULPITIUM.

*

In memoria ſibi eſſe, quod Quintus Catulus,

curator restituendi Capitolii, dixisset, voluisse se arcam Capitolinam deprimere, ut pluribus gradibus in ædem conscenderetur, suggestusque pro fastigii magnitudine altior fieret, sed facere id non quisse, quoniam favissæ impedissent: id esse cellas quasdam & cisternas, quæ in arca sub terra essent, ubi reponi solerent signa vetera, quæ ex eo templo collapsa essent, & alia quædam religiose donariis consecrata. *Gell. lib. II, cap. 10.*

Negat quidem se in literis invenisse, cur favissæ dictæ sint: sed Q. Valerium Soranum solitum dicere ait, quos Thesauros græco nomine appellaremus, priscos Latinos flavissas dixisse: quod in eo non rude æs argentumque, sed flata signataque pecunia conderetur. Conjectare igitur se, detractam esse ex eo verbo secundam literam, & favissas esse dictas, cellas quasdam & specus, quibus æditui Capitolini uterentur ad custodiendas res veteres religiosas. *A. Gell. ibidem.*

M. TERENTII VARRONIS DE GRADIBUS LIBRI I.

*

Germanus de eadem genetrice natus est, non ut multi dicunt, de eodem germine, qui tantum fratres vocantur. *Servius in V Æneid.*

M. TERENTII VARRONIS ΠΕΡΙ ΧΑΡΑΚΤΗΡΩΝ LIB. I.

*

LIB. II.

*

LIB. III.

*

Propius proxime. *Sosip. Charis. lib. II.*

M. TERENTII VARRONIS

COMPLEXIONUM

LIB. I.

*

LIB. II.

*

LIB. III.

*

LIB. IV.

*

LIB. V.

*

LIB. VI.

*

Ad mortem non sivi me producere. *Diomed. lib. I.*

M. TERENTII VARRONIS

DISCIPLINARUM

LIB. I.

*

LIB. II.

*

LIB. III.

*

LIB. IV.

*

LIB. V.

*

Aliud est *quarto* Prætorem fieri, & *quartum*; quod quarto locum adsignificat, ac tres ante factos; *quartum*, tempus adsignificat, & ter ante factum. Igitur Ennius recte hoc scripsit, *Quintus pater, quartum fit Consul:* & Pompejus timide, quod in Theatro, ne adscriberet Consul tertium aut tertio, extremas literas non conscripsit. *Gellius lib. X, cap. 1.*

LIB. VI.

*

LIB. VII.

*

LIB. VIII.

*

Manducata portulaca sitim tollit. *Non. Portulaca.*

Vesperi non videre, quos appellant lusciosos. *Nonius, Lusciosi.*

INCERTI LIBRI.

Observasse se in versu Hexametro, quod omni modo quintus semipes versum finiret, & quod priores quinque semipedes æque magnam vim haberent in efficiendo versum, atque alii posteriores septem: idque ipsum ratione quadam Geometrica fieri dicit. *Gellius lib. XVIII, cap. 15.*

Dialectica & Rhetorica est, quod in manu hominis pugnus adstrictus, & palma distensa: illa, verba contrahens; ista distendens. *Isidor. lib. II Originum.*

M. TERENTII VARRONIS

DE GRAMMATICA LIBER.

*

Ars Grammatica, ut Varroni placet, ſcientia eſt eorum, quæ a poetis, hiſtoriciſque, oratoribuſque dicuntur, ex parte majore. Ejus præcipua officia ſunt quatuor, ut ipſi placet, ſcribere, legere, intelligere, probare. *Victorinus de Orthogr.*

Eam Varro literationem vocat. *Iſidorus lib. I.*

Literarum partim ſunt & dicuntur, ut A & B. partim dicuntur & non ſunt, ut H & X. partim ſunt, neque dicuntur, ut Φ. Ψ. *Caſſiod. in Orthographia.*

M. TERENTII VARRONIS

DE ASTROLOGIA LIBER.

*

Stellam a ſtando dici. *Caſſiod. in compendio Aſtronomiæ.*

M. TERENTII VARRONIS

DE ARITHMETICA LIBER.

*

M. TERENTII VARRONIS

DE GEOMETRIA. LIBER

AD M. CÆLIUM RUFUM.

*

Ager Arcifinius, ſicut ait Varro, ab arcendis hoſtibus eſt appellatus: qui poſtea interventu li-

tium per ea loca, quibus finit, terminos accipere cœpit. *Jul. Frontinus in libro de limitibus agrorum.*

Optice pars Geometriæ hoc efficit, ut in speculo caput in imo compareat, pedes vero surrecti.

Geometriæ pars altera, Canonica Græcis nuncupata, quæ vocum longitudines & altitudines mensu certo distinguit.

M. TERENTII VARRONIS
DE MUSICA
LIBER.

*

M. TERENTII VARRONIS
ANTIQUITATUM RERUM HUMANARUM
LIB. I.

*

Praxiteles, qui propter artificium egregium, nemini est paulum modo humaniori ignotus. *A. Gell. lib. XIII, cap. 15.*

Ut habent parii, qui vocantur Ophiogenes, & in Africa Psylli: quorum Ophiogenes, cum arbitrantur suppositum esse aliquem in stirpe, ei admovent, ut pungat colubram: cum pupugerit, si de genere sit, vivere; si non sit, mori. *Priscianus lib. X, in Pungo.*

Admota aspis cum pupugerit, si non occidat, sciat ex Psyllorum stirpe esse. *Idem, ibidem.*

Etiam nunc esse paucos ibi, quorum salivæ contra ictus serpentum medeantur. *Plin. lib. VII, cap. 2.*

Murrata potione usos antiquos indicio est, quod

etiam nunc Ædiles per ſupplicationes Diis addunt ad pulvinaria, & quod XII Tabulis cavetur, ne mortuo indatur. *Feſtus.*

LIB. II.

Literiſque ac laudibus æternare. *Non. Æternare.*

Dardanum Deos Penates ex Samothrace in Phrygiam, & Æneam ex Phrygia in Italiam detuliſſe. *Macrob. lib. III, cap. 4.*

Conſtat quidem nunc lauro ſacrificantes apud aram maximam coronari, ſed multo poſt Romam conditam hanc conſuetudinem ſumſiſſe exordium, poſtquam in Aventino lauretum cœpit virere. *Macrob. lib. III, cap. 12.*

LIB. III.

Poſtquam adoleverit hæc juventus. *Priſc. lib. IX.*

Gentis Salentinæ nomen tribus e locis fertur coaluiſſe, e Creta, Illyrico, Italia. Idomeneus e Creta, oppido Lycto, pulſus per ſeditionem, bello Magnenſium, cum grandi manu, ad Regem Clinicum venit in Illyricum: ab eo item accepta manu cum Locrenſibus pleriſque profugis in mari conjunctus amicitiaque per ſimilem cauſam ſociatis, Locros appulit, vacuata eo metu urbe, ibique poſſedit aliquot oppida & condidit: in quis Uria, & Caſtrum Minervæ nobiliſſimum. In tres partes diviſa copia in populos XII, Salentini dicti, quod in Salo amicitiam fecerint. *Val. Prob. ad Eclog VI Virgilii.*

Poſtea cum his unam Rempublicam conjuncti & congerminati tenuere. *Non. Congermaneſcere.*

LIB. IV.

*

LIB. V.

Jano duodecim aras pro totidem menſibus dedicatas. *Macrob. lib. 1 Saturn. cap. 9.*

Libros duodecim fuiſſe Numæ regis, quos invenit Cn. Terentius ſcriba. *Plinius lib. XIII, cap. 13.*

LIB. VI.

*

Prærogativæ ſententiæ dicuntur, quæ rus . . . . Romani, qui ignonarent petitores, facilius eos animadvertere poſſent. *Feſtus, Prærogativæ.*

Pro cenſu claſſis juniorum, Servius Tullius cum dixit in deſcriptione centuriarum, accipi debet in cenſu. *Idem.*

LIB. VII.

*

Suffragat . . . . majores hi
qui vulgo in uſu . . . . us apparent
juncta ſuffrag . . . . quem quiſque
fieri vellet notabat . . . . to ſcriptis
candidatorum hominu . . . .
Feſtus, Suffragatores.

LIB. VIII.

*

LIB. IX.

*

LIB. X.

*

Juxta Rhegium fluvii ſunt continui ſeptem, La-

topodonar, Mygodes, Eugyon, Stacteres, Polme, Meleissa, Argeades. In his a matris nece purgatus dicitur Orestes, ibique diu fuisse ensem, & ab eo ædificatum Apollinis templum; cujus loco Rheginos, cum Delphos proficiscerentur, re divina facta, lauream decerpere solitos, quam ferrent secum. *Val. Probus in Bucol. Virgil.*

LIB. XI.

*

Ad victum optima fert ager Campanus frumentum, Falernus vinum, Casinas oleam, Tusculanus ficum, mel Tarentinus, piscem Tiberis. *Macrob. lib. III Saturnal. cap. 16.*

LIB. XII.

*.

Ab Erythræo mari orti. *Prisc. lib. VII. Sosip. lib. I.*

LIB. XIII.

Homines, qui media nocte ad proximam mediam noctem in his XXIV horis nati sunt, unò die nati dicuntur. *Gell. lib. III, cap. 2. Macrob. lib. I, cap. 3.* Athenienses autem aliter observare, eosque a sole occaso ad solem iterum occidentem, omne id medium tempus unum diem esse dicere. Babylonios porro aliter, a sole enim exorto, ad exortum ejusdem incipientem, totum id spatium, unius diei nomine appellare. Multos vero in terra Umbria unum & eundem diem esse dicere, a meridie ad insequentem meridiem; quod quidem nimis absurdum est. Nam qui Kalendarum hora VI natus est apud Umbros, dies ejus natalis videri debebit &

Kalendarum dimidiatum, & qui eſt poſt Kalendarum dies, ante horam ejuſdem ſextam. *Ibidem.*

Tanaidis. *Soſip. lib. I.*

LECTORI S.

Sex libri ſequentes, fuerunt de divinis temporibus, teſte Riccobono. Quare fortaſſis unus de ipſis erat liber, qui citatur, de diebus. *Adde, quod Macrobius lib. I, cap. 3 quædam ex libro hoc XIII laudans, dicat, hæc eſſe in libro* de diebus.

LIB. XIV.

*

Altera ira, altera vulneribus fatiſcuntur. *Nonius, Fatiſcuntur.*

Petoritum verbum Gallicum, & lanceam non Latinum, ſed Hiſpanicum verbum eſſe. *Gell. lib. XV, cap. 30.*

LIB. XV.

Fros, fœnum, meſſis. *Soſip. lib. I. Fros ſine N.*

Mortuos fallunt. *Diomed. lib. I.*

LIB. XVI.

*

Mortuus eſt anno duodeviceſimo, Rex fuit anno viceſimo primo. *Nonius, Duodeviceſimo.*

LIB. XVII.

*

LIB. XVIII.

Ad Romuli initium plus mille & centum annorum eſt. *A. Gell. lib. I, cap. 16.*

Fuiſſe Vettium Romæ in augurio non ignobilem, ingenio magno, cuivis docto in diſceptando parem, eum ſe audiſſe dicentem. Si ita eſſet, ut

traderent Historici de Romuli urbis condendæ auguriis, ac duodecim vulturiis: quoniam centum & viginti annos incolumis præteriisset populus Romanus, ad mille & ducentos & perventurum. *Censorin. in libro de Die natali. cap. 17.*

Balteum Tuscum esse vocabulum. *Sosip. lib. I.*

LIB. XIX.

*

Indutiæ sunt pax castrensis, paucorum dierum. *Gell. lib. I, cap. 25.*

Indutiæ sunt belli feriæ. *Ibidem.*

Multæ vocabulum non Latinum, sed Sabinum esse: idque ad suam memoriam mansisse, in lingua Samnitum, qui sunt a Sabinis orti. *Gell. lib. II, cap. 1.*

LIB. XX.

*

Et ea, quæ ad mortales pertinent, quadrifariam dissertierim, in homines, in loca, in tempora, in res. *Nonius, Quadrifariam.*

Neque idonei cives aliquid habent antiquius salute communi. *Nonius, Antiquius.*

Omnes Tarquinios ejicerent, ne quam reditionis, per gentilitatem, spem haberent. *Nonius, Reditio.*

Decemviri cum fuissent arbitrati, binos nundinum divisum habuisse. *Non. Nundinus, mascul. gen.*

Præterquam duobus in primis est scriptum, spectare velit potius quam voluntatem, debeam non datum dicere magistratum. *Nonius, Balbe, obscure.*

Eo die cis Tiberim redeundum est, quod de cælo auspicari jus nemini sit, præter Magistratum.

Non. in Cis. sed ex lib. XX Rhetoricor. forte vitium est in textu.

Cum venerint Censores, inter se sortiant. *Non. in Sortirent.*

Quod verbum Censeo, & Arbitror, idem poterat ac valebat. *Non. in Censere, sed ex lib. XX rei rusticæ, manifesto errore.*

Ut Consules ac Prætores qui sequuntur in castra, Accensi dicti: quod ad res necessarias sæpe acciantur, velut accensiti. *Non. in Accensi, laudans sed perperam lib. XX Rhetor.*

Qui in ordine erat, is æs militare merebat. *Non. Meret.*

In conviviis qui sunt instituti, potandi Modimperatores, Magistri. *Nonius, Modiperatores.*

Secundum leges habuisset patritas. *Non. Patritum, sed ex lib. 20 de Rep. an recte, aliorum esto arbitrium.*

Ne quis lectorem spurcum, hominem liberum præhendere, jussisse velit. *Nonius, in Spurcum.*

LIB. XXI.

*

In Magistratu habent alii vocationem, alii præhensionem, alii neutrum. Vocationem, ut Consules & ceteri; qui habent imperium: Præhensionem, ut Tribuni plebis & alii, qui habent Viatorem: neque vocationem, neque præhensionem, ut Quæstores & ceteri, qui neque Lictorem habent, neque viatorem. Qui vocationem habent, iidem præhendere, tenere, abducere possunt, & hæc omnia, sive adsunt quos vocant, sive acciri jusserunt. Tribuni plebis, vocationem habent nullam, neque

minus multi imperiti, perinde atque haberent, ea ſunt uſi. Nam quidam non modo privatum, ſed etiam Conſulem in roſtra vocari juſſerunt. Ego Triumvir vocatus a Porcio Trib. plebis non ivi, auctoribus principibus, & vetus jus tenui. Item Tribunus cum eſſem, vocari neminem juſſi, neque vocatum a collega, parere invitum. *A. Gell. lib. XIII, cap. 12.*

Qui poteſtatem neque vocationis populi viritim habent, neque præhenſionis: eos magiſtratus a privato in jus quoque vocari eſt poteſtas. M. Lævinus Ædilis Curulis a privato ad prætorem in jus eſt eductus, nunc ſtipati ſervis publicis, non modo præhendi non poſſunt, ſed etiam ultro ſubmovent populum. *Idem libro eodem cap. 13.*

Deligata ad patibulos, deligantur & circumferuntur, cruci defiguntur. *Nonius, Patibulum, ſed ex libro XXI rerum Romanarum.*

LIB. XXII.

*

LIB. XXIII.

*

LIB. XXIV.

*

LIB. XXV.

*

Ego σπάρτα apud Homerum, non plus ſpartum ſignificare puto, quam Spartos, qui dicuntur in agro Thebano nati. In Græcia ſparti copia modo cœpit eſſe ex Hiſpania. neque ea ipſa facultate uſi Liburni, ſed plerumque naves loris ſuebant. Græci

magis cannabo & ſtuppa, ceteriſque ſativis rebus, a quibus ſparta appellabant. *A. Gellius, lib. XVII, cap. 3. in versum illum Poetarum principis:* Καὶ δὴ δοῦρα σέσηπε νεῶν, καὶ σπάρτα λέλυνται.

EX LIBRO RERUM HUMANARUM, QUI ERAT DE BELLO ET PACE.

Vide fragmenta duo priora libri XIX ſupra poſita. A. Gell. lib. I, cap. 25 oſtendit, Lemma hujus libri fuiſſe de bello & pace.

EX LIBRO RERUM HUMANARUM DE DIEBUS.

Homines, qui media nocte &c. Athenienſes olim aliter. *Hæc fragmenta vide ſupra, lib. XIII. vides ergo, ſingulis libris ſuum fuiſſe titulum & argumentum.*

EX INCERTO RERUM HUMAN. LIBRO.

Italiam de Græco vocabulo appellatam, quoniam boves Græca veteri lingua Ἰταλοὶ vocitati ſunt, quorum in Italia magna copia fuerit, buceraque in ea terra gigni, paſcique ſolita ſint complurìa. *Gell. lib. II, cap. 1.*

M. Terentio, quando citatus neque reſpondit, neque excuſatus eſt, ego ei unam ovem multam dico. *Idem ibidem, oves genere virili.*

Ut etiam putantibus, qui oves duos, non duas dicunt, Homerum ſecutos, qui ait: μῆλ' ὄι ἔςε. *Nonius Oves maſcul. genere ex Varrone lib. III. (alii 23, alii 27) rerum human. ſed teſte Auguſt. Varro tantum 25 libros ſcripſit rerum human.*

Nilum inteſtinum eſt tenuiſſimum, quod alii Hilum appellarunt. *Soſip. Chariſ. lib. I. Locus hic cu-*

bat in in mendo. Legendum: Hilum, Varro rerum humanarum, intestinum dicit tenuissimum, quod alii hillum appellaverunt, &c.

Numerius Equitius Cupes, & Manius Macellus singulari latrocinio multa loca habuerunt infesta. His in exsilium actis, publicata sunt bona, & ædes, ubi habitabant, dirutæ. Ex ea pecunia scalæ ædis Deûm Penatium ædificatæ sunt. ubi habitabant, factus locus, ubi venirent ea, quæ vescendi causa in urbem erant allata. Itaque ab altero, macellum, ab altero, forum cupedinis appellatum. *Donat. in Terentium, in Eunuch.*

Qua murum fieri voluit, urgemur in unum. *Nonius, Urgere.*

M. TERENTII VARRONIS

ANTIQUITATUM RERUM DIVINARUM

AD C. CÆSAREM, PONTIFICEM MAXIM.

LIB. I.

QUI ERAT DE OMNIBUS COMMUNITER.

Ideo prius de rebus humanis scripsi, postea de divinis, quia divinæ istæ ab hominibus institutæ sunt. Sicut prior est pictor, quam tabula picta, prior faber, quam ædificium: ita priores sunt civitates, quam ea, quæ a civitatibus sunt instituta. Si de omni natura Deorum & hominum scriberemus, prius divina absolvissemus, quam humana attigissemus. *August. de Civitate Dei lib. VI, cap. 4.*

Tria sunt genera Theologiæ, eorumque unum Mythicon appellatur, alterum Physicon, tertium Civile. Mythicon appellant, quo maxime utuntur poetæ. Physicon, quo philosophi. Civile, quo po-

puli. Primum quod dixi, in eo ſunt multa contra dignitatem & naturam immortalium ficta: in hoc enim eſt, ut Deus alius ex capite, alius ex fœmore ſit, alius ex guttis ſanguinis natus. In hoc ut Dii furati ſint, ut adulteraverint, ut ſervierint homini. Denique in hoc omnia Diis attribuuntur, quæ non modo in hominem, ſed etiam in contemtiſſimum hominem cadere poſſunt. Secundum genus eſt, quod demonſtravi, de quo multos libros philoſophi reliquerunt, in quibus eſt, Dii, qui ſint, ubi ſint, quod genus, quale, ex quonam tempore, an ſempiterno fuerint, an ex igne ſint, ut credidit Heraclitus, an ex numeris, ut Pythagoras, an ex atomis, ut Epicurus. Sic alia, quæ facilius intra parietes, in ſchola, quam extra in foro ferre poſſunt aures. Tertium genus eſt, quod in urbibus cives, maxime Sacerdotes noſſe atque adminiſtrare debent, in quo eſt, quos Deos publice colere, quæ ſacra & ſacrificia facere quemquam par ſit. Prima Theologia maxime accommodata eſt ad Theatrum, ſecunda ad mundum, tertia ad urbem. *Auguſt. libro eod. cap. 5. Hæc huc repoſui, fide Riccob. malim tamen hæc referre ad claſſem eorum, quæ ſparſim ex Varrone, non tamen verbis ipſis auctoris referuntur.*

Duo ſunt principia Deorum animadverſa, de Cælo & Terra. *Auguſt. lib. VII. cap. 28. ſed de hoc fragmento, idem quod de duobus præcedentibus ſentio.*

Quæ pueritia eſt infrequens polluta. *Non. Pueritia.*

Et religiones & caſtus id poſſunt, ut ex periculo eripiant nos. *Nonius in Caſtitas.*

Nostro ritu sunt facienda, quam civilibus, Græco castu. *Non. ibidem.*

Immortales sunt animi. *Servius.*

Vacuna Dea est Victoria, & ea maxime hi gaudent, qui sapientia vincunt. *Acron in Horatium, lib. I, Epist. 10.*

LIB. II.
QUI ERAT DE PONTIFICIBUS.

*

Cum aut humus semina recipere non possit, aut recepta non edat, aut edita grandire nequeat. *Nonius, Grandire.*

Is solus habet album galerum, vel quod maximus est, vel quod Jovi immolata hostia albata fieri oporteat. *Gell. lib. X, cap. 15.*

Trojanos oraculum a Dodonæo Jove, apud Epirum accepisse. *Servius.*

Æneam Troja profectum, Veneris per diem stellam semper vidisse, donec in Laurentum agrum venit, ubi non est amplius visa. quare cognovisse, has terras esse fatales. *Idem.*

LIB. III.
QUI ERAT DE AUGURIBUS.

*

L. Scipio cum aurum factum haberet in vinea, fulmine ita est ictus, ut ista esset integra, aurum colliquisset. *Nonius, in Liquidum.*

Salute ostenta. *Prisc. lib. X.*

Viros vocare feriis non oportet: si vocaverit, piaculum esto. *Macrob. lib. I, cap. 16.*

LIB. IV.

QUI ERAT DE QUINDECIM VIRIS SACRORUM, QUI LIBRORUM SIBYLLINORUM CUSTODIAM HABUERUNT, A SYLLA DICTATORE INSTITUTI, CUM ANTEA DUUMVIRI, ET POSTEA DECEMVIRI EOS LIBROS CUSTODIVISSENT.

*

Ibi cum amissam capram desiderarent, animadvertissentque quendam specum tenebricosum. *Nonius, Specus gen. masc.*

Antistita. *Sosip. lib. I.*

Sibyllinos libros non fuisse unius Sibyllæ, sed appellari uno nomine Sibyllinos, quod omnes feminæ vates Sibyllæ sunt a veteribus nuncupatæ: vel ab unius Delphidis nomine, vel a consiliis Deorum denuntiandis. Σιοὺς enim Deos, non θεοὺς, & consilium non βουλὴν, sed βυλὴν appellabant Æolico genere sermonis. Itaque Sibyllam dictam esse, quasi Σιοβουλήν. Ceterum Sibyllas decem numero fuisse, easque omnes enumeravit sub auctoribus, qui de singulis scriptitarunt. *Primam* fuisse de *Persis*, cujus mentionem fecerit Nicanor, qui res gestas Alexandri Macedonis scripsit. *Secundam Libycam*, cujus meminit Euripides in Lamiæ prologo. *Tertiam Delphicam*, de qua Chrysippus loquitur, in eo libro, quem de Divinatione composuit. *Quartam Cumæam* in Italia, quam Nævius in libris belli Punici, Piso in annalibus nominat. *Quintam Erythræam*, quam Apollodorus Erythræus affirmat suam fuisse civem, eamque Grajis Ilium petentibus fuisse vaticinatam, & perituram esse Trojam, & Homerum mendacia scripturum. *Sextam Samiam*, de

qua ſcripſit Eratoſthenes in antiquis annalibus Samiorum reperiſſe ſe ſcriptum. *Septimam Cumanam*, nomine Amalthæam, quæ ab aliis Demophile, vel Herophile, nominatur, eamque novem libros attuliſſe ad regem Tarquinium Priſcum, ac pro eis trecentos Philippeos poſtulaſſe : regemque aſpernatum pretii magnitudinem, deriſiſſe mulieris inſaniam. Illam in conſpectu regis tres combuſſiſſe, ac pro reliquis idem pretium poſtulaſſe. Tarquinium multo magis mulierem inſanire putaſſe. quæ denuo tribus aliis exuſtis, cum in eodem pretio perſeveraret, motum eſſe regem, ac reſiduos trecentis aureis emiſſe: quorum poſtea numerus ſit auctus, Capitolio refecto, quod ex omnibus civitatibus & Italicis & Græcis, præcipue Erythris, coacti collatique ſunt Romam, cujuſcunque Sibyllæ nomine fuerunt. *Octavam Helleſponticam*, in agro Trojano natam, vico Marpeſſo, circa oppidum Gargethium: quam ſcribit Heraclides Ponticus, Solonis & Cyri fuiſſe temporibus. *Nonam Phrygiam*, quæ vaticinata ſit Ancyræ. *Decimam Tiburtem* nomine Albumæam, quæ Tiburi colitur ut Dea, juxta ripas Anienis. Cujus in gurgite ſimulacrum ejus inventum eſſe dicitur, tenens in manu librum : cujus ſacra Senatus in Capitolium tranſtulerit. *Lact. lib. I, cap. 6. ex Varr. lib. Rer. Div. in quo de XV viris agebatur, quem fuiſſe quartum ex Auguſtino liquet. Ex eodem Lactantii capite apparet, Varronem hos libros ad C. Cæſ. Pontif. Max. conſcripſiſſe. De novem libris allatis ad Tarquinium ſcribit etiam Gell. lib. I, cap. 19. qui nominat non Priſcum, ſed Super-*

bum. Plinius lib. XIII, cap. 13, ait inter omnes convenire, Sibyllam ad Tarquinium Superbum non novem libros, sed tres attulisse, & ex his non primum tres, deinde alios tres deussisse, sed duos, ac non tres reliquos vendidisse Tarquinio, sed unum, eumque cum Capitolio Sullanis temporibus crematum esse.

Victorem Herculem dictum, quod omne animalium genus vicerit. *Macrob. lib. III, cap. 6.*

LIB. V.
QUI ERAT DE SACELLIS.

*

Aras primum ansas dictas, quod esset necessarium a sacrificantibus eas teneri. *Macrob. lib. III, cap. 2.*

LIB. VI.
QUI ERAT DE SACRIS ÆDIBUS.

*

Canales eas dispescit. *Philarg. in 4 Georg.*

Ædem Saturni ad forum faciundum locasse Lucium Tarq. regem: Titum vero Largium Dictatorem Saturnalibus eam dedicasse. *Macrob. lib I, c. 8.*

LIB. VII.
QUI ERAT DE LOCIS RELIGIOSIS.

*

Postquam vidit misericordia labasci mentem infirmam populi. *Nonius, Labascor pro labor.*

Inter duas filias regum quid mutet, est animo advertere. *A. Gellius, lib. XVIII, cap. 12. sed legendum, inter d. f. reg. q. m. inter Antigonam & Tulliam, est animum advortere.*

Delubrum ait alios existimare, in quo praeter aedem sit area adsumta Deum causa, ut est in Circo Flaminio Jovis Statoris; alios, in quo loco Dei simulacrum dedicatum sit. *Macrob. lib. III, cap. 4.*

Sicut locum, in quo figerent candelam, candelabrum appellarunt: ita in quo Deum ponerent, nominarunt Delubrum. *Ibidem. alii haec citant ex libro VIII Varr.*

LIB. VIII.
DE FERIIS.

*

LIB. IX.
DE CIRCENSIBUS LUDIS.

*

LIB. X.
DE SCENICIS.

*

Nonnullis Magistratibus in oppido id genus umbraculi concessum est. *Macrob. lib. VI, cap. 4.*

LIB. XI.
DE CONSECRATIONIBUS.

*

Tragica vincula Baltea sunt. *Non. Balteum neutri generis.*

Prosiciem extorum vel in mensam porricere. *Idem. Prosecta, exta, quae aris dantur ex fibris pecudum generis feminini.*

LIB. XII.
DE SACRIS PRIVATIS.

*

LIB. XIII.
DE SACRIS PUBLICIS.

*

LIB. XIV.
QUI ERAT DE DIIS CERTIS.

*

Biviris nuptis ſacrificabantur in cubiculo viduæ. *Nonius, Sacrificari pro ſacrificare.*

Amuletum. *Soſip. lib. I.*

Menſe octavo nonnunquam editum eſſe partum, aliquando etiam undecimo naſci poſſe hominem dicit: ejuſque ſententiæ tam de octavo, quam de undecimo menſe, Ariſtotelem laudat auctorem. Antiquos autem Romanos non recepiſſe hujuſcemodi quaſi monſtroſas raritates, ſed nono menſe aut decimo, neque præter hos aliis partionem mulieris ſecundum naturam fieri exiſtimaſſe. idcircoque nos nomina Parcis tribus feciſſe, a pariendo & a nono atque decimo menſe. Nam Parca, immutata litera una, a partu nominata. Item Nona, & Decima, a partus tempeſtivi tempore. *A. Gell. lib. III, cap. 16.*

Riccobonus multa fragmenta huc repoſuit, quæ nos ad alias claſſes ſupra retulimus.

LIB. XV.
DE DIIS INCERTIS.

*

Cum in hoc libello dubias de Diis opiniones poſuero, repræhendi non debeo. qui enim putabit

judicari oportere, posse cum audierit, faciet ipse. Ego citius perduci possum, ut in I libro quæ dixi, in dubitationem revocem, quam in hoc quæ præscribam omnia ad aliquam dirigam summam. *Aug. de Civit. Dei lib. VII, cap. 17.*

Volgus rumorem. *Sosip. lib. I.*

In simulacris aliud significare cælum, aliud terram, aliud exempla rerum, quas Plato appellat Ideas. Cælum, Jovem; Terram, Junonem: Ideas Minervam vult intelligi. Cælum, a quo fiat aliud; Terram, de qua fiat; Exemplum, secundum quod fiat. *Idem lib. ejusd. cap. 28.*

Quod Pontifex in sacris quibusdam vitulari soleat, quod Græci παιανίζειν vocant. *Macrob. lib. III, cap. 2.*

LIB. XVI.

QUI ERAT DE DIIS SELECTIS.

*

De Diis populi Romani publicis, quibus ædes dedicaverunt, eosque pluribus signis notaverunt, in hoc libro scribam; sed, ut Xenophanes Colophonius scribit, quid putem, non quid contendam, ponam. Hominis enim est, hæc opinari, Dei scire. *Aug. lib. VII, de civit. Dei, cap. 17.*

Hoc nomine antiquos secundis rebus Comas habitasse. *Nonius, Habitare, uti.*

Tres esse affirmat animæ gradus, in omni universaque natura. unum, qui omnes partes corporis, quæ vivunt, transit, & non habet sensum. Hanc vim in nostro corpore permanare dicit in ossa,

ungues, capillos, ſicut in mundo arbores ſine ſenſu aluntur, & creſcunt, & modo quodam ſuo vivunt. Secundum gradum animæ dicit, in quo ſenſus eſt. Hanc vim pervenire in oculos, aures, nares, os, tactum. Tertium gradum animæ eſſe ſummum, qui vocatur Animus, in quo intelligentia præeminet. Hoc præter hominem omnes res carere mortales: in quo quoniam homines videntur Deo ſimiles, hanc partem animæ mundi dicit Deum, in nobis autem Genium vocari. Sic ergo & in anima mundi tres gradus inſtituens, unam partem ejus lapides eſſe dicit, ac ligna, & hanc terram, quam videmus, quo non permanat ſenſus: aliam vero, quam ſenſum vocat ejus, ut æthera: tertiam porro, quam & animam ejus nuncupat, quæ ſcilicet pervenit in aſtra. Eam quoque aſſerit facere Deos, & per eam, quando in terram permanat, Deam Tellurem: quod autem inde permanat in mare atque Oceanum, Deum eſſe Neptunum. *Auguſt. lib. VII de Civit. Dei. cap. 23.*

Diis quibuſdam patribus, & Deabus matribus, ſicut hominibus, ignobilitatem accidiſſe. *cap. 3.*

Antiquos ſimulacra Deorum, & inſignia ornatuſque confinxiſſe, quæ cum oculis animadvertiſſent hi, qui adiſſent doctrinæ myſteria, poſſent animam mundi ac partes ejus, id eſt, Deos veros animo videre: quorum qui ſimulacra ſpecie hominis fecerunt, hoc videri ſecutos, quod mortalium animus, qui eſt in corpore humano, ſimillimus eſt immortalis animi: tanquam ſi vaſa ponerentur cauſa notandorum Deorum, & in Liberi æde Œno-

phorum fisteretur, quod significaret vinum, per id quod continet, id quod continetur; ita per simulacrum, quod formam haberet humanam, significari animam rationalem, eo quod velut vase natura ista soleat contineri: cujus naturæ Deum volunt esse, vel Deos. *lib. VII, cap. 5.*

Deum se arbitrari esse animam mundi, quem Græci vocant *κόσμον*, & hunc ipsum mundum esse Deum. Sed sicut hominem sapientem, cum sit ex corpore & animo, tamen ab animo dici sapientem: ita mundum Deum dici ab animo, cum sit ex animo & corpore. *lib. VII, cap. 6.*

Mundum dividi in duas partes, Cælum & Terram: & Cælum bifariam in æthera & aera; Terram vero in aquam & humum; e quibus summam esse æthera, secundam aera, tertiam aquam, infimam terram. Quas omnes quatuor partes animarum esse plenas: in æthere & aere immortalium; in aqua & terra mortalium. A summo autem circuitu cæli, usque ad circulum Lunæ, æthereas animas esse, astra ac stellas, eosque cælestes Deos non modo intelligi esse, sed etiam videri. Inter Lunæ vero gyrum & nimborum ac ventorum cacumina aereas esse animas, sed eas animo, non oculis videri, & vocari Heroas, & Lares, & Genios. *Ibidem.*

Cælo tribuit masculos Deos: feminas Terræ, inter quas posuit Minervam. *cap. 28.*

Deos selectos esse, Janum, Jovem, Saturnum, Genium, Mercurium, Apollinem, Martem, Vulcanum, Neptunum, Solem, Orcum, Liberum Patrem, Tellurem, Cererem, Junonem, Lunam, Dia-

nam, Minervam, Venerem, Vestam. *August. lib. VII, cap.* 2.

Janus mundus est. *cap.* 8.

Duas facies ante & retro habere dicitur Janus, quod hiatus noster, cum os aperimus, mundo similis videatur. Unde & palatum Græci οὐρανὸν appellant, & nonnulli poetæ Latini, cælum vocaverunt Palatum: a quo hiatu oris, & foris esse aditum ad dentes versus, & introrsus ad fauces. *August. lib. VII, cap.* 8.

Juppiter Deus est habens potestatem causarum, quibus aliquid fit in mundo. Ei præponitur Janus, quoniam penes Janum sunt prima, penes Jovem summa. Merito ergo Rex omnium Juppiter habetur. Prima enim vincuntur a summis, quia, licet prima præcedant tempore, summa superant dignitate. *cap.* 9.

Saturnus unus est de principibus Deus, penes quem sationum omnium dominatus est. *cap.* 13.

Saturnum dixerunt, quæ nata ex eo essent, solitum devorare, quod eo semina, unde nascerentur, redirent: & quod illi pro Jove gleba objecta est devoranda, significat manibus humanis obrui cœptas serendo fruges, antequam subtilitas arandi esset inventa. *August. de Civit. Dei lib. VII, cap.* 19.

Falcem habet propter agriculturam. *Ibidem.*

Ideo dicit a quibusdam pueros ei solitos immolari, sicut a Pœnis, & a quibusdam etiam majores, sicut Gallis; quia omnium seminum optimum est genus humanum. *Ibidem.*

Quod Cælum patrem Saturnus castrasse in sa-

bulis dicitur, hoc significat, penes Saturnum, non penes Cælum, semen esse divinum. hoc propterea, quantum intelligi datur, quia nihil in Cælo de seminibus nascitur. *Ibidem.*

Κρόνον appellatum dicit, quod Græco vocabulo significat temporis spatium, sine quo semen non potest esse fœcundum. *Ibidem.*

Ideo Saturnus pater a Jove filio est superatus, quod ante est causa, quæ pertinet ad Jovem, quam semen, quod pertinet ad Saturnum. *cap. 18.*

Genium esse uniuscujusque animum rationalem; & ideo esse singulos singulorum: talem autem mundi animam Deum esse. *cap. 13.*

Genius Deus est, qui præpositus est, ac vim habet omnium rerum gerendarum. *Ibidem.*

In Italiæ compitis quædam dicit sacra Liberi celebrata cum tanta licentia turpitudinis, ut in ejus honorem pudenda virilia colerentur: non saltem aliquantum verecundiore secreto, sed in propatulo exsultante nequitia. nam hoc turpe membrum, per Liberi dies festos, cum honore magno plostellis impositum, prius per rura in compitis, & usque in urbem postea vectabatur. In oppido autem Lavinio unus Libero totus mensis tribuebatur; cujus diebus verbis omnes flagitiosissimis utebantur, donec illud membrum per forum transvectum esset, atque in loco suo quiesceret: cui membro inhonesto matrem familias honestissimam palam coronam necesse erat imponere. *cap. 21.*

Quoniam in primo libro dixit de locis, duo

ſunt principia Deorum animadverſa de Cælo & Terra, a quo Dii partim dicuntur cæleſtes, partim terreſtres: ut in ſuperioribus initium fecimus a Cælo, cum diximus de Jano, quem alii Cælum; alii dixerunt eſſe Mundum: ſic de feminis initium ſcribendi fecimus a Tellure. *cap. 28.*

Una eadem Terra habet geminam vim, & maſculinam, quod ſemina producat, & femineam, quod recipiat atque nutriat. Inde a vi feminea dictam eſſe Tellurem, a vi maſculina Tellumonem. Cur ergo Pontifices, ut ipſe indicat, addidis quoque aliis duobus, quatuor Diis faciunt rem divinam, Telluri, Tellumoni, Altori, Ruſori? De Tellure & Tellumone jam dictum eſt. Altori quare? quod ex terra aluntur omnia, quæ nata ſunt. Ruſori quare? quod rurſus cuncta eodem revolvuntur. *cap. 23.*

Eandem dicunt matrem magnam. quod tympanum habeat, ſignificari eſſe Orbem Terræ: quod turres in capite, Oppida: quod ſedes fingantur circa eam, cum omnia moveantur, ipſam non moveri. Quod Gallos huic Deæ ut ſervirent fecerunt, ſignificare eos, qui ſemine indigeant, terram ſequi oportere. in ea quippe omnia reperiri. quod ſe apud eam jactant, præcipitur, qui terram colunt, ne ſedeant: ſemper enim eſſe quod agant. Cymbalorum ſonitus, ferramentorum jactandorum ac manuum, & ejus rei crepitus in colendo agro qui fit, ſignificat quod ferramenta illa ideo erant ex ære, quod antiqui illam colebant ære, antequam ferrum eſſet inventum. Leonem adjugunt ſolutum ac manſuetum, ut oſtendant, nullum genus terræ tam remo-

tum ac vehementer ferum, quod non ſubigi colique conveniat. *cap.* 24.

Tellurem putant eſſe Opem, quod opera fiat melior; Matrem, quod plurima pariat; Magnam, quod cibum pariat; Proſerpinam, quod ex ea proſerpant fruges; Veſtam, quod veſtiatur herbis. Sic alias Deas non abſurde ad hanc revocant, cum quibus opinio majorum de his Deabus, quod plures eas putarunt eſſe, non pugnat: ſed poteſt fieri, ut eadem res & una ſit, & in ea quædam res ſint plures. *Ibidem.*

Sed hæc omnia referuntur ad mundum. *cap.* 29.

Provincia fluorum menſtruorum, Junoni adſignatur. *Auguſt. de Civit. Dei lib. VII, cap.* 3.

Proſerpina ſignificat fœcunditatem ſeminum. quæ cum defuiſſet quodam tempore, eademque ſterilitate terra mœreret, exorta eſt opinio, quod filiam Cereris, id eſt, ipſam fœcunditatem, quæ a proſerpendo Proſerpina dicta eſſet, Orcus abſtuliſſet, & apud inferos detinuiſſet: quæ res cum fuiſſet luctu publico celebrata, quia rurſum eadem fœcunditas rediit, Proſerpina reddita, exorta eſt lætitia, & ex hoc ei ſolemnia ſunt. *Auguſt. de Civitate Dei lib. VII, cap.* 20.

Venilia, unda eſt, quæ ad litus venit; Salacia, quæ in ſalum redit. *cap.* 22.

INCERTI LIBRI.

*

Etenim ut Deos colere debet communitus ci-

vitas, ſic ſingulæ familiæ debemus. *Nonius, Communitus, pro communiter.*

Utile eſſe civitatibus, ut ſe viri fortes, etiamſi falſum ſit, ex Diis genitos eſſe credant: ut eo modo animus humanus, velut divinæ ſtirpis fiduciam gerens, res magnas aggrediendas præſumat audacius, agat vehementius, & ob hoc impleat ipſas ſecuritate felicius. *Auguſtinus de Civitate Dei lib. III, cap. 4.*

Dicit omnes ab his mortuos exiſtimari Manes Deos, & probat per ea ſacra, quæ omnibus fere exhibentur mortuis; ubi & ludos commemorat funebres, tanquam hoc ſit maximum divinitatis indicium, quod non ſoleant ludi, niſi numinibus celebrari. *Auguſt. de Civit. Dei lib. VIII, cap. 26.*

Quomodo nihil prodeſt homines alicujus medici nomen formamque noſſe, & quid ſit medicus ignorare: ita dicit, nihil prodeſſe ſcire Deum eſſe Æſculapium, ſi neſcias eum valetudini opitulari, atque ita ignores, cur debeas ei ſupplicare. *Auguſt. de Civit. Dei lib. IV, cap. 22.*

Non modo bene vivere, ſed vivere omnino neminem poſſe, ſi ignoret, quiſnam ſit faber, quis pictor, quis tector, a quo quid utenſile petere poſſit: quem adjutorem aſſumere, quem ducem, quem doctorem. eo modo nulli dubium eſſe, ita utilem eſſe cognitionem Deorum, ſi ſciatur, quam quiſque Deus vim & facultatem, aut poteſtatem cujuſque rei habeat. *Ibidem.*

Ex eo enim poterimus ſcire, quem cujuſque rei cauſa Deum advocare & invocare debeamus: ne fa-

ciamus, ut Mimi solent, & optemus a Libero aquam, a Lymphis vinum. *Ibidem.*

Non se illa judicio suo sequi, quæ civitatem Romanam instituisse commemorat; ut si eam civitatem novam constitueret, ex naturæ potius formula Deos, nominaque Deorum se fuisse dedicaturum, non dubitet confiteri. Sed jam quoniam in vetere populo esset accepta ab antiquis nominum & cognominum historiam tenere, ut tradita est, debere se dicit: & ad eum finem illa scribere ac perscrutari, ut potius eos magis colere, quam despicere vulgus velit. *August. de Civit. Dei lib. IV, cap. 31.*

Multa esse vera, quæ non modo vulgo scire non sit utile, sed etiam, tametsi falsa sint, aliter existimare populum expediat: & ideo Græcos Teletas sua mysteria taciturnitate parietibusque clausisse. *Idem, ibidem, ut & sequentia.*

Quod hi soli ei videantur animadvertisse, quid esset Deus, qui crediderunt eum esse animam, motu ac ratione mundum gubernantem.

Dicit etiam, antiquos Romanos, plus quam annos centum & septuaginta, Deos sine simulacro coluisse. Quod si adhuc (inquit) mansisset, castius Dii observarentur. Cujus sententiæ suæ testem adhibet, inter cetera etiam gentem Judæam: nec dubitat illum locum sic concludere, ut dicat, Qui primi simulacra Deorum populis posuerunt, eos civitatibus suis & metum demsisse, & errorem addidisse.

Juppiter etiam ab iis colitur, qui unum Deum solum sine simulacro colunt, sed alio nomine nuncupatur. *August. de Civit. Dei lib. IV, cap. 9.*

Dicit etiam de generationibus Deorum magis ad Poetas, quam ad Physicos fuisse populos inclinatos; & ideo & sexum & generationem Deorum majores suos, id est, veteres credidisse Romanos, & eorum instituisse conjugia. *August. lib. IV de Civit. Dei, cap. 32.*

Se timere, ne pereant Dii, non incursu hostili, sed civium negligentia: de qua illos velut ruina, liberari a se dicit, & in memoria bonorum per hujusmodi libros recondi atque servari; utiliore cura, quam Metellus de incendio sacra Vestalia, & Æneas de Trojano excidio Penates liberasse prædicetur. *August. de Civit. Dei lib. VI, cap. 2.*

Confitetur, a Bacchantibus talia fieri non potuisse, nisi mente commota. *August. de Civit. Dei lib. VI, cap. 9.*

Epulones parasitos Jovis ad ejus convivium adhibitos dixit. *Idem lib. VI, cap. 7.*

Apim regem Argivorum post mortem non Apim, sed Serapim, appellatum esse, quia arca, in quam mortuus ponitur, omnes jam Σαρκοφάγον vocant, Σορὸς dicitur Græce: & ubi eum venerari sepultum cœperunt, priusquam templum ejus esset exstructum, velut Sorasapis, vel Sorapis primo, deinde una litera, ut fieri adsolet, commutata, Serapis dictum. *August. lib. XVIII, cap. 5.*

Constitutum est etiam de illo, ut quisquis illum hominem dixisset fuisse, capitalem penderet pœnam. *Ibidem.*

Et quoniam vero in omnibus templis, ubi colebantur Isis & Serapis, erat etiam simulacrum,

quod digito labiis impresso admonere videretur, ut silentium fieret, hoc significare, ut homines illos fuisse taceretur. *Ibidem.*

Vestalem Virginem, cum periclitaretur falsa suspicione de stupro, cribrum implesse aqua de Tiberi, & ad suos judices, nulla ejus parte stillante, portasse. *August. de Civit. Dei lib. XXII, cap. 11.*

Cum & ipsi hostorici inter se, quasi data opera, & quasi ex industria, per multa dissentiant. *Forte ex lib. XVIII, cap. 40.*

Quendam tibicenem ita populum delectavisse, ut Rex fieret. *August. de quantitate animæ.*

Mulieri fœtæ post partum tres Deos custodes adhiberi, ne Silvanus Deus per noctem ingrediatur & vexet: eorumque custodum significandorum causa tres homines noctu circumire limina domus: & primo limen securi ferire, postea pilo, tertio deverrere scopis, ut his datis culturæ signis, Deus Silvanus prohibeatur intrare, quia neque arbores cæduntur ac putantur sine ferro, neque far conficitur sine pilo, neque fruges coacervantur sine scopis. Ab his autem tribus rebus tres nuncupari Deos, Intercidonam a securis intercisione, Pilumnum a pilo, Deverram a scopis: quibus Diis custodibus contra vim Dei Silvani fœta conservaretur. *August. de Civit. Dei lib. VI, cap. 9.*

Pater magnus, ut mater magna hic est cælus. *Nonius, Cælus mascul. genere.*

Sicut Ajus Deus appellatus, araque ei statuta est, quæ est in infima Nova via, quod in eo loco divinitus vox edita erat: ita Vaticanus Deus nomina-

tus, penes quem essent vocis humanæ initia, quoniam pueri, simulatque parti sunt, eam primam vocem edunt, quæ prima in Vaticano syllaba est. idcirco Vagire dicitur, exprimente verbo sonum vocis recentis. *A. Gell. lib. XVI, cap. 17.*

Aliam etiam ibi affert nominis etymologiam, videlicet a vaticiniis, quæ vi atque instinctu ejus Dei, in eo agro fieri solita essent.

Lactantem Deum esse, qui se infundit segetibus, ac facit eos lactescere. *Servius, in 1 Georgic.*

Varro Lares nunc esse Manes, & ideo Maniam matrem esse cognominatam Larum: nunc aerios rursus Deos & Heroas pronuntiat appellari; nunc antiquorum sententias sequens, Larvas esse dicit Lares, quasi quosdam genios defunctorum. *Arnob. lib. III contra gentes.*

Tutulos sacerdotes dici brevium Deorum. *Fulg. de Prisco sermone.*

Religiosum a superstitioso ita decernit, ut a superstitioso dicat timeri Deos, a religioso autem tantum vereri ut parentes, non ut hostes timeri: atque omnes ita bonos dicit, ut facilius sit eos nocentibus parcere, quam lædere quemquam innocentem. *De hoc argumento vide Lactantium lib. IV, cap. 28.*

Novensiles Deos novem esse, quod novenarius numerus in movendis rebus potissimus habeatur & maximus. *Arnob. contra gentes lib. 3.*

Penates, qui sunt intrinsecus, atque in intimis penetralibus, cæli Deos esse, nec eorum numerum, nec nomina sciri. *Ibidem.*

Luperca Dea appellata est, quod abjectis infantibus lupa pepercit. *Idem., lib. IV.*

Philesius Apollo dictus ab osculo Branchi pueri Apollinis dilecti, sive filii. *Lactant. in lib. VIII Thebaid.*

Enumerare Deos cœpit a conceptione hominis, quorum numerum exorsus est a Jano, eamque seriem perduxit usque ad decrepiti hominis mortem, & Deos ad ipsum hominem pertinentes clausit ad Næniam Deam, quæ in funeribus senum cantatur. *August. de Civit. Dei lib. VI, cap. 9.*

M. TERENTII VARRONIS DE CULTU DEORUM LIBER.

*

Quod ergo aquam egesserit, id est, exportaverit, Numa Pompilius, unde Hydromantiam faceret, ideo Nympham Egeriam conjugem dicitur habuisse. *August. de Civit. Dei lib. VII, cap. 35.*

Quod genus divinationis, a Persis dicit allatum. quo & ipsum Numam Pompilium, & postea Pythagoram philosophum usum fuisse commemorat, ubi adhibito sanguine etiam inferos perhibet sciscitari, & Νεκυομαντίαν Græce dicit vocari. *Ibid.*

Terentius quidam cum haberet ad Janiculum fundum, & bubuculus ejus juxta sepulcrum Numæ Pompilii trajiciens aratrum eruisset ex terra, libros ejus, ubi sacrorum institutorum scriptæ erant causæ, in urbem pertulit ad Prætorem. At ille cum inspexisset principia, rem tantam detulit ad Sena-

tum. ubi cum primores, quaſdam cauſas legiſſent, cur quidque in Sacris fuerit inſtitutum, Numæ mortuo Senatus aſſenſus eſt, eoſque libros tanquam religioſi Patres conſcripti, Prætor ut combureret, cenſuerunt. *Ibidem cap.* 34.

Valerii Sorani verſus hi ſunt:

Juppiter omnipotens regum rex ipſe Deuſque,
Progenitor genitrixque Deum, Deus unus & omnis.

Exponuntur autem in illo libro ita, ut eum marem exiſtimarent, qui ſemen emitteret, feminam, qui acciperet. Jovemque eſſe mundum, & eum omnia ſemina ex ſe emittere, & in ſe recipere: qua cauſa, (inquit) ſcripſit Soranus *Juppiter progenitor genitrixque:* nec minus cum cauſa *Unus & omnis.* Mundus enim unus, & in eo omnia ſunt. *Auguſt. de Civitate Dei lib. VII, cap.* 9 & 13.

Tres aræ ſunt in Circo medio ad columnas, in quibus ſtant ſigna. *Forte ex capite* 23.

M. TERENTII VARRONIS AUGURUM LIBRI.

*

Viros vocare Feriis non oportet. ſi vocavit, piaculum eſto. *Macrob. lib. I, cap.* 16.

M. TERENTII VARRONIS DE INITIIS URBIS ROMÆ LIBER.

Lupus femina. *Quinctil. lib. I, cap.* 6.

M. TERENTII VARRONIS DE GENTE POPULI ROMANI

LIB. I.

*

In terra continenti. *Sosip. lib. I.*

Fagos φήγους vocant. *Ibidem.*

A diluvio Deucalionis & Pyrrhæ, adusque Hirtii consulatum & Pansæ, annorum esse millia nondum duo. *Arnob. lib. V.*

LIB. II.

*

LIB. III.

*

A mare operta oppida. *Sosip. lib. I.*

Ludos Olympiæ fecerat. *Ibidem.*

Genethliaci quidam scripserunt esse in renascendis hominibus, quam appellant παλιγγενεσίαν Græci. Hanc scripserunt confici in annis numero quadringentis quadraginta, ut idem corpus & eadem anima, quæ fuerat conjuncta in homine, aliquando eandem redeant in conjunctionem. *August. de Civit. Dei lib. XXII, cap. 28.*

In cælo mirabile exstitit portentum: nam in stella Veneris nobilissima, quam Plautus Vesperuginem, Homerus Ἕσπερον appellat, pulcherrimam dicens, Castor scribit tantum portentum exstitisse, ut mutaret colorem, magnitudinem, figuram, cursum: quod factum ita neque antea, neque postea sit. Hoc factum Ogyge rege dicebant Adrastus Cyzicenus, & Dion Neapolites, Mathematici nobiles. *August. de Civit. Dei lib. XXI, cap. 8.*

Apud ſepulcrum ſeptimi ſui regis Thurimachi, ſacrificare Sicyonios ſolere. *Ibidem, lib. XVIII, cap. 3.*

Sabinos a Romulo ſuſceptos, hunc accepiſſe montem, quem ab Avente, fluvio provinciæ ſuæ, appellavere Aventinum. *Servius in 7 Æneidos.*

Majores noſtri ſedentes epulabantur, quem morem habuerunt a Laconibus & Cretenſibus. *Ibidem. Iſidorus lib. XX. ex libris de vita populi Romani hæc citat.*

Olim XXV miſſus exhibebantur: ſed viceſimus quintus dicebatur ærarius, eo quod de collatione populi exhibebatur: qui deſiit eſſe, poſtquam conferendæ pecuniæ eſt conſuetudo ſublata. unde hodieque permanſit, ut ultimus miſſus appellaretur ærarius. *Servius ad 3 Georgic.*

M. TERENTII VARRONIS
DE VITA POPULI ROMANI
AD T. POMPONIUM ATTICUM.

*

Neque ille Callicles quaternum digitum tabellis nobilis cum eſſet factus: tamen in pingendo adſcendere potuit ad Euphranoris altitudinem. *Soſip. lib. I.*

Neque enim obſonium in tota cœna exceptum ex variis rebus, conjectum in unam ſportam perſpicitur. *Nonius, Sportæ, aut a ſparto, quaſi ſparteæ, aut ab aſportando.*

Primum de re familiari ab patribus, ſecundo de victuis conſuetudine primigenia, tertio de diſci-

plinis priscis necessariis vitæ. *Nonius*, *Victuis*, *pro victus*.

Neque ut in singulis rebus diutius moremur, ut dixi, atque enodare subtilius velimus. *Nonius*, *Enodare*, *explanare*.

Pecunia quæ erat parva, ab ea paupertas dicta: cujus paupertatis magnum testimonium est. *Idem*, *Paupertas*.

Quibus erant asses, Assiduos; contrarios, Proletarios. *Nonius*, *in Proletarii*.

Aut bovem, aut ovem, aut vervecem habet signum. *Idem*, *Vervex*.

Qui primus uxorem ducebat, duabus culcitis, ac duabus toros plagulis cum strasset. *Idem*, *Culcita*.

Nubentes veteri lege Romana asses tres ad maritum venientes solebant ferre, atque unum, quem in manu tenerent, tanquam emendi causa marito dare: alium, quem in pede haberent, in foco Larium familiarium ponere: tertium in sacciperione cum condidissent compito vicinali solere resonare. *Idem*, *de doctorum indagine*.

Præter ea quoque in lecto togas ante habebant: ea enim olim fuit commune vestimentum, & diurnum & nocturnum, & muliebre & virile. *Idem*, *Toga*.

Quod fronde lecticas struebant, ex ea herba torta, Torus appellatus, hoc, quod injicitur, etiamnum Toral dicitur: lecticam quis involvebant, Segestria appellabant. *Nonius*, *Toral stragulum*.

Posteaquam binas tunicas habere cœperunt, in-

ſtituerunt vocare Subuculam, & induſium. *Idem, Subucula.*

Ex quo mulieres in adverſis rebus ac luctibus, cum omnem veſtitum delicatiorem ac luxurioſum poſtea inſtitutum ponunt, ricinia ſumunt. *Idem, Ricinium.*

Caltola palliolum breve. *Nonius, Caltula.*

Qua finis ſit, Antica & Poſtica: in poſtica parte erat culina, dicta ab eo, quod ibi colebant ignem. Locupletiorum domus quam fuerint anguſtiis paupertinis coactæ, ipſa nomina declarant. *Idem, Culina.*

Ad focum hieme ac frigoribus cœnitabant, æſtivo tempore in propatulo, rure in corte, in urbe in tabulino, quod Mænianum poſſumus intelligere, tabulis fabricatum. *Nonius in Cohortes.*

Itaque ea ſibi modo ponere ac ſuſpendere, quæ utilitas poſtularet, trulleum, matellionem, pelvim, naſiternam, non quæ luxuriæ cauſa eſſent parata. Ejus urceolum aquæ manalem vocamus, quod eo aqua in trulleum effundatur. unde Manalis lapis appellatur in pontificalibus ſacris, qui tunc movetur, cum pluviæ exoptantur; ita apud antiquiſſimos manalem ſacrum vocari quis non noverit? unde nomen illius. *Nonius, Trulleum.*

Item erant vaſa vinaria Sini, Cymbia, culignæ, pateræ, gutti, ſextarii, ſimpuvium. *Idem, Cymbia.*

Etiam nunc pocula, quæ vocant Capulas ac capides. item armillum, quod eſt urceoli genus vinarii. *Idem, Armillum.*

Item ex ære, ut urnulæ aquales, matulæ, sic ceteræ. *Idem*, *Urnula.*

Id fere habent æneum alii, qui venditant oleum. Lepistæ etiam nunc Sabinorum fanis pauperioribus plerisque aut fictiles sunt aut ænea. *Idem*, *Lepistæ.*

Antiquissimi in conviviis utres vini primo, postea tinas ponebant. *Idem in Cupæ*, *& Tinæ.*

Ubi erat vinum in mensa positum, aut Lepestam, aut Galeolam, aut Sinum: tria enim, pro quibus nunc Acrotophoron. *Sinum Græci* δῖνον *vocant. Priscianus lib. VI*, *& Nonius Sinum*, *& Servius Ecloga 7.*

Dicuntur etiam patellæ, salini, acetabula, catini, pateræ. *Nonius*, *Catinus.*

Mori longi, cum operculo ad cupas, tertio amphoras. *Idem in Cupæ & Tinæ.*

Nec pistoris nomen erat, nisi ejus, qui ruri far pinsebat, nominati ab eo, quod pinseret. *Nonius*, *Pinsere.*

Proinde & elixum panem ex farre & aqua frigida fingebant. *Idem*, *Elixum.*

Pastillos & panes. hæc vocabula pastus, quod esse, pascere dicebant. *Idem*, *Panes.*

Cocula, quæ coquebat panem, primum sub cinere, postea in forno, cujus utique vocabulum a formo dictum, id est, a caldore. *Idem*, *Fornum.*

Nefarii a farre, quod adoreum est, quo scelerati uti non debeant, non triticum, sed far. *Idem*, *Nefariam.*

Antiquæ mulieres majores natu bibebant loram aut sapam, aut defrutum aut passum, quam mur-

rhinam quidam Plautum appellare putant. Sapam appellabant, quod de musto ad mediam partem decoxerant. Defrutum, si ex duabus partibus ad tertiam redegerant defervefaciendo. Passum nominabant, si in vindemia uvam diutius coctam legerent, eamque passi essent a sole aduri. *Idem, Lora, Sapa, Passum.*

Tum autem murrhinam, vino addito, loram, passum, potare cœperunt. Loriolam nominabant, cum ex uvis expressum erat, & ad folliculos reliquos & vinacea adjiciebant aquam. *Idem, Loriola.*

Quantopere abstemias mulieres voluerint esse, vel ex uno exemplo potest videri. *Idem, Abstemius.*

Quod antequam nomen dolii prolatum esset, cum id genus vasis Calpar diceretur, id vinum Calpar appellatum. *Nonius, Calpar.*

Extra urbem in regiones XXVI agros viritim liberis attribuit. *Nonius, Viritim.*

Metium Suffetium propter perfidiam interemit pæne imperiosius, quam humanius: nam equis ad curriculum ex utraque parte deligatum distraxit. *Idem, Distrahere, dividere.*

Sed quod ea & propter talem misturam immoderatam ex æquis cunctis, quod temperatura moderatur in Romuli vita triplices civitates. *Varro, Mistura pro moderatura aquis crescunt, itaque quot t. m. i. R. v. triplices civ.*

Distractione civium elanguescit bonum proprium civitatis, atque ægrotare incipit, & consenescere. *Nonius, Distrahere, vendere, sed ex libro II.*

Poſteaque Quinto Fabio Maximo Dictatore. *Nonius, Senati, vel Senatuis, pro Senatus.*

Tullum Hoſtilium in Veliis, ubi nunc eſt ædis Deûm Penatium; Ancum in Palatio ad portam Mugionis, ſecundum viam ſub ſiniſtra. *Nonius in Secundum.*

Hanc Deam Ælius putat eſſe Cererem: ſed quod in aſylum qui confugiſſent, panis daretur, eſſe nomen factum a pane dando. *Nonius in Pandere.*

Hæc ædis, quæ nunc eſt, multis annis poſt facta ſit: in qua omnia regiis temporibus delubra parva facta. *Nonius, Ædis nominativo ſingulari.*

Quid inter hos Joves interſit, & eos, qui ex marmore, ebore, auro nunc fiunt, potes animo advertere, & horum temporum divitias, & illorum paupertates. *Nonius, Paupertates numero plurali.*

Ut in cetero cultu, quæ ſunt conſentanea, quod ſunt paupertina, ſine elegantia & cum caſtimonia. *Nonius, Paupertinum.*

Et a quibuſdam eſſe dicitur Virginis Fortunæ ſimulacrum, ab eo, quod duabus undulatis togis eſt opertum, proinde ut olim reges noſtri undulatas & prætextas togas ſoliti ſunt habere. *Nonius, Undulatum.*

Quod kalendis Juniis & publice & privatim fabatam pultem Diis mactant. *Non. Mactare, immolare.*

Quibus temporibus in ſacris fabam jactant noctu, & dicunt ſe Lemures domo extra januam ejicere. *Nonius, Lemures.*

In eorum enim ſacris liba cum ſunt facta, in-

cerni ſolent farris ſemine, ac dicere, ſe ea Februare, id eſt, pura facere. *Nonius, Februare pro purgare.*

Etiam pelles bubulas, oleo perfuſas percurrebant, ibique cernuabant. a quo ille verſus vetus eſt in carminibus: *Sibi paſtores ludos faciunt cernui. Conſualia. Nonius, Cernuus, inclinatus.*

Ludius, quod ludis pueri præſultores eſſent glabri ac depiles propter ætatem, quos antiqui Romani Lydios appellabant. *Nonius, Ludius.*

Minores natu capite aperto erant, capillo pexo, vittiſque innexis criminibus. *Non. in Apertum.*

Cum interea lucubrando faceret juxta ancillas lanam. *Nonius, Juxta, conjunctim.*

L I B. I I.

*

Itaque propter curam locus quoque, quo ſuam quiſque Senator confert, curia appellatur. *Nonius in Curia.*

Quod iidem dicebantur Conſules & Prætores: quod præirent populo, Prætores: quod conſulerent Senatum, Conſules. *Nonius, Conſules.*

Itaque quod hos arbitros inſtituerunt populi, Cenſores appellarunt: idem enim valet Cenſere & arbitrari. *Nonius, Cenſere.*

Itaque Kalendis calabantur, id eſt vocabantur, & ab eo Kalendæ. *Nonius, Kalendæ. ſed refert ad librum præcedentem.*

Cum in quintum gradum pervenerant, atque habebant ſexaginta annos, tum denique erant a publicis negotiis liberi atque otioſi. Ideo in proverbium quidam putant veniſſe, ut diceretur, Sex-

agenarios de ponte dejici oportere, id est, quod suffragium non ferant, quod per pontem ferebatur. *Idem, Sexagenarios de ponte.*

Propter res secundas sublato metu non in commune spectant, sed suum quisque diversi commodum focillantur. *Idem, Focillatur pro fovet.*

Multo præditi pudore & pudicitia adolescentes duxerunt, cum majore parte ejus graduis & ætatis stipendia facerent. *Idem, Graduis, pro gradus.*

Ut noster exercitus ita sit fugatus, ut Galli Romæ, nisi Capitolii sint potiti, neque inde ante sex menses cesserint. *Idem, Genitivus pro ablativo.*

Aut aliqua ex argentaria trutina, aut lingua pensum præ se omnes ferrent. *Idem, Trutina.*

Auri pondo duo millia acceperant ex ædibus sacris & matronarum ornamentis, a quibus postea id aurum, & torques aureæ multæ velatæ Romam atque consecratæ. *Idem, Torques.*

Delphos Apollini munera missa, corona aurea pondo decentûm. *Nonius, Pondo. sed ex libro tertio.*

Nihilo magis propter argenti facti multitudinem, miserat furandum: quod propter Censoriam severitatem nihil luxuriosum habere licebat. *Id. Multitudo.*

Qua abstinentia viri mulieresque Romanæ fuerint, quod a rege munera eorum noluerit nemo accipere. *Idem, Negativa duæ pro una.*

Quibus cum turpe fecerant fœdus sine publico consilio, dederunt hosti, quotquot * Decius Imperator pro exerciti salute se Dis manibus devovit. *Idem, Exerciti pro exercitus.*

Hoc intervallo primum forensis dignitas crevit,

& ex tabernis ligneis, argentariæ factæ. *Idem*, *Tabernæ.*

Nam lateres argentei atque aurei primum conflati, atque in ærarium conditi. *Idem*, *Lateres.*

In conviviis pueri modesti ut cantarent carmina antiqua, in quibus laudes erant majorum, & assa voce, & cum tibicine. *Idem*, *Assa voce pro sola.*

Sic in privatis domibus, pueri liberi & pueræ ministrabant. *Nonius*, *Pueræ pro puellæ.*

Cum a nova nupta ignis in face afferretur, foco ejus sumtus: fax ex pinu alba esset, ut eam puer ingenuus ferret. Contra a novo marito cum item e foco in titione ex felici arbore, & in aquali aqua allata esset. *Idem*, *Fax pro face. Idem*, *Titio & Fœlix.*

Natus si erat vitalis, ac sublatus ab obstetrice statuebatur in terra, ut auspicaretur rectus esse: Diis conjugalibus Pilumno & Picumno in ædibus lectus sternebatur. *Idem*, *Pilumnus*, *Picumnus.*

Mensæ ante ponebantur cum culina ac vino: in quis quæ veniebant ad fœtam amicæ gratulatum, Diis mactabant. *Idem*, *Fœtum.*

L. Lucullus puer apud patrem nunquam lautum convivium vidit, in quo plus semel Græcum vinum daretur. Ipse cum rediit ex Asia, millia cadorum congiariorum divisit amplius centum. C. Censius, quem Prætorem vidimus, Chium vinum in domum suam illatum dicebat tum primum, cum sibi cardiaco medicus dedisset, Hortensius supra decem millia cadûm heredi reliquit, medimnum vi-

ni mille cadûm. *Plinius lib. XIV, cap. 14. Nonius, Cadi. sed ex libro III.*

Quod ex hereditate Attalica aulæa, chlamydes, plagæ aureæ. *Nonius, Aulaa. sed ex lib. II.*

Ad Sybaritanam prædam, in qua sunt tripodes, crateræ, anancea pocula nobilium Tarentinarum. *Non. Craterræ. sed ex lib. III.*

Eadem postea carbasinea, ut pellibus tegerentur togæ. *Non. Carbasus.*

Nec minus alio in genere sunt ludi, velitis Galli Germani Petauristæ. *Non. Petauristæ.*

Mactare verbum est sacrorum, κατ' εὐφημισμὸν dictum, quasi magis augere, ut adolere. Unde & magmentum, quasi majus augmentum: nam hostiæ tanguntur mola salsa; & tum immolatæ dicuntur. cum vero ictæ sunt, & aliquid ex illis in aram datum est; mactatæ dicuntur, per laudationem, itemque boni ominis significationem. & cum illis mola salsa imponitur, dicitur: *Macte esto. Porphyr. m. 5. Carr. ad Sat. 2 lib. I Horat.*

LIB. III.

*

Tum appellatus est delectus, & ab electione Legio. ab hoc supervacaneorum consuetudine adscribuntur, qui adscriptivi sunt. qui cum erant attributi decurionibus & centurionibus, qui eorum haberent numerum, Accensi vocabantur. Eosdem etiam quidam vocabant Ferentarios, qui depugnabant fundis & lapidibus, his armis, quæ ferrentur, non quæ tenerentur. *Nonius, Legio. Item Decuriones.*

Rorarii sunt appellati, quod imbribus fere primum rorare incipiat. *Non. Rorarii.*

Qui gladiis cincti sine scuto, cum binis gesis essent. *Non. Gesa.*

Referentibus centurionibus adoptati in cohortes subibant, ut semper plenæ essent legiones. a quo Optiones in turmis decurionum, & in cohortibus centurionum appellatæ. *Non. Optiones.*

Qui in exercitu donati essent, ut equo publico mererent. *Non. Meret.*

Stipendium appellabatur quod æs militi semestre aut annuum dabatur: cui datum non sit propter ignominiam, ære dirutus esset. *Non. Ære dirutus.*

Nam postea C. Luctatio Consuli ad Ægates insulas, cum ipse catapulta ictus esset. *Non. Catapulta.*

Quod antiqui plures tabulas conjunctas codices dicebant: a quo in Tiberi naves Codicarias appellamus. *Non. Codicariæ naves.*

Animadvertendum primum, quibus de causis & quemadmodum constituerint paces: secundum qua fide & justitia eas coluerint. *Nonius, Paces plurali numero.*

Itaque bella & tarde & nulla licentia suscipiebant: quod bellum nullum, nisi pium, putabant geri oportere, & priusquam indicerent bellum, his, a quibus injurias factas sciebant, feciales legatos repetitum mittebant quatuor, quos oratores vocabant. *Non. Feciales.*

Si cujus Legati violati essent, qui id fecissent, quamvis nobiles essent, ut dederentur statuerunt,

fecialesque viginti, qui de his rebus cognoscerent, judicarent & constituerent. *Non. Feciales.*

Verbenarius ferebat verbenam. id erat caduceus, pacis signum: nam Mercurii virgam possumus existimare. *Non. Caduceus. sed ex libro secundo.*

Mutini quod in Sicilia cum equitatu suo transierant ad nos, civitatem Romæ datam, ædesque & pecuniam ex ærario. *Ascon. in Orat. Cic. in Pisonem.*

Ut ejus convivium, qui triumpharet in Capitolio, videtur esse proprium, ut ipse potius domum cœnatus reduceretur a convivio. *Non. Cœnatus.*

Pædius Pætus cum esset Prætor urbanus, & sedens in sella curuli jus diceret populo, picus martius advolavit, atque in capite ejus assedit. *Non. Picumnus.*

Quod humatus non sit, heredi porca præcidanea suscipienda Telluri, & Cereri, aliter familia pura non est. *Non. Præcidanea.*

Ibi a muliere, quæ optima voce esset, perquam laudari: deinde Næniam cantari solitam ad tibias & fides, eorum qui ludis Troicis cursitassent. Hæc mulier vocitata olim Præfica, usque ad Punicum bellum. *Idem, Nænia.*

Ut dum supra terram esset, ricinis lugerent, funere ipso pullis pallis amictæ. *Non. Pullus.*

Propinquæ adolescentulæ etiam anthracinis, proximæ amiculo nigello, demisso sequerentur. *Non. Antracinus.*

Supervacuum. *Non. Supervacuum pro supevacaneo.*

Plebisque scito cautum, ne qui legaret causave

mortis donaret supra asses mille. *L. Calpurn. Piso. lib. II De continentia Veterum Poetarum.*

Quo facilius animadvertatur, per omnes articulos populi, hanc mali gangrænam sanguinolentam permeasse. *Non. Gangræna.*

LIB. IV.

*

Cum Pœnus in fretum obviam venisset nostris, & quosdam cœpisset, crudelissime pro palangis carinis subjecerat, quo metu debilitaret nostros. *Non. Palangæ, fustes.*

In spem adducebat, non plus soluturos, quam vellent: iniquius equestri ordini judicia tradidit, ac bicipitem civitatem fecit, discordiarum civilium fontem. *Non. Biceps.*

Itaque multis civibus ex utraque parte sauciis, multis occisis fugatur. *Non. Saucii.*

Ita hujus belli horribilis finis facta. *Non. Finis feminino genere.*

E Græcia, Asia, Italicas in villas comportasse magnum pondus omnium artificum. *Idem, Pondus pro numero.*

Tanta porro invasit cupiditas honorum plerisque, ut vel cælum ruere, dummodo Magistratus adipiscantur, exoptent. *Idem, Casus pro casu.*

Itaque propter amorem imperii, magistratus gravatim seditionibus sanguinolentis aut dominatus quo appellarunt. *Non. Sanguinolentum.*

Si modo civili concordia exsequi rationem parent: rumores, famam differant licebit; nos quoque carpant. *Non. Differre, diffamare. Divulgare.*

Quod Curio, cum id fecisset, dicebat amicis, ut illis renuntiaretur, se obstringillaturum ne triumphus decerneretur, aut ne iterum fieret Consul. *Idem, Obstrigillare, obstare. Loquitur autem Varro de Cæsare.*

Neque id cæci Consules fecissent, quæ mandata arcana T. Ampio dedissent, aut dividi Centum Cn. Magnum. *Idem, Cæcus pro improvido.*

Itaque rettulit auri pondo mille octingentûm septuaginta quinque. *Idem, Pondo mille octingentûm.*

Cæsar reversionem fecit, ne post occipitium in Hispania exercitus qui erant, relinqueret: quo se conjiceret Pompejus, ut ancipiti urgeretur bello. *Idem, Anceps.*

Ipsa Italiæ oppida sunt vastata, quæ prius erant hominum referta. *Idem, Casus pro casu.*

Eoque pecuniam magnam consumsisset, quod arci, quos summo opere fecerat, fessi pondere, diu facti, celeriter corruissent. *Non. Arci.*

Tunicas neque capitia, neque strophia, neque zonas. *Idem, Capitia, capitum tegmina.*

Neque id ab orbita matrum familias instituti, quod eæ pectore & lacertis erant apertis, nec capitia haberent. *Non. ibidem. sed ex libro secundo.*

INCERTI LIBRI.

Itaque hoc ab ore dicitur osculum: tum a suavitate suavium, quod simile sit suavitati. *Nonius, Osculum & suavium.*

Sedes dictæ, quod apud veteres Romanos non erat usus accumbendi: unde & Consederé diceban-

tur. postea viri discumbere cœperunt, mulieres sedere; quia turpis visus est in muliere accubitus. *Servius in Virgilium.*

M. TERENTII VARRONIS
DE REBUS URBANIS
L I B. I.
*
L I B. I I.
*
L I B. I I I.
*

Spartaco innocente conjecto. *Sosip. lib. I.*

M. TERENTII VARRONIS
DE SCÆNICIS ORIGINIBUS
L I B. I.

Cum multa portenta fierent, & murus ac turris, quæ sunt intra portam Collinam & Esquilinam, de cælo essent tacta, & ideo libros Sibyllinos XV viri adissent: renuntiarunt, uti Diti Patri & Proserpinæ ludi Terentini in campo Martio fierent, & hostiæ furvæ immolarentur, utique ludi centesimo quoque anno fierent. *Censorinus de die Natali.*

Sub Ruminali ficu. *Sosip. lib. I.*

Matres familiæ. *Sosip. ibidem.*

L I B. I I.
*

Appio Claudio Pulchro Ædile. *Sosip.*

L I B. I I I.

Ubi compitus erat aliquis. *Non. Compitus.*

Vetere vino. *Sosip. lib. I.*
Hunc calamistrum. *Idem.*

INCERTI LIBRI.

*

Scæna, quæ fiebat, aut versilis erat aut ductilis. Versilis tunc erat, cum subito tota machinis quibusdam vertebatur, & aliam picturæ faciem ostendebat; Ductilis tunc, cum tractis tabulatis hac atque illac species picturæ videbatur interior. *Servius in lib. III Georgic. ut scenà inversis discedat frontibus, utque purpurea intexti tollant aulæa Britanni.*

M. TERENTII VARRONIS DE ACTIONIBUS SCÆNICIS

LIB. I.

*

LIB. II.

*

Galearia. *Sosip. lib. I. Galearia, unde & Galericula dicuntur.*

LIB. III.

*

Multifarium in patellis coquere cæpe. *Ibidem. Priscianus lib. VII.*
Vetere vino. *Ibidem.*

LIB. IV.

*

LIB. V.

*

Imberbi juvenes. *Sosip. lib. I.*

M. TERENTII VARRONIS
THEATRALES LIBRI.

*

Cernuus equus dicitur, qui cadit in faciem, quasi in eam partem, qua cernimus. unde & pueri, quos in ludis videmus, ea parte, qua cernunt ſtantes, cernui vocantur. *Serv. in X Æneid.*

M. TERENTII VARRONIS
DE FAMILIIS TROJANIS
LIBRI.

*

Nautes Romam Palladium detulit. unde Nautiorum familia Minervæ ſacra retinebat. *Servius in V Æneid.*

M. TERENTII VARRONIS
TRICIPITINA.

*

M. TERENTII VARRONIS
ANNALES.

*

Nummum argenteum conflatum primum a Servio Tullio dicunt. is quatuor ſcripulis major fuit, quam nunc is eſt. *Soſip. lib. I.*

M. TERENTII VARRONIS
EPHEMERIS.

*

Poſtea honoris virtutum cauſa Julii Cæſaris, qui faſtus correxit, menſis Julius appellatus eſt. *Priſc. lib. VI, Faſtus.*

Navali Etesiæ diutius & uberius flaverant, & auctumnum ventosum fuerat. *Non. Auctumnus neutro genere.*

M. TERENTII VARRONIS
AD LIBONEM
LIB. I.

*

Terentinæ nuces a Terento, quod est Sabinorum lingua molle, unde Terentios quoque dictos putat. *Macrob. lib. III.*

M. TERENTII VARRONIS
MENSURALIA.

*

Insio. *Prisc. lib. X.*

M. TERENTII VARRONIS
GALLUS FUNDANIUS
DE MIRIS SEU DE ADMIRANDIS.

*

Perdicas Bœotios. *Non. Perdix, masc. genere.*

Insria Seni papaverem. *Idem, Papaver masculino genere.*

Magnum mendum. *Sosip. lib. I.*

In silva mea est glis nullus. *Ibidem.*

Erichtonium primum quatuor junxisse equos, ludis, qui Panathenæa appellantur. *Serv. & Philarg. in III Georgicorum.*

Templorum fabricator Æacus. *Arnobius lib. VI. Quorum (templorum,) si quæris audire, quis prior fuerit fabricator, aut Phoroneus Ægyptius, aut Merops tibi fuisse monstrabitur, aut ut tradit in admirandis Varro, Jovis progenies Æacus.*

Secundo de ſtativis aquis, ut ſunt lacus, & ſtagna, & putea, & maria. *Non. Puteus maſc. & neut. gen.*

In mare aquam oriri. *Soſip. lib. I.*

Inter Italiam & Siciliam, qui eſt fretus inter Rhegium & Meſſanam. *Non. Fretum & Fretus.*

Vinum, quod ibi natum ſit in quodam loco, ſi prægnans biberit, fieri ut aboriatur. *Idem, Aboriatur, pro abortiat.*

In Sicilia quoque manu capi murænas flutas, quod hæ in ſumma aqua præ pinguedine fluitent. *Macrob. lib. III Saturn.*

M. TERENTII VARRONIS
ÆTIA.

Fax ex ſpina alba præfertur, quod purgationis cauſa adhibetur. *Soſip. lib. I. Spinus, ab hac ſpinu.*

Ideo faces præire, quod antea non niſi per noctem nubentes ducebantur a ſponſis, quas etiam ideo limen non tangere, ne a ſacrilegio inchoarent, ſi depoſituræ virginitatem, calcent rem Veſtæ, id eſt, nomini caſtiſſimo conſecratam. *Serv. in VIII Eclogam.*

Spargendarum nucum hanc eſſe rationem, ut Jovis omine matrimonium celebretur, ut nupta matrona ſit ſicut Juno: nam nuces in tutela ſunt Jovis, unde juglandes vocantur, quaſi Jovis glandes. *Idem.*

Omnem majorum honorem dexterarum conſtetiſſe virtute. Ob quam rem ſe in ſalutationibus hac venerabantur corporis parte. *Idem lib. I Æneid.*

Herbam do, id eſt, cedo victoriam, proverbium

inde natum, quod tum in agonibus herbam in modum palmæ dat aliquis ei, cum quo contendere non conatur, & fatetur esse meliorem. *Serv. VIII Æneid.*

M. TERENTII VARRONIS POLYANDRIA.

*

M. TERENTII VARRONIS DE LITORALIBUS LIBER.

*

Etiam suis temporibus sepulcrum Jovis in Ida monte visitatum. *Solin. in Polyhist.*

M. TERENTII VARRONIS DE ÆSTUARIIS LIBER.

*

M. TERENTII VARRONIS TRIBUUM LIBRI.

*

M. TERENTII VARRONIS HEBDOMADUM VEL DE IMAGINIBUS LIB. I.

Septenarii numeri, quem Græci ἑβδομάδα appellant, virtutes potestatesque multas variasque dicit. Is namque numerus (inquit) Septemtriones

majores minoresque facit in cælo, item Vergilias; quas πλειάδας vocant. Facit etiam stellas, quas alii erraticas, P. Nigidius errones appellat. Circulos quoque ait in cælo circum longitudinem axis septem esse; e quîs duos minimos, qui axem extimum tangunt, πόλους appellari dicit: sed eos in sphæra, quæ κρικώτη vocatur, propter brevitatem non inesse. Atque neque Zodiacus septenario numero caret: nam in septimo signo fit solstitium a bruma, in septimo bruma a solstitio, in septimo æquinoctium ab æquinoctio. Dies deinde illos, quibus halcyones hieme anni in aqua nidulantur, eos quoque septem esse dicit. Præterea scribit, lunæ curriculum confici integrum quater septenis diebus: nam duodetricesimo die luna ex quo vestigio profecta est, eodem redit, auctoremque opinionis hujus Aristidem esse Samium. In qua re non id solum animadverti debere dicit, quod quater septenis, id est, octo & viginti diebus conficeret iter luna suum, sed quod is numerus septenarius, si ab uno profectus, dum ad semet ipsum progreditur, omnes, per quos progressus est, numeros comprehendat, ipsumque se addat, facit numerum octo & viginti: quot dies sunt curriculi lunaris.

Ad homines quoque nascendos vim numeri istius porrigi pertinereque ait: nam cum in uterum mulieris genitale (inquit) semen datum est, primis septem diebus conglobatur coagulaturque, fitque ad capiendam figuram idoneum: post deinde quarta hebdomada, quod ejus virile fœtus futurum est, caput & spina, quæ est in dorso, informatur: septi-

ma autem fere hebdomade, id eſt, nono & quadrageſimo die, totus, inquit, homo in utero abſolvitur.

Illam quoque vim numeri hujus obſervatam refert, quod ante menſem ſeptimum, neque maſculus neque femina ſalubriter ac ſecundum naturam naſci poteſt: quod hi, qui juſtiſſime in utero ſunt, poſt ducentos ſeptuaginta tres dies poſtquam ſunt concepti, quadrageſima demum hebdomade ita naſcuntur.

Pericula quoque vitæ fortunarumque hominum, quæ climacteras Chaldæi appellant, graviſſima quæque fieri affirmat ſeptenariis. Præter hæc, modum eſſe dicit ſummum adoleſcendi humani corporis, ſeptem pedes. Dentes quoque & in ſeptem primis menſibus, & ſeptenos ex utraque parte gigni ait, & cadere annis ſeptenis, & genuinos naſci annis fere bis ſeptenis.

Venas etiam in hominibus, vel potius arterias, Medicos muſicos dicere ait numero moveri ſeptenario, quod ipſi appellant *τὴν διὰ τεσσάρων συμφωνίαν*, quæ fit in collatione quaternarii numeri.

Diſcrimina etiam periculorum in morbis, majore vi fieri putant in diebus, qui conficiuntur ex numero ſeptenarii: eoſque dies omnium maxime, ita ut medici appellant, *κριτικοὺς ἢ κρισιμοὺς* cuique videri, primam hebdomadam, & ſecundam, & tertiam. nec non id etiam eſſe ad vim facultateſque ejus numeri augendi, quod, quibus inedia mori conſilium eſt, ſeptimo demum die mortem oppetunt.

Septem opera esse in orbe terrarum miranda, & Sapientes item veteres septem fuisse, & curricula ludorum Circensium solemnia septem esse: ad oppugnandas Thebas duces septem electos. tum ibi addit, se quoque jam duodecimam annorum hebdomadam ingressum esse, & ad eum diem septuaginta hebdomadas librorum conscripsisse: ex quibus aliquos jam diu, cum proscriptus esset, direptis bibliothecis suis non comparuisse. *Gell. lib. III, cap. 10.*

Homerus an Hesiodus natus prior sit parum constare dicit, sed non esse dubium, quin aliquo tempore eodem vixerint: idque ex Epigrammate ostendit, quod in tripode scriptum est, qui in monte Helicone ab Hesiodo positus traditur:

Ἡσίοδος μούσαις ἑλικωνίσι τὸν δ' ἀνέθηκεν
Ὕμνῳ νικήσας ἐν χαλκίδι θεῖον Ὅμηρον.

Capella Homeri candida hæc tumulum indicat, Quod illi letæ mortuo faciunt sacra. *Ibid. lib. III, c. 11.*

LIB. II.

*

LIB. III.

*

LIB. IV.

*

LIB. V.

*

LIB. VI.

*

LIB. VII.

*

LIB. VIII.

*

LIB. IX.

*

A vulgu condemnaretur. *Sosip. lib. I.*

INCERTI LIBRI.

*

Hic Demetrius est natus. Quot luces habet annus absolutus. *Non. Luces numero plurali.*

M. TERENTII VARRONIS DE POETIS

LIB. I.

Nævium stipendia fecisse bello Punico primo, idque ipsum Nævium dicere in eo carmine, quod de eodem bello scripsit. *A. Gell. lib. XVII, c. 21.*

M. Cethego & P. Tuditano Coss. ut in veteribus commentariis scriptum est, Nævius est mortuus: quamquam Varro putat in hoc errátum, vitamque Nævii producit longius. *Cicero in Bruto.*

Claudium & Tuditanum Coss. sequuntur Q. Valerius & C. Mamilius, quibus natum esse Q. Ennium poetam, eumque, cum septimum & sexagesimum annum ageret, duodecimum Annalem scripsisse; idque ipsum Ennium in eodem libro dicere. *Gell. lib. XVII, cap. 21.*

Postquam est morte datus Plautus, Comœdia luget,
Scena est deserta, hinc ludus, risusque, jocusque,
Et numeri innumeri simul omnes collacrimarunt.
Idem lib. I, cap. 24.

Deinde ad Siculos se applicavit. *Prisc. lib. IX. Applico, applicavi.*

LIB. II.

*

INCERTI LIBRI.

*

Et tamen non demolio astra. *Diomed. lib. I. Demolio.*

M. TERENTII VARRONIS

DE BIBLIOTHECIS

LIB. I.

*

Glutine & cinere refecit. *Sosip. lib. I.*

LIB. II.

*

Vectigaliorum. *Sosip. lib. I.*

M. TERENTII VARRONIS

DE VITA SUA

LIBER.

*

Hujus Serapis. Hujus Isis. *Ibidem.*

M. TERENTII VARRONIS

SATYRÆ MENIPPEÆ.

ABORIGINES

Περὶ ἀνθρώπων φύσεως.

*

Mugit bos, ovis balat, equi hinniunt, gallina pipat. *Non. Pipare.*

Grunnit tepido lacte satur,
Mola mactatus porcus. *Non. Grunnire.*

Sed neque vetulus Cantherius, quam novellus melior, nec canitudini comes virtus. *Non. Canitudo.*

Itaque brevi tempore magna pars in desiderium puparum & sigillorum veniebat. *Non. Pupæ.*

Sublimes speribus natato maria,
Volitantes altos montes trudito. *Non. Speribus pro spebus, sperem pro spem.* Alii: *Ita sublim. sp. jactato Nominativo volitantis altos nitens trudito.*

AGATHO.

*

Quid tristiorem video te esse? num angit hæc,
Lampadion? ecquid familiaris filius
Amat? nec spes est auxilii argentarii,
Ideoque scapulæ metuunt virgdemiam. *Non. Virgindemia.*

Pueri obscœnis verbis novæ nuptæ aures obturant. *Non. Redurare, id est aperire. Item in Obscœnus.*

Virgo de convivio abdicatur ideo, quod majores nostri virginis acerbæ aures, Veneris vocabulis imbui noluerunt. *Non. in Acerbum. Imbuere.*

Num nam cælatus in manu dextra scyphus,
Cælo dolitus, artem ostentat Mentoris? *Non. in Cælare, & in Dolitus pro dolatus.*

Et pueri in ædibus sæpius pedibus offensant, dum recentes musteos in carnario fluitare suspiciunt. *Non. in Suspicere.*

Neque auro, aut genere, aut multiplici scientia Sufflatus, quærit Socratis vestigia. *Non. in Sufflatus pro tumidus.*

Quid multa? factus sum vespertilio, neque in-

muribus plane, neque in volucribus sum. *Non. in Vespertilio.*

Hæc postquam dixit, cedit citus, celsus tolutim. *Non. Tolutim pro volutim.*

Δοῦλος Ἔρως ἐςί. Qui meritat, hominem & servum facit. *Non. in Meret.*

AGE MODO.

*

Argo citiremem. *Sosip. lib. I.*

Ænea. *Ibidem. Ænea sine S.*

Terra culturæ causa attributa olim particulatim hominibus, ut Etruria Tuscis, Samnium Sabellis. *Philarg. in II Georgicorum.*

ΑΛΛΟΣ ΟΥΤΟΣ ΗΡΑΚΛΗΣ.

*

Gravidaque mater peperit Jovi puellum. *Prisc. lib. VI.*

Herculem eundem esse ac Martem. *Macrob. lib. III, cap. 11.*

ANDABATÆ.

*

Non mirum, si cæcutis. minus aurum enim non præstringit oculos, quam *τὸ σοῦ κράνος. Non. Perstringere, valde stringere & claudere.*

Ædepol idem cæcus non lusciosus est. *Idem, Lusciosi.*

Mortales multi rursus ac prorsus meant. *Idem, Rursus, retro.*

In reliquo corpore ab hoc fonte diffusa est ani-

ursa. Hinc animus ad intelligentiam tributus. *Idem, Animus & Anima.*

Anima ut conclusa in vesica, quando est arte ligata, si perculeris, aera reddit. *Idem, Aer.*

Candidum lacte papilla cum fluit, signum putant partuis, quod hic sequatur mulierem e partu liquor. *Idem, Lacte pro lac, & partuis pro partus.*

Alterum appellamus a calendo calorem; alterum a fervore febrim. *Idem, Febris.* Alii: *Aperiendam putat idque alterum. sed tria priora verba Nonii sunt, non Varronis.*

Et me Juppiter Olympiæ, Minervæ Athenis suis mystagogis vindicassent. *Non. Vindicare.*

Nec manus visco tenaci tinxerat, viri casta. *Non. Castum.*

Sed quod hæc sola aliquid genunt. *Prisc. lib. X.*

Sed quidvis potius, o homo, quam caruncula nostra. *Prisc. lib. VI.*

ΑΜΜΟΝ ΜΕΤΡΕΙΣ

Περὶ φιλαργυρίας.

*

Etenim quibus seges præbeat domum, escam potionem quid desideremus. *Non. Seges.*

Quæro ex te, utrum hoc adduxerit cæli temperatura, an terræ bonitas? *Non. Temperatura pro temperie.*

Nos barbari quod innocentes in gabalum suffigimus homines, vos non barbari, quod noxios absolvitis? *Non. Gabalum pro cruce.*

Quem sequuntur cum rotundis velites leves par-

mis, Antesignani quadratis multis insignibus tecti. *Non. Veles. item Antesignanus.*

ΑΝΘΡΩΠΟΤΡΓΙΑ

Περὶ γενεθλιῶν.

Doti dato insulam Chium, agrum Cæcubum, Seplasia Capuæ, macellum Romuli. *Non. Seplasium.*

Et Hymenæus, qui primo lavere alvum marsupio solet. *Non. Lavere.*

Vulgoque avarus fenerator, spe lucri, rem scriptione duplicarat. *Non. Scriptione, pro scriptura.*

Non fit thesauris, non auro pectus solutum:
Non animis demunt curas ac relligiones,
Persarum montes, non divitis atria Crassi.
Nonius in Relligio.

Anthropopuli. Non modo vinum dare, sed etiam, ut Plautus ait, murrhinam, passum, defrutum. *Non. Murrhina.*

Ne dares, ne polliceres, quod datum. *Nonius, Pollicere pro polliceris.*

ARMORUM JUDICIUM.

*

Ille viros hortari, ut rixarent præclari Philosophi. *Non. Rixarent, pro rixarentur.*

Ut in litore cancri digitis primoribus stare. *Non. in Primores.*

BAJÆ.

*

Quod non solum innubæ fiunt communes, sed etiam veteres puellascunt, & multi pueri puellascunt. *Non. in Puellascere, pro effeminari.*

BIMARGUS

Περὶ τρόπου· vel τρόπων τρόπους.

*

Cum Quintipor Clodius tot Comœdias ſine ulla fecerit Muſa: ego unum libellum non edolem, ut ait Ennius? *Non. Edolare.*

Fuga hoſtium Græce vocatur τροπή· hinc ſpolia capta fixa in ſtipitibus, appellantur tropæa. *Non. Tropæum.*

Socius es hoſtis, cum ſociis bellum ita geris, ut bella omnia domum auferas. *Non. Bellum.*

In invidiam veniant hoc ipſo rapinatores. *Non. Rapinatores.*

Non Hercules potes, qui agebas, ſed conopron. *Non. Agere, gerere.*

Ut novum cribrum novo paxillo pendeat. *Non. Paxillus.*

Nautæ remivagam movent celocem. *Non. Celox.*

Non te pudet, Mani, cum domi tuæ vides commilitonum cohortes, ſervis tuis miniſtrare cæmenta? *Non. Cæmenta.*

Τρόπων τρόπους, quæ non modo ignoraſſe me clamat, ſed omnino omnes Heroas negat neſciſſe. *Non. Negativæ duæ &c.*

Ebrius es, Marce, Odyſſeam enim Homeri ruminari incipis, cum περὶ τρόπων ſcripturum te ſerio receperis. *Non. Recipere, promittere, & ruminatur.*

Cohortes coquorum atque hamiotarum, aucupumque. *Non. Hamiotæ.*

Vulcanum necdum novæ lagenæ ollarum frangantur, ter precatur. *Non. Vel olla.*

Tunc repente cælitum altum tonitribus templum tonefcit. *Non. Tonefcit.*

Et pater Divûm, trifulcum fulmen, igni fervido, aftutum mittat in tholum macelli. *Non. Sulcus.*

Magna ut tremifcat Roma, & magnæ mandonum gulæ. *Non. Manducones.*

Cum noviffime mitteret, quantum fumti fecerit. *Non. Sumti pro fumtus.*

Avi & atavi noftri, cum allium ac cæpe eorum verba olerent, tamen optime animati erant. *Non. Cæpe. Gen. Neutr.*

Quod utrum fit magnum an parvum, facul an difficul. *Non. Facul, pro faciliter.*

Κατάκρισις. Eft enim vera caufa, in candelabro pendet ftrigilis. *Non. Strigilis.*

Levis tippula linifici frigidos tranfit lacus. *Non. Tippula.*

Scena quem fenem Latina vidit diriffimum. *Non. Diriffimum.*

Ipfum propter vix liberti femiatri exfequiantur. *Non. Exfequiantur.*

Nos ergo nihil egimus, quod legem Lucaniam, luci claro latam, fcutulavimus. *Nonius, Lux Mafc. generis.*

Mihique divitum, ftilo noftro papyrino levii fcapos, capitio novo, partu poetico. *Non. Scapum.*

Nec me pedatus verfuum tardor.
Refrenet arte cum prytimum certum.
Nonius, Tarditas Mafc. genere.

Ipfe fiftis dicite Labde;
Et vivos contemnite vivi:

Anticipate atque addite calcar,
Stultos contemnite docti. *Non. Anticipare, pro prævenire. Alii ad Margapolim referunt.*

CAPRINUM PRŒLIUM

Περὶ ἔριδος, vel περὶ μέθης, vel περὶ ἡδονῆς.

*

Ne vobis censeam, si ad me referretis. *Nonius; Censeam pro succenseam.*

Unam virtutem propriam mortalibus fecit,
Cetera promiscam voluit communia haberi.
Nonius in Proprium.

Non posses eam amplius perferre, tamen suadet, ut notat. *Non. in Ferre pro pati. Editio Henrici Stephani in Fragmentis Poetarum, legit:* Captivos prædones non &c. *male: scribendum fuerat, Caprinum* περὶ ἡδονῆς. *Imperiti librorum exscriptores ex his duabus græcis vocibus, fecerunt unam latinam,* prædones: *ex* Capri *fecerunt* captivos.

CAVE CANEM.

*

Ubi rivus præcipitatur in nemore, deorsum rapitur, atque offensus aliquo a scopulo lapidioso, albicatur. *Non. Albicatur.*

CÆI.

LIB. I.

*

LIB. II.

*

Gallica porta carros accurat uſque politos. *Non. Carri Maſc. genere.*

Clariſſim. Scaliger in Comment. in Catalecta, laudans hunc locum, titulum Satyræ fecit, Ἀεὶ λιβύη *& ſcribendum putat,* Gallica petorita, carros, adcerras, Tuſca pilenta.

COLUMNA HERCULIS

Περὶ δόξης.

*

Itaque eas in ceram conſcribillavit, Herculis ad litem. *Non. Conſcribillavit pro conſcripſit.*

COSMOTORINE

Περὶ φθορᾶς κόσμου.

*

Propter cunam capulum poſitum nutrix tradit pollinctori. *Non. Pollinct. & Capul.*

Mulieres aliam cerneres cum ſtola holoſerica. *Non. in Stola.*

Singulos lectos ſtratos ubi habuimus, amiſimus propter cariem & tineam. *Non. Caries.*

Phrygio qui polvinar poterat pingere, ſoliarde vigebat. *Non. Phrygiones.*

Toga tracta eſt, & abolla data eſt ad turbam; ubi fera militia munera belli ut præſtarem. *Non. Abolla.*

Africa terribilis contra concurrere ibus:
Atque Æneæ miſceri ſanguine ſanguen.
Non. in Sanguis.

Atque Ægeus fluctus, quam lavit ante aquilo:

Sævus ubi posuit Neptuni filius urbem.
Non. Lavit pro lavat.

Detis habenas animæ leni,
Dum ventus vos flamine sudo,
Suavem ad patriam perducit.
Nonius, Anima pro vento.

CRAS CREDO. HODIE NIHIL.

*

Quibus instabilis animus, ardens mutabiliter havet habere, & non habere, fastidiliter, inconstanti pectore. *Non. Fastidiliter.*

Atque ut igni fervido, medullitus aquiloniam intus servat frigedinem. *Non. in Medullitus & frigedo.*

CYGNUS

Περὶ ταφῆς.

*

Tua templa ad alta, Phani, properans citius itere. *Non. Itere pro itinere. Forsan frustra est Nonius, & legendum* bitere.

Denique si vestimenta ei opus sunt, quæ fers, cur conscindis? si opus non sunt, cur fers? *Non. Nominativus pro ablativo.*

Quare Heraclides Ponticus plus sapit, qui præcipit ut comburerentur, quam Democritus, qui ut melle servarent: quem si vulgus secutus esset, peream, si centum denariis calicem mulsi emere possimus. *Non. in Vulgus.*

CYNICUS.

*

Si me Hercule purgant, & Deorum cura non

ſatisfacitur Reipublicæ. *Priſc. Satisfacitur, pro ſatisfit.*

SYNISTOR.

Eclipſis quando fit, cur luna laboret. Et ſi hoc ridicule credunt, dicant, quid laborant. *Jun. Phylar. in II Georgic.*

DESULTORIUS

Περὶ τρυφῆς σὺν ἄλλοις.

*

Fervere piratis, vaſtarique omnia circum. *Non. in Fervere, penultima correpta.*

Domini delicias faſelo nactum tonſili remo vilem flictam ſolvit. *Non. in Faſelus.*

Henr. Steph. legit: In aliis Domini &c. *Sed duo priora verba ſunt titulus Satyræ.*

DE SALUTE.

*

Mundum haud natum eſſe neque mori. *Phylar. In II Georgic.*

DE OFFICIO MARITI.

*

Vitium uxoris aut tollendum, aut ferendum eſt:
Qui tollit vitium, uxorem commodiorem præſtat,
Qui fert, ſeſe meliorem facit. *A. Gell. lib. I, cap. 17.*

ΔΙΣ ΠΑΙΔΕΣ ΟΙ ΓΕΡΟΝΤΕΣ.

*

Purum putum. *A. Gell. lib. VI, cap. 5.*

DOLIUM, AUT SERIA.

*

Mundus domus eſt maxima homulli.
Quam quinque altitonæ fragmine zonæ

Cingunt, per quam limbus pictus bis sex signis
Stellimicantibus, altus in obliquo æthere, Lunæ
Bigas Solisque receptat Posthumi, cui seplasia fœtet.
Probus Grammaticus in Eclog. 6.

Vocatur a cælatura Cælum, Græce ab ornatu κόσμος. Latine a puritie Mundus. *Plinius lib. II, c. 4.*

ENDYMION.

*

Qui vigilare mature cœpisti, in eo te retinueris. *Non. Maturum.* Alii: *Qui si ut vigilantem matura.*

Ut Mercurium Arcadum colonum. *Non. Colere.*

Animum mitto speculatum toto orbe, uti
Quid facerent homines, cum experrecti sient,
Me faceret certiorem; si quis melius
Operam sumeret, ut ejus consilio potius
Vigilium adminicularem nostrum: qui videt
Alium curvantem extrema noctis tempora.
Non. Vigiliæ.

Sic vos citius opinionibus ventilabundus miser decidi. *Non. Opinio.*

Divitum apothecas Chias ad communem revocat matellam. *Non. Matella. Quidam ἀποχὰς Chias, amphoras Chias.*

Quare si in somnum recideris, & οὐδέποτε eris iterum exporrectus. *Non. Exporrectum, extentum. Q. quæ res.* Alii: *Quæ re si in somnium recid.*

Discumbimus mussati, Dominus maturo ovo cœnam committit. *Non. Committere & Dominus.*

Dum sermone cœnulam variamus. Interea tenuit bene tempestate serena. *Non. Tempestas.*

ΕΠΙΤΑΦΙΩΝ

Ἐν δέ τισι περὶ ἐπιταφίων.

Donec foras nos intus evallaverunt. *Non. Evallare pro excludere.*

Pleni libri, inquam, ubi maneant capeti eorum: quoniam in ſepulcris nec vola nec veſtigium exſtat. *Non. Vola.*

ΕΠΙ ΤΗ ΦΑΚΗ ΜΥΡΟΝ

Περὶ εὐτελείας.

*

Nec multinummus piſcis ex ſalo captus
Elops: neque oſtrea ulla magna captata
Quivit palatum ſuſcitare.
Non. Oſtrea genere feminino.

Ac tum quidem ut faciat cenſeo, quoniam tu quoque adoleſcentiaris. *Non. Adoleſcentiari.*

Legendo & ſcribendo vitam procudito. *Non. Procudere.*

EST MODUS MATULÆ

Περὶ μέθης.

*

Vino nihil jucundius quiſquam bibit.
Hoc ægritudinem ad medendum invenerunt,
Hoc hilaritatis dulce ſeminarium,
Hoc continet coagulum convivia.
Non. Coagulum.

Cupas vinarias ſirpare noli, adde cyathum vini in uxorculæ opicillum. *Non. Cupæ.*

Non vides ipſos Deos, ſi quando volunt guſtare vinum, derepere ad hominum fana: & tamen

tum ipsi illi Libero simpuvio vinitari? *Non. Simpuvium.*

Dolia atque apothecas tricliniares, melicas Calenas, obbas, & Cumanos calices. *Non. Obba.*

Quis in omni vita helio πιοπο olfacit temetum. *Non. Temulenta.*

Ismenias hic Thebogenes fluit scaturex. *Nonius, Scaturex.*

ΕΥΡΕΝ Η ΛΟΠΑΣ ΤΟ ΠΩΜΑ

Περὶ τῶν μοκιτίων καθηκόντων.

*

Ita ut soliti eramus Romæ in balneis, plodere cepimus & murmurari. *Non. Murmurari.*

Ego unus scilicet antiquorum hominum subductis superciliis dicam ταμιεῖον συνέχων. *Nonius, Subducere.*

Cujus ubi annis multis, masculini vestigium inventum est. *Non. de Doctorum Indagine.*

EUMENIDES.

*

Ego autem, qui essem plenus vini & Veneris. *Non. De Numeris & Casibus.*

Stolam calceosque muliebres propter positos capio. *Non. Capio.*

En demum præter Matris Deûm ædem exaudio cymbalorum sonitum. *Non. Præter, pro ante vel per.*

Cum illo vento, video Gallorum frequentiam in templo, qui dum (essena hora, nam ad latera) imponeret ædilis signosiæ, & Deam gallantes vario retinebant studio. *Non. Gallare.*

Ubi vident, ſe cantando ex ara excantare non poſſe, deripere incipiunt. *Non. Excantare.*

Puditatem an pudorem Gallûm cœpit mihi videri. *Non. Gallum, pro Gallorum.*

Nam quæ venuſtas hic adeſt gallantibus?
Quæ caſta ætas? quæ veſtis adoleſcentium?
Quæ teneris ſpecies? *Non. Gallare, Caſtum, Species.*

Contra cum pſaltria & cum Flora lurcare adſtrepis. *Non. Lurcones.*

Propter crepas vocibus, volitans aures volgi. *Non. Crepare.*

Quin mihi caperatam tuam frontem, Strobile, omittis. *Non. Caperare.*

Apage in dierectum a domo noſtra iſtam inſaniam. *Non. Directi. Inſanitas.*

Vix vulgus confluit non furiarum, ſed puerorum atque ancillarum, qui omnes me bilem atram agitare clamitantes, opinionem mihi inſaniæ meæ confirmant. *Non. Pueri, pro ſervis. Item, Atrum. Item, Opinio. Item Vix.*

Forenſes decernunt, ut exiſtimatio nomen meum in inſanorum numerum referat. *Nonius, Decernere. Item, Referre.*

Nam ut arquatis & veternoſis lutea quæ non ſunt, æque ut lutea videntur: ſic inſanis ſani, & furioſis eſſe videntur inſani. *Non. Arquatus & Luteus.*

Sed nos ſimulac ſummam in ſpeculam pervenimus,
Videmus populum furiis incinctum tribus,
Diverſum ferri, exterritum formidine.
Non. Specula, Exterritum.

Tertia Pœnarum Infamia,
Stans nexa in volgi pectore,
Fluctuanti, intonsa coma,
Sordido vestitu, ore severo. *Non. Severum.*

Simulac languido corpore Solis calidior visa est aura. *Non. Aura.*

Ut Najades undicolæ. *Non. Colere.*

Discumbimus mussati &c. *Vide in Endymione. Non. Maturum.*

Patella esurienti posita provocat Neapolitanas piscinas. *Non. Patella.*

Dum sermone cœnulam &c. *Vide in Endymione.*

Quod ea die mea erat præbitio, in januam *Cave Canem* inscribi jubeo. *Non. Præbitio.*

Cum in eo essem occupatus, atque in schola curarem, inscribit Scantius *Horno per Dionysia. Nonius, Hornum, Occupatus.*

Quid dubitatis utrum nunc sitis Cercopitheci,
An colubræ, an beluæ, an de albu cibus labus
Athenis? *Non. Coluber & colubra.*

Item Tragici prodeunt capite gibbero, cum antiqua lege ad frontem superficies accedebat. *Non. Gibberum.*

— — — — — — — Neque
Furentem eculeum Damacrinus insanus equiso,
Exhibebis morbi fluctibus educit unquam.
Nonius, Eculeus, Equiso.

Maximum cædit ferro, sed cædere Ulyssem,
Cum baccas silvam cædit, porcosque trucidat.
Nonius, Cædere.

Tu non insanis, quod tibi vino corpus corrumpis mero? *Non. Merum.*

— — — denique avarus
Quis sanus? cui si stet terra, & traditur orbis,
Furando tamen & morbo stimulatus eodem,
Ex sese ipse aliquid quærat, cogatque peculi.
Nonius, Stare & Cogere.

Capite operto esse jubet, ante lucem suscitat, frigore torret, venatum ejicit jejuno villicum. *Non. Apertum, Torrere.*

Ex his atque hujusmodi institutis ac vita, vel ad Herculis, athletæ facti erant. *Non. Vel pro etiam.*

Quod tum quæstus trichinus erat, nunc est uber. *Non. Tricinum, tardum.*

Auroræ austrinum hic indutus supparum
Coronam ex auro & gemmis fulgentem gerit,
Luce locum afficiens. *Nonius de Doctorum Indagine. & Supparum, & Ostrinum.*

Partum venusta muliebri ornat stola. *Non. Stola.*

Empedocles natos homines ex terra ait, ut blitum. *Non. Blitum, pro olere.*

Postremo nemo ægrotus quidquam somniat
Tam infandum, quod non aliquis dicat philosophus.
Non. Infans.

Ego medicina a Serapi utor: quotidie precantur.
Intellego recte scriptum esse Delphis
ΘΕΩ ΕΡΑ. *Non. Precari.*

Hospes quid miras nummo curare Serapim?
Quid? quasi non curet tantidem Aristoteles.
Non. Miras, pro miraris.

Aut ambos mira aut noli mirare de me, de eodem. *Non. ibidem.*

Primum iſte, qui meret ſeſtertios vicenos. *Non. Meret.*

Quia plus, inquit, merere debet, in quo eſt virtus. *Non. Meret, pro meretur.*

Propter eam porticum ſitum erat dolium. *Non. Propter.*

Priuſquam reſponderem, foras neſcio quis occupat res indicare. *Non. Occupare.*

Et ecce de improviſo ad nos accedit cana Veritas, Atticæ Philoſophiæ alumna. *Nonius, Canum, vetus. & Alumnus.*

Ubi dicatur primus Zenon novam hæreſin novo paxillo ſuſpendiſſe. *Non. Paxillus.*

In ſomnis venit, jubet me cepam eſſe, & veſci cuminum. *Non. Cepe, neut. genere.*

Nunc de te, inquit, meliuſculam ſpem habeo, qui rem ſpurciſſimam guſtare nolueris. *Non. Spurcum.*

Phrygios peroſa cornus, liquida canit anima. *Non. Anima, Liquidum.*

Nunc corius ulmum tuus depuvit: pergis hera? *Non. Corius, maſc. gen.*

Tibi tympana non inani ſonitu Matris Deûm
Tonimus: tibinos modos, tibi nunc ſemiviri
Teretem comam volantem jactamus tibi Galli.
Non. Tonimus, Tibinos, Jactare.

Et ceteris Scholaſticis auribus ſcholica dape, atque ébriis feſtice ἀπεραντολογία, conſurgia conſurgimus, jejunis oculis. *Non. Ebrii & Jejuni.*

ΕΧΩ ΣΕ

Περὶ τύχης. vel Νόμοι.

*

Tela dextra vibrant, russatis emicant, atque
Insignibus Martis: torques aureæ & scuta
Cælata Ibero argento gravi crebra fulgent.
Non. Torquis.

— — ærea
Terta nitet galea. *Non. Terta, pro tersa.*

Teges, ruina ne jacentem sub Deo
Albet, algu danti frigore. *Non. Algu, pro algore.*

Sapiens & bonum ferre potest modice, & malum fortiter ac leniter. *Non. Modicum.*

EXDEMEDRICUS.

*

Quadriga. *A. Gell. lib. XIX, cap. 8.*

ΕΩΣ ΠΟΤΕ

Περὶ ὁρῶν.

*

Vitæ cursum ut cognoscere possem, & quæ servitutis & libertatis ab origine ad exodium ductæ. *Nonius, Exodium. Nomen hoc tractum ex Græco, quasi ἔξω τῆς ὁδοῦ, extra viam.*

Non posse ostrea se Romæ præbere & echinos. *Non. Ostrea.*

Dentire. *Scalig. in Append. Virgil.*

FLEXIBULA

Περὶ ἐπαρχιῶν.

*

Domo exeo, intro, & pedes corrigiis compedio. *Non. Compedes.*

Multi enim, qui limina intrarunt integris oculis, ſtrabones ſunt facti. Habet quiddam enim ἑλκυστικὸν provincialis formoſula uxor. *Nonius, Strabones, Strabi.*

Nec dolorem ἀδιάφορον eſſe, quod philoſophia commalaxarem, me apathem: neque irato mihi habenas dedi unquam, neque cupiditati non impoſui frenos. *Non. Commalaxare, exercere, ac mature facere.*

Atque ſi addam, quanta miſericordia mea heredibus meis ſtet, quod miſeros ſublevaverim. *Non. Stare.*

Quid? tu non vides in vineis, quod tria pala habeant, Tripales dici? *Non. Palum, neutro genere.*

Quare, o Marce, pranſum ac paratum eſſe hoc minime oportet. *Non. Pranſi, quibus nihil deſit.*

GEMINI.

*

Contra lex Mænia eſt in pietate, ne filii patribus luci claro ſugillent oculos. *Non. Sugillent, pro occludant.*

GERONTODIDASCALUS.

*

Utrum oculi mihi cæcutiunt, an ego vidi ſervos in armis contra dominos? *Non. Cæcutiunt.*

Noctu cultro coquinario ſe trajecit. nondum enim ibi inventi erant cultelli Empeſtatiæ Bithynia. *Non. Culter.*

Non vides apud Ennium eſſe ſcriptum:
Ter ſub armis malim vitam cernere,
Quam ſemel modo parere. *Nonius, Cernere, Amittere.*

Rapta a nescio quo mulione, rapturis ramicis rumpit. *Non. Ramices, Pulmones, Hirnea.*

Confluit mulierum tota Roma, quæ noctu fieri initia solita, etiam nunc pinea fax indicat. *Non. Fax, pro face.*

Novus maritus taciturnus, taxim uxoris solvebat cingulum. *Non. Cingulum.*

Vehebatur enim cum uxore vehiculo: semel aut bis in anno, arcera. *Non. Arcera, plaustrum rusticum.*

Quoties priscus homo ac rusticus Romanus internundinum barbam radebat. *Non. Internundinum.*

Vel decem menses ubi una sepiant granaria,
Vineis ubi ampla cella torculum reponant,
In quibus Libyssa citrus fasciis cingit fores.
Ubi graves pascantur & alantur pavonum greges.
Non. Granaria, Torculum, Citrus & fascea, pro cortice, Pascere, Alere, Grave.

Candens corpore Taurus, trivio lumine Lunæ. *Non. Candet, id est, ignitum est, sed ex Satyra γνῶθι σεαυτὸν citatur.*

Ideo quod habeat satis, vix putant lautum. *Non. Lautum, pro abundanti & competenti.*

Sed simul manibus trahere lanam, nec non simul oculis observare ollam pultis, ne aduratur. *Nonius, Olla.*

Hoc est magnum censorem esse, ac non studere multos ærarios facere. *Non. Ærarius, mascul. genere.*

Manius Curius Consul in Capitolio cum dilectum haberet, nec citatus in tribu civis respondisset, vendidit tenebrionem. *Non. Nebulones, Tenebriones.*

Ergo tum ſacræ, religioſæ, caſtæque fuerunt res omnes. *Non. Caſtum.*

Putas eos non citius Tricas Tellenas, quam id extricaturos? *Non. Tricæ.*

ΓΝΩΘΙ ΣΕΑΥΤΟΝ.

*

Non videtis, unus ut parvulus Amor ardifera lampade arida agat amantes æſtuantes. *Nonius, Actum, Infixum, Fætum.*

Et rex & miſellus ille pauper amat, habetque ignem intus acrem: hic ephebitum mulieravit; hic ad me Decam adoleſcentem, cubiculum pudoris primus polluit. *Non. Mulieravit, Effeminavit.*

Age jam nunc contende alterum genus φιλοθεώρων, ne quid ibi videris melius.

Ut ſidera cæli divum, circum terram
Atque axem, quæ volvuntur motu orbico.
Non. Orbitum, per orbem.

Non ſubſilis ac plaudis, & ab Arato poſcis aſtricam coronam? quid enim hoc mirius? *Non. Mirius, magis mirum, & Poſcere pro accipere.*

— — — ut crementa
Corpora fierent majora
Parva ut ſuctu candida lactis. *Non. Suctu.*

— — — Dein certe alvi
Fluctu, ficum ut pararet manſum,
Quo venarum ſanguine rivos
Compleret — — —

Nihil ſunt Muſæ pollicis, quas ærifice duxti.
Non. Ducere.

Nonne non unum ſcribunt eſſe grandibus ſuperciliis Silonem, quadratum? quod Silenus hirſutis ſuperciliis fingeretur? *Non. Silones.*

Non animadvertis, cetarios, cum videre volunt in mari thunnos, adſcendere in malum alto, ut penitus per aquam perſpiciant piſces? *Nonius in Cetarii.*

Qui ſunt ſecundum naturam perfecti homines; ut non modo eos ſpectemus, ſed etiam imitemur. *Non. Spectare, pro probare.*

HECATOMBE

Περὶ θυσιῶν.

*

Luto fluens ſub Sardibus flumen tulit
Aurum, later quod conquadravit regius. *Non. Later.*

At Regis enſis ſanguine imbutus nigro. *Nonius, Imbuere.*

Pater ut cruore laveret terrarum aggeres. *Non. Lavit, pro lavat.*

Ubi illa phalera gemmeaque ephippia,
Et arma margarito candicantia.
Nonius, Margaritum, genere neutro.

Socrates cum in vinculis publicis eſſet, & jam bibiſſet κώνειον in exodio vitæ. *Nonius, Exodium, finis.*

Mea igitur Hecatombe pura & puta. *Nonius in Putus.*

Habes, qui, & cujus rei cauſa fecerim hecatomben: in quo ego, ut puto, quoniam eſt Luere ſolvere, Lutavi. *Non. Lutavi, pro lui.*

HERCULES TUAM FIDEM.

*

Noctu Hannibalis cum fugavi exercitum
Tutanus; hoc Tutanus Romæ nuncupor.
Hac propter omnes, qui laborant, invocant.
Non. Tutanus.

Non Tutilinam, quam ego ipse invoco, quod meæ aures abs te obsidentur. *Non. Tutilina Dea.*

Per maritimas oras vagat, suffragantur. *Nonius, Vagat, pro vagatur.*

Procella frigida ante obruat celocem. *Nonius, Celox, navigium breve dictum a celeritudine.*

HERCULES SOCRATICUS.

*

Qui sutrinas facere inscius, nihil homo agis. *Non. Sutrinæ a suendo.*

In omnibus rebus bonis, quotidianus cubo. in Sardinianis tapetibus, chlamyda, sed purpurea amicula. *Non. Tapete, tegmen unice tectum de coloribus variis, & Chlamys.*

HIPPOCYON.

*

Apollonium ideo excuriant, quia nihil habebat. *Non. Excuriari.*

Equites quosdam dicit pedarios appellatos. *Gell. lib. III, cap. 18.*

IDEM ACCI QUOD TITI.

*

Quid est? quid blateras, quid rabis, quid vis tibi? *Non. Rabere.*

ΚΕΝΟΔΟΞΙΑ *περὶ φθόνου.*

*

Vosque in theatro, qui voluptatem auribus,
Huc aucupatum concurristis domo,
Adeste, & a me quæ feram innoscite,
Domum ut feratis e theatro literas.
Non. Ignoscite, pro noscite vel discite.

LEX MÆNIA.

*

Exercebam ambulando, ut cibi capacior ad cœnam veniret guttur. *Non. Guttur, mascul. genere.*

Nos admirantes, quod sereno lumine tonuisset, oculis cæli rimare plagas. *Non. Plaga & Rimari.*

Ab biviram venio: cum vellem ostendere, quid vellem, metamelos inconstantiæ filius me repræhendit. *Non. Bivira, Vidua.*

Si qui patria majorem parentem exstinguit, in eo est culpa: quod facit pro sua parte is, qui se eunuchat, aut aliqua liberos producit. *Id. Eunuchare.*

Nemo est tam negligens, quin summa diligentia eligat asinum, qui suat saliat equulam. *Non. Equila, equa.*

Neque in bona segete nullum esse spicum nequam, neque in mala, non aliquod bonum. *Non. Spicum.*

Non hos Pactolus aureas undas agens,
Eripiet unquam e miseriis. *Non. Agere.*

Signata sacra esse dixierunt, postquam homines sunt facti. *Non. Sacrum.*

LOGOMACHIA.

*

Hæc lanigeras detonderi docuit, tunicareque homulum. *Non. Tunicare, Veſtire.*

LONGE FUGIT QUI SUOS FUGIT.

*

Solus Rex, ſolus Rhetor, ſolus formoſus, fortis, ſecus, vel ad ædilitium, modius, purus putus: ſi ad hunc charactera Cleophantus conveniet, cave attigeris hominem. *Non. Convenire, ſimilem eſſe.*

Sed ut is erat hæc legumina, arte parva, pauca, cicer, ervillam ac paregia, alia, ſpiria ceteris. *Non. Ervum.*

MAGNUM TALENTUM.

*

Detotonderat forcipibus viticapiferis. *Priſc. in Detondere.*

MANIUS.

*

Funere familiari commoto avito ac patrito more precabamur. *Non. Patritum, Avitum.*

Ager derelinqueretur ac periret ſquale, ſcabieque, illuvie, & vaſtitudine. *Non. Illuvies, Scabres, Vaſteſco, Squalor.*

Quod dum adminiſtrant in ſcrobe fodiendo, inveniunt arcam. *Non. Scrobes, maſc. genere.*

Tum ad me fuerunt, quod libellionem eſſe ſciebant. *Non. Libellio.*

Manius mane ſuſcitat nos, tum in roſtra adfert,

populum in forum conducit. *Nonius*, *Conducere*, *Convocare*.

Nec natus eſt, nec morietur, viget, veget ut pote plurimum. *Non. Veget, pro vegetat.*

Vinicius meus, quod apud Plotium Rhetorem bubulcitaret, alteri in dolore non defuit. *Non. in Bubulcitare.*

Hic in quadrato latere ſtipatæ ſtrues. *Non. Later.*

Harum ædium ſumma atria confutabant architectones. *Non. Confutare, pro confundere.*

Hæc adventoribus accedunt, cella, claves, clauſtra, carnaria, dolia. *Non. Dolia.*

Habens antepoſitam alimoniam,
Sedens altus alieno ſumtu,
Neque poſt reſpiciens, neque ante proſpiciens;
Sed limus intra limites culinæ. *Non. Limus, Libellio, Altum ab alendo, Proſpicere.*

Sternit juvencus, quem labos mollem fecit. *Non. Vapor, vapos. Labor, labos.*

Hunc Cereris cibi miniſtra frugibus ſuis porcet. *Non. Porcet, prohibet.*

Tum eum, ad quem veniunt in hoſpitium, lac humanum fellaſſe. *Non. Fellare.*

Alterum bene acceptum dormire ſuper amphitapo bene molli. *Nonius, Amphitapæ veſtes utrinque molles.*

Lecto ſtrato matellam, ceteras res hujus, ubique præ ſe portant. *Non. Matella.*

Lex neque innocenti propter inimicitiam obſtrigillat: neque nocenti propter amicitiam ignoſcit. *Non. Obſtrigillare.*

Quocirca oportet bonum civem legibus parere, & Deos colere: in patellam dare μικρὸν κρέας. *Nonius, Patella.*

Non maledicere, pedem in focum non imponere: non maledicere, facrificari. *Non. Sacrificantur, pro facrificant.*

Et cum corrigias diruptas tenet, aridum reliquum pedem penula fcortea protegere. *Non. Penula, omne quod tegit.*

Dulcem aquam bibat falubrem, & flebile cepe. *Non. Cepe.*

Nec fumtibus lepidus ftatues finemque modumque. *Non. Luxuria, mafcul. gen.*

MARCIPOR.

*

Quidquid evidenter circumftant, non vident;
Credo ridere hiantes: video hiantes, non audio.
Non. Hiare, id eft aperiri.

Hic in ambivio navem confcendimus paluftrem, quam nautici equifones per viam ducerent, loco. *Non. Equifo, pro equite.*

Repente noctis circiter meridiem,
Cum pictus aer fervidis late ignibus,
Cæli choreas aftricas oftenderet,
Nubes aquales frigido velo leves,
Cæli cavernas aureas fubduxerant,
Aquam vomentes inferam mortalibus;
Ventique frigido fe ab axe eruperant
Phrenetici, Septemtrionum filii,
Secum ferentes tegulas, ramos, firos.

At nos caduci naufragi, ut ciconiæ,
Quarum bipennis fulminis plumas vapos
Peruſſit alte, mæſti in terram cecidimus. *Non. Inferum. Syrus (id eſt) Scopæ, Bipennis, Meridies.*

Aſtrologi non ſunt, qui conſcribillarunt pingentes cælum. *Non. Conſcribillare.*

Spatale eviravit omnes venerivaga pueros. *Non. Evirare.*

Dein mittit evirile veretrum in flumen: offendit buceam Volumnio. *Non. Offendere, percutere.*

Eodem conjeciſſe mera miracula, neſcio quæ. *Non. Merum, ſolum.*

Hæccine nobis terne tudiculaſſe? *Non. Tudiculare, pro commovere.*

Regi Medeam advectam per aera in rheda anguibus. *Non. Rheda, pro curru.*

Peliam Medeæ permiſiſſe, ut ſe vel vivum degluberet, dummodo daret puellum. *Non. Puelli, Pueri.*

Delime, bipennis, ut levis paſſerculus. *Nonius, Bipennis.*

Propontis unda, quem liquenti cærulo
Natantem perfundit, cape. *Non. Capere. Complecti.*

Utrum ſunt majores pueri, hi puſilli nigri, qui exſpectant nundinum, ut magiſter dimittat luſus. *Non. Luſus vel Luſio, pro ludus. Item Nundinæ.*

Altera exorat patrem libram ocellatorum,
Altera virum ſemodium margaritarum.
Non. Margaritum.

Et Diogenes qui amicos, qui ab Alexandro rege juſſus optare quid vellet, ſe facturum. *Non. Optare.*

Ut eat ac rempublicam administret, quod pulli jentent. *Non. Jentare.*

MÆONIUS AUTUMEDUS.

*

Meus quod apud Plotium Rhetorem bubulcitare, alteri dolori defuit. *Non. Bubulcitare.*

MARGOPOLIS

Περὶ ἀρχῆς.

*

Cui Celer, dienos lemmatos logos,
Antipatri Stoici filius rutro
Caput displanat. — *Non. Rutrum.*

Sensus poetæ, venæ hydragogiæ, cloaca intestini. *Non. Intestinum, masc. genere. Persuadeo mihi, omnino ita legendum esse:* Sensus, portæ, venæ, hydragogia, cloaca, intestini. *nimirum censet, sensus esse portas quasdam, & naturæ (ut ita dicam) commeacula, venas hydragogiorum, canaliumque rationem obtinere: intestina vero pro cloaca esse corpori. Quidam ex Bimarco petita putant.*

Nam in humanis omnia sunt paria.
Qui pote plus urget, pisces ut sæpe minutos
Magnus comest, ut aves enecat accipiter.
Non. Comest, pro comedit.

— — — — — — — nemini
Fortuna currum a carcere intimo missum, levi
Inoffensum per æquor candidum ad calcem sivit.
Non. Calx, gen. fem.

' Sensistis dicite labdæ,
Vivos contemnite vivi:

M. T. Varro. T

Anticipate, atque addite calcar,
Stultos contemnite docti. *Non. Anticipare.*

Nocticulam tollo, ad focum fero, inflo, anima revivifcit. *Non. Anima. Quidam, Noctu lucam* (id eft) *bovem tollo. Alii, Noctilugum.*

MELEAGER.

*

Funus exfequiati laute, ad fepulcrum antiquo more filicernium confecimus, id eft περίδειπνον, in quo pranfi difcedentes dicimus alius alii Vale. *Nonius, Silicernium.*

Quid hic venator non cepit? quem idcirco terra non cepit & cælum recepit. *Non. Capere & recipere.*

Adde hydram Lernæam & draconem Hefperidum, quod beftiæ fuerunt immanes. *Non. Immane.*

Si non malit vir viratiam uxorem habere Atalantam. *Non. Viratium, id eft, magnarum virium.*

Currere, vigilare, efurire, quando hæc facere oportet, quam ad finem. *Non. Finis, gen. fem.*

Quæro, utrum fructuis an delectationis caufa? fructuis, ut vendatis. *Non. Fructuis, pro fructus.*

Sin autem delectationis caufa venamini, quanto fatius eft falvis cruribus in Circo fpectare, quam his defçobinatis in filva currere? *Non. Defcobinati, id eft faucii.*

Non modo furis apertis, fed pæne natibus apertis ambulans. *Non. Apertum.*

Cum etiam Thais Menandria tunicam demiffam habeat ad talos. *Non. Demiffum. Item, Tunica.*

Aut ille cervum qui volabile currens

Sparo ſecutus, tragulave trajicit.
Non. Tragula, id eſt, haſta & ſparum.

MODIUS.

*

Quæro meas lubidines ad tibias bilinguo. *Non. Tibia, genere maſc.*

Sed, o Petrulle, ne meum taxis librum,
Si te pepigat hic modi ſcenatilis.
Sin diſplicebit tam tibi latum mare,
Para, vis quantam ſpongiam deletilem.
Non. Scenatilis, Taxis, Deletile.

Capitis coronæ vaccitis liveis
Face, ut languore flatili viridis premat.
Non. Preſſum, id eſt tectum.

Quis poculis argenteum chorum introibit? popino. *Non. Popinones, id eſt tabernarii.*

Omnes videmur nobis eſſe belli, feſtivi, ſaperdæ, cum ſimus σάπροι. *Non. Saperdæ, id eſt ſapientes.*

Qui tum erant in Græcia coma promiſſa, raſa barba, pallia trahentes. *Non. in Promittere.*

Sed Cynicis involucrum, & palleum luteum non eſt. *Non. Luteus.*

Quam iſtorum, quorum vitreæ togæ oſtentant tunicæ clavos. *Nonius, Vitreum pro perlucido. Item, Tunica.*

Et hoc intereſt inter Epicurum & ganeones noſtros, quibus modulus eſt vitæ culina. *Non. Culina, pro coquina. Item, Ganeones.*

In cubiculo dormire mallem, ſcilicet potius vi-

num meum cibarium, quam ego dominus cubarem. *Non. Cibarium.*

Putat fore, quod hinc comedonibus convenit usu : quibus mota voluptate cum edunt, dumtaxat gula gaudet. *Non. Comedones.*

Hanc eandem voluptatem tacitulus taxim consequi lapatio & ptisana possum. *Non. Lapatium.*

Trimodiam amphoramque eandem, temeti ac farris modium. *Non. Temulenta.*

Asse vinum, asse pulmentarium, sed edas, quo natura aurigatur, non necessitudo. *Non. Aurigatur, pro moderatur.*

An qui gradu tolutili, te melius quam tute molliter vectus cito relinquat ? *Non. Gradarius.*

Quid aliud est, quod Delphice canat columna literis suis μηδὲν ἄγαν, quam nos facere ad mortalem modum medioxume, ut quondam patres nostri loquebantur. *Non. Medioximum.*

Non eos optime vixisse, qui diutissime, sed qui modestissime. *Non. Modestum.*

MUTUUM MULI SCABUNT.

Περὶ ψωρισμοῦ· vel
Περὶ ἀφορισμοῦ· vel
Περὶ ἀγορασμοῦ· vel
Περὶ χωρισμοῦ.

Ubi lucus opacus teneris fruticibus aptus. *Nonius, Aptus.*

Itaque si plures dies inter medici discessum & adventum pollinctoris intersuerunt, & id æstate videas. *Non. Pollinctores.*

Ut venalem tuniculam poneret quotidie, ut videret totum: denique etiam ſuis manibus lanea tracta miniſtraſſet infectori. *Non. Tractus, genere neutro.*

Grallatores, qui gradiuntur grallis. Perticæ ligneæ ab homine iſto, qui inſtat, agitantur. Sic illi animi noſtri ſunt: grallæ crura ac pedes noſtri, ex ſe ἀκίνητοι, ſed ab animo moventur. *Non. Grallatores.*

MYSTAGOGI.

*

Semoneque inferius derelicto,
Deum depinnato attollam orationis eloquio.
Fulgentius de Antiquo ſermone in Semones.

MYSTERIA.

*

Priſca horrida ſilent oracula, crepera in nemoribus. *Non. Creperum, id eſt dubium.*

Æs defraudaſſe cauponem, bonam luto oblevisſe, tum portitores æra indire. *Non. Portitores.*

Licet videre multos quotidie hieme in Sole apricari. *Non. Apricari.*

Sed tibi fortaſſis alius molit, & depſit. *Nonius, Depſere.*

In id virgo dos a femina ut auferatur; quæ mihi poſteaquam ad concordiam dicta eſt. *Non. Dicere, id eſt promittere.*

Naſcimur enim ſpiſſius, quam emorimur. Vix duo homines decem menſibus edolatum unum reddunt puerum: contra, una peſtilentia, hoſtica. acies puncto temporis immanes acervos facit. *Nonius, Spiſſum.*

Vulpinare modo & concursa, qua lubet errans. *Non. Vulpinare.*

NESCIS QUID VESPER SERUS VEHAT.

*

Dicit autem convivarum numerum incipere oportere a Gratiarum numero, & progredi ad Musarum, id est, proficisci a tribus, & consistere in novem: ut cum paucissimi convivæ sunt, non pauciores sint quam tres; cum plurimi, non plures quam novem. Nam multos esse non convenit, quod turba plerumque est turbulenta, * * * * ut Romæ quidem constat, sed & Athenis. Nusquam autem plures cubabant.

Ipsum deinde convivium constat, inquit, ex rebus quatuor, & tum denique omnibus suis numeris absolutum est, si belli homunculi collecti sunt, si lectus locus, si tempus lectum, si apparatus non neglectus. Nec loquaces autem, inquit, convivas, nec mutos legere oportet, quia eloquentia in foro & apud subsellia; silentium vero non in convivio, sed in cubiculo esse debet. Sermones igitur id temporis habendos censet, non super rebus anxiis ac tortuosis, sed jucundos & invitabiles, & cum quadam illecebra & voluptate utiles, ex quibus ingenium nostrum venustius fiat & amœnius. Quod profecto, inquit, eveniet, si de id genus rebus ad communem vitæ usum pertinentibus consabulemur, de quibus in foro atque in negotiis agendis loqui non est otium. Dominum autem, inquit, convivii esse oportet, non tam lautum, quam sine sordibus. *A. Gell. lib. XIII, cap. 11.*

In convivio legi nec omnia debent, & ea potissimùm, quæ sunt βιωφελῆ, & delectant potius, ut id quoque videatur non superfuisse. *Ibidem. Verba post* delectant *desunt in multis codicibus.*

Bellaria ea maxime sunt mellita, quæ mellita non sunt: πέμμασιν enim cum πέψει societas infida. *Ibidem.*

OCTOGESIS

Περὶ νομισμάτων.

*

Postquam avida libido rapere ac concidere cœpit, seque opificio non probiter strepere. *Non. in Probiter & Clepere.*

Hoc erat incommodi, quod nesciebamus, semel unum singulum esse. *Non. Singulum, pro singulari.*

In quo nobilius est Philippeum quod accipimus, quam quod bibimus, cum alterum addamus in bulgam, alterum in vesicam. *Non. Bulga.*

Non hæc res de Venere pæta strabam facit ἑτεροφθάλμιον. *Priscian. libro VI.*

Vive, meque ama mutuiter. *Nonius, Mutuiter, pro mutuo.*

ŒDIPOTHYESTES.

*

Per idem tempus Œdipus Athenas exsul venire dicebatur, qui consolaret. *Non. Consolare.*

ΟΝΟΣ ΛΥΡΑΣ.

*

Si quis melodinis sit Ὄνος λύρας,
Præsepibus se retineat forensibus,

Quibus ſuam delectet ipſe amaſiam,
Et aviditatem ſperibus lactet ſuis.
Non. Præſepia, Lactare, Sperem.

Phonicia ſum, vocis ſuſcitabulum:
Cantantiumque gallus gallinaceus.
Non. Suſcitabulum, id eſt incitamentum.

Atque orthopallica attulit Pſalteria,
Quibus ſonant in Græcia dicteria.
Qui fabularum collocant exordia
Ut Comici, Cinædici, Scenatici.
Non. Dicteria, quaſi dicta non ſeria, Scenaticus.

Quam mobilem Divum lyram Sol Harmege
Quadam gubernans, motibus diis veget.
Non. Diis pro diutinis, & Veget pro vegetat.

Homines ruſticos in vindemia incondita cantare, ſarcinatrices in machinis. *Non. Sarcinatricis.*

Et id dicunt ſuam Briſeidem producere, quæ ejus nervias tractare ſolebat. *Nonius, Nervia, genere neut.*

Inflet priuſquam tibias in Orcheſtra
Domi ſuæ Pithaula ramices rumpis. *Non. Ramices.*

Sæpe totius theatri tibiis crebro flectendo commutari mentes, frigi animos eorum. *Non. Frigere.*

Voces Amphionem tragœdum; jubeas Amphionis agere partes, infantiorem, quam meus eſt mulio. *Non. Infans.*

Tuus autem ipſe frater cibarius fuit Ariſtoxenus. *Non. Cibarium.*

Pacuvius diſcipulis dicor. Porro is fuit Ennius:
Muſarum Pompilius clueo. *Non. Cluere.*

Scientia doceat., quemadmodum in psalterio tendamus nervias. *Non. Nervia, pro nervo.*

Primum eam esse Physicen, quod sit ἔμφυτος, ut ipsa vox basis ejus. *Non. Bases.*

Merentis ut quietus ac demissior probandus
Ἄξια ὥς ἡρωϊκὸς, Ἰονικός, κίναιδος.
Non. Cinaedus.

Non vidisti simulacrum Leonis ad Idam eo loco, ubi quondam subito eum cum viderent quadrupedem, Galli tympanis adeo fecerunt mansuem, ut tractarent manibus. *Non. Mansues, pro mansueto.*

Equi colore dispares item nati, hic badius, iste gilvus, ille murinus. *Non. Badius.*

Jurgare cœpit dicens, Quæ facis, atque in vulgum vulgas. *Non. Vulgus.*

Nempe sues silvaticos in montibus sectari venabulo, aut cervos. *Non. Venabulum.*

Acerbus, qui tibi nihil mali fecit, verutis ob artem præclaram. *Non. Verutum, telum breve.*

Si non plus testiculorum offenderis, quam in castrato pecore in Apulia, vincor non esse masculum ad rem. *Non. Masculum, pro forti.*

Valete, meque palmulis producite. *Non. Producere.*

ΠΑΠΙΑΣ ΠΑΠΠΟΣ
Περὶ ἐγκωμίων.

*

Hoc Græcis renuntiato, ut facile intelligeres, nos ab his armari: commurmurantur. *Non. Murmurari, pro murmurare.*

Ante aures modo ex subolibus, parvoli
Intorti demittuntur sex cincinnoli:

Oculi ſuppætuli, nigellis pupulis,
Quandam hilaritatem ſignificantes animi;
Quos calliblepharo naturali palpebræ
Tinctæ vallatos mobili ſepto tenent
Rictus * parviſſimus
Ore frenato, riſu roſeo *
Sigilla in mento impreſſa amoris digitulo
Veſtigio demonſtrant mollitudinem,
Collum procerum, fictum levi marmore
Regillam tunicam diffingitur purpura.
Non. Mollitudo, Palpebræ, Rictus, Regilla veſtis.

Quare reſident lingulacæ, obtrectatores tui jam nunc murmurantes dicunt: μωμήσεταί τις μᾶλλον, ἢ μιμήσεται. *Non. Lingulacæ.*

Omni obſtant in miniſterio invidum tabes. *Non. Caſus pro caſu.*

Dominum convivii, vinum, aliudve quid ni laudato. *Non. Dominus.*

Si & accuſator & reus erunt tenebriones, uterque utrumque vituperato. *Non. Nebulones & Tenebriones.*

Prætor noſter eripuit mihi pecuniam, de ea queſtum ad annum veniam ad novum Magiſtratum, cum hic rapo umbram quoque ſpei devoraſſet. *Nonius, Rapones.*

Ille ales Gallus, qui ſuſcitabat Atticarum Muſarum ſcriptores, an hic qui gregem rabularum. *Nonius, Rabulæ.*

Dum vixi promis carus, meis in cortibus pavi. *Non. Cortes.*

Imperito nonnunquam concha videtur
Margarita, ut Amethyſtus Smaragdos.
Non. Margarita.

Qui poteſt laus videri vera? cum motus ſæpe
Furaces ciemus, atque nequiſſimus ibis
Juxta ac Publius Africanus.
Non. Juxta, pro rurſum, ſimiliter.

PARMENIO.

*

Micandum erit cum Græco, utrum ego illius numerum, an ille meum ſequatur. *Non. Micare.*

Pudet me tui & Muſarum agnoſcere, piget currere & una ſequi. *Non. Pudet.*

Demittis acres pectore curas, cantu caſtaque poeſi. *Non. Acre & caſtum.*

Exeunt citi, ſtrepunt, bount. *Nonius, Bount, a boum mugitibus.*

Ceditur lucus; alta frons decidit Palladis, Platanus ramis: alia trabes pronis in humum accidens, proxime frangit ramos cadens. Alius teneram abietem ſolus percellit; alius caballum arboris ramo in humili alligatum relinquit, ferens ferream humero bipennem ſecurim. *Non. Frons, Trabs, Pronus, Procellere, Caballus, Bipennis.*

Cedit velocius juvenis, membris levis, nitidus oleo. *Non. Cedunt, petunt.*

Lepuſculi timentes hoc quadrangulum,
Dedit Diana rete nexile, arcyas
Viſcum, ſagenam, lineamque compedem.
Non. Compedes & Viſcum.

E cavo fonte, ut cum irrigavit cavata aurium anfracta in silvam vocans. *Non. Anfractum, neutro genere.*

Poema est λέξις εὔρυθμος, id est, verba plura modice in quandam conjecta formam. Itaque etiam Distichon Epigrammation vocant poema: Poesis est perpetuum argumentum, e rhythmis, ut Ilias Homeri, & Annales Ennii. Poetice est ars earum rerum. *Non. Poema.*

Pari hujus nascuntur puri rhythmus & melos. *Non. Melos, gen. masculino.*

In argumentis Cæcilius poscit palmam, in ethesi Terentius, in sermonibus Plautus. *Non. Poscere, pro accipere. Vide A. Gell. lib. XV, cap. 24.*

ΠΕΡΙ ΑΙΡΕΣΕΩΝ
VEL
ΑΕΙ ΛΙΒΥΗ.

*

Neque in polvere mythico coquam carnes, quibus satullem corpora ac famem ventris. *Non. Satullem, pro saturem.*

Porro inde ab unoquoque compito ternæ viæ oriuntur, e quibus singulæ extumæ exitum ac telos habent proprium. Primo compito dextimam viam munit Epicurus. *Prisc. lib. IV. Non. Dextimus.*

Tum contremula aquilenta apud alta litora
Oriris, ac nobilis omnibus reluces. *Non. Nobile.*

ΠΕΡΙ ΕΔΕΣΜΑΤΩΝ.

*

Pavus e Samo, Phrygia Attagena,
Grues Melitæ, hædus ex Ambracia,

Pelamis Chalcedonius, muræna Tartessia,
Aselli Pescinuntii, ostrea Tarentina,
Pectunculus Chius, helops Rhodius,
Scari Cilices, nuces Thasiæ,
Palma Ægyptia, glans Iberica.
A. Gell. lib. VII, cap. 21.

Si quantum operæ sumsisti, ut tuus pistor bonum faceret panem, ejus duodecimam Philosophiæ dedisses, ipse bonus jampridem esses factus. Nunc illum, qui norunt, volunt emere millibus centum: te qui novit, nemo centussis. *Idem lib. XV, c. 19.*

ΠΕΡΙ ΕΞΑΓΩΓΗΣ.

*

Quod puer rogasset, & petasatus capite annuisset, ac discedens, numero ait venire adolescentem. *Non. Numerus.*

Quam sympathiam lumbi ad oculos haberent, quid inguinum interesset, puerum utrum essem devirginatum usurus, an monuce *ῥώσας* purus dum cogito. *Non. Virgines.*

Quemnam te esse dicam? feram qui manu corporis fervidos aperis lacus sanguinis, teque vita levas ferreo ense. *Non. Levare, pro minuere.*

Non vituperamus, cum sciamus digitum præcidi oportere, si ob eam rem gangræna non sit ad brachium ventura. *Non. Gangræna.*

Et quærit ibidem ab Annibale, cur biberit medicamentum? Quia Romani, inquit, Prusiades me tradere volebat. *Non. Medicamentum.*

Andromeda vincta, & proposita ceto, non de-

buit patri ſuo homini ſtupidiſſimo in os exſpuere vitam. *Non. Stupidus.*

ΠΕΡΙ ΚΕΡΑΥΝΟΥ.

*

Cognitio enim tonitrus fulget, & tonitrum fulguris a fulmine orta. *Non. Fulgura.*

Majores ſolitos decumam Herculi vovere, nec decem dies intermittere, quin pollucerent, populumque ἀσύμβολον cum corona laurea demitterent. *Non. Calidum.*

PLUTORINE.

*

Scriptulum, *Soſip. lib. I.*

PRANSUS PARATUS.

*

— — — Luna exſpectante
Adria ſeſe itiner longum ſermone levare.
Nonius, Itiner.

Contra coactus cervus latratu canum
Fertur, biſulcis ungulis, nitens humu,
Ne ſe videant. *Non. Humu, pro humo.*

PSEUDOLUS APOLLO.

Περὶ θεῶν ἀπαντήσεως vel
Περὶ θεῶν ἀναγνώσεως.

*

Quod in ejus Dei templo calceati introeunt: nam in oppido quæ [illegible] ædes Apollinis, & qui ibi ad Herculis introeat, nemo ſe excalcietur. *Non. Exalceatur, pro exalceat.*

Cum sex pueri, & puellæ pariter sex aut septem sinuero: quæ cum choro pari vagarunt. *Non. Vagas, pro vagaris.*

PSEUDONEA.

*

Per æviternam hominum domum Tellurem propero gradum. *Prisc. lib. II.*

QUINQUATRIA.

*

Qui Tarentinum tuum ad Heraclidem Ponticum contenderit. *Non. Contendere.*

Hic bipensiles forcipes dentarpagæ. *Non. Dentarpagæ.*

Quid medico mihi est opus? nempe tuo, absynthium uti bibam gravem, & castoreum, levemque robur. *Non. Absynthium, & Grave pro amaro.*

Cape hanc caducam Liberi mollem dapem,
De fronde Bromiæ auctumnitatis uvidam,
Quam lympha melius e lacuna fontium
Allata, nido potili permisceat. *Non. Auctumnitas.*

An hoc præstat Herophilus Diogene, quod ille e ventre aquam mittit? an hoc te jactas? at hoc pacto utilior te Tuscus aquilex. *Non. Aquilex.*

Quam in testudineo lecto, culcita plumea in die dormire. *Non. Culcita.*

Tu Phædi contra audes dicere, cum in eborato lecto, & purpurei operis toro cubare videas ægrotum, & ejus prius album, quam typen subducere malis. *Non. Turdus, masc. gen.*

SARDI VENALES.

*

Non te tui ſaltem pudet, ſi nihil mei revereatur. *Non. de Numeris & caſibus.*

ΣΚΙΟΜΑΧΙΑ vel ΚΡΙΟΜΑΧΙΑ

Περὶ τύφου.

Te Anna perenna, panda *καὶ λατὰ*, Pales,
Neriones & Minerva, Fortuna ac Ceres.
Gell. lib. XIII, cap. 21.

Vinum, pemma Lùcuns, nihil adjuvat iſta miniſtrat. *Non. Lucuns.*

Ego, inquit, eam ſuppetias. Tunc mihi nec res, nec ratio eſt, diſſociaque omnia ac neſantia. *Non. Neſantia, pro neſanda.*

Hoc dico, compendiaria, ſine ulla ſollicitudine ac moleſtia dicundi, ad eandem voluptatem poſſe perveniri. *Non. Compendium.*

Poſtremo quæro, parebis legibus an non?
Anne exlex ſolus vives? *Non. Illex, Exlex.*

SERRANUS

Περὶ ἀρχαιρεσιῶν.

*

Retinet viatorem meridie prætereuntem fontem, quod auctumnitas in anni tetrachordio menſium præterierat. *Non. Auctumnitas, pro auctumno.*

Dum in agro ſtudioſius ruror, adſpicio Triptolemum ſculponeatum bigas ſequi cornutas. *Non. Rurant, pro ruſticantur.*

Occipitium Arivo Deo oſtendo, ex oraculo elimino me. *Non. Eliminare.*

Te conſulem mihi pelum cedere, ſubſilio, & ho-

ſtias extiſpici diſputanti relinquo. *Non. Extiſpices, Haruſpices.*

Noſter Atticus, rivalis homo, iturus in curiam, commaceſcebat. *Non. Macor, pro macie.*

Hunc vocaſſe de liquida vita, in Curiæ veſtræ fæcem. *Non. Liquidum, id eſt, purum.*

Cum dixiſſet Vitulus, ecce caldis pedibus quidam navicularius ſemiuſtulatus irrupit, ſe in curiam. *Non. Calidum, citatum & velox.*

Dormit alius nimirum, vigilant, clamant, calent, rixant. *Non. Rixare, pro rixari.*

Roſtrum in protrudendum ceſſerent. *Nonius in Roſtrum.*

Et petere imperium populi, & contendere honores. *Non. Contendere, extorquere.*

SESQUI ULYSSES.

Navibus duodecim domo profectum, decem annos ſolidos erraſſe. *Non. Solidum, pro continuo.*

Suſpendit Laribus marinis molles pilas, reticula, ac ſtrophia. *Non. Strophium, faſcia brevis, & Reticulum, tegmen capitis.*

Vias ſtelligeras ætheris explicans,
Ære cavo ſonitum hic in cothurnis.
Nonius, Explicare.

Hic enim omnia erat, idem ſacerdos, prætor, parochus, denique idem ſenatus, idem populi caput. *Non. Parochus.*

In Theſpiadum ora derepente. *Non. Derepente.*

Ubi nitidi Ephebi veste pulla candidi, modeste amictus pascunt pectore. *Non. Pullum.*

Pueri dum comitesque tenent strata gelo putri montium laxa. *Non. Gelo, pro gelu.*

Ubi educantur barbari innumerabiles lateres aureos habuisse. *Idem Later.*

Quo cum ire vellemus, obvius flare, ubi corpori ærinas compedes impositas video. *Non. Compedes.*

Omnes irritans ventos, omnesque procellas, ipsum audivi. *Non. Irritare, provocare.*

Vino invitari, poculis large atque benigne. *Non. Invitare.*

Ventus sub occasum vehementius sufflare, & calcar admovere. *Non. Calcar, pro impetu.*

— — — adversi venti ceciderunt.
Quod si pergunt diutius mare volvere, vereor,
Ne me quoque, cum domum ab Ilio cessim revertero,
Præter album canem cognoscat nemo.
Non. Album pro miti ac placido, & Cognoscere.

Ubi quod lupam alumni fellarunt olim. *Non. Alumni.*

Quod Minerva propter stetit, significare eum propter doctrinam. *Non. Propter.*

Diogenem postea pallium solum habuisse, & habere Ulyssem meram tunicam, pileum ideo non habere. *Non. Meram, pro solam.*

Unam enim viam Zenona mœnisse, duce virtute: hanc esse nobilem: alteram Carneadem desubulasse, bona corporis secutum. *Non. Desubulare, pro perfodere.*

Alteram viam deformasse Carneadem, virtutis, e cupis acri aceti. *Non. Capa vel Cupa.*

Itaque tum equum mordacem calcitronem horridus miles ac vir non vitabat. Nunc emunt trossuli, nardo nitidi, vulgo Attico talento equum. *Non. Trossuli & Calcitrones.*

In castris permansi, inde caballum reduxi ad Censorem. *Non. Caballus.*

Quid enim est, quod homo masculus libentius videre debeat, quam bellam uxorem? *Non. Bellum, pro eleganti.*

Qui se in ganeum accensum conjecit amicæ. *Non. Ganeum, neutro genere.*

Jugere volitans milvius, aquam nubibus. Tortam indicat fore, ut tegillum pastor sibi sumat. *Non. Tegillum a tecto. Vel sic:*

In aere volitans milvus, aquam e nubibus Tortam indicat fore, tegillum ut pastor sibi sumat. *Senarii sunt, quorum lectionem hanc esse germanam judico, conjectura ductus literata. Imbris autem prognosticon continent.*

SEXAGESIS.

*

Eo uti viaticum ex arcula adderem in bulgam. *Non. Bulga.*

Nec quassagipennas anates termipedas buxeis rostris pecudes, paludibus nocte nigra ad lumina lampadis sequens. *Non. Pecudes.*

Adest fax involuta incendio. *Non. Involutum, occupatum.*

Se circumſpexe atque inveniſſe, cum dormire cœpiſſet, tam glaber quam Socrates calvum eſſe factum ericium pilis albis cum proboſcide. *Non. Proboſcis & Eritium.*

— — — ut nitens
Pavonis collus, nihil extrinſecus humens.
Non. Collus, maſc. gen.

Sic canis fit e catello, ſic e tritico ſpica. *Non. Spica.*

Romam regreſſus ibi nihil offendi, quod ante annos quinquaginta, cum primum dormire cœpi, reliqui. *Non. Offendere, invenire.*

In quarum locum ſubierunt inquilinæ impietas, perfidia, impudicitia, impudentia. *Nonius, Subire, ſuccedere.*

An ſi equam emiſſes quadrupedem, ut meo aſino Reatino admitteres, quantum popoſciſſem dediſſes æquimenti? *Non. Æquimentum, non Æquamentum.*

Avidus judex reum ducebat eſſe κοινὸν hoc modo. *Non Ducere, id eſt, exiſtimare.*

Quod leges jubent non faciunt, δὸς καὶ λάβε fervit omnino. *Non. Fervit, pro fervet.*

Sumtum comitia habebant, ubi nunc fit mercatus. *Non. Mercatus.*

Tunc nuptiæ videbant oſtreas Lucrinas. *Non. Oſtreæ.*

Acciti ſumus ut depontaremur, murmur fit verus. *Non. Murmur, maſc. gen.*

Vix ecfactus erat, cum more majorum ultro carnales arripiunt, de ponte in Tiberim deturbant. *Non. Carnales.*

Sinibus craffis hui muli, non videmus quid fiat? *Non. Craſſum, pro hebeti.*

Nunc quis patrem decem annorum natus, non modo aufert, ſed tollit niſi veneno? *Non. Tollere & Auferre.*

O ſtulta noſtri pectoris dormitio vigilabilis. *Non. Dormitio, & Puelli, pueri.*

Ultro intra pectus dormitio vigilabilis
Quæ me puellum impuberem cepiſti. *Non. ibidem.*

Qui nobis miniſtrarunt pueri diebus feſtis cicer viride: qui nos provocare, advocare cum audeant, non illos revocare timemus? *Non. Revocare, per vices mutare.*

Ergo tum Romæ parce pureque pudentes
Vivere cum patria, nunc ſumus in rutuba.
Non. Rutuba, perturbatio.

Erras (inquit) Marce, accuſare nos ruminaris antiquitates. *Non. Ruminari.*

SYNISTOR.

*

Eclipſis quando fit, cur Luna laboret? & ſi hoc ridicule credunt, dicant quid laborent? *Philarg. in II Georgicorum.*

SYNEPHEBUS

Περὶ ἐμμονῆς.

*

Hodie ſi poſſumus, quod debemus, populo, in foro medio, luci claro decoquere. *Non. Lux, genere maſculino.*

Quid te facere oportet, literis imbutum solis Minervæ. *Non. Imbuere, initiare.*

Hic narium seplasiæ, hic hedycus Neapolis. *Non. Seplasia, femin. genere.*

Verere, ne manu non mittat: cum octo medicarios honestos audissemus dare possis, mittet. quod si non mittet, fugies, si me audies, cum tempus revocat, ea præcox est fuga. *Non. Præcox, id est, præcoqua.*

Crede mihi, plures dominos servi comedere, quam canes. Quod si Actæon occupasset, & ipse prius suos canes comedisset, non nugas saltatoribus in theatro fieret. *Non. Occupare.*

TANAQUIL.

*

Non modo absens quidquam de te sequius cogitabit, sed etiam ruminabitur humanitatem. *Nonius, Ruminare, in memoriam revocare.*

ΤΑΦΗ ΜΕΝΙΠΠΟΥ.

*

In carteo stadio ἐπιταφίων lego, a quo qui certasset animo, bellus homo, magis delectatus Stoicorum pancratio, quam Athletarum. *Non. Bellum, pro eleganti.*

Ubi lubet, ire licet accubitum, accedo, strenuus: fussilimus, quod esurigo findebat costas. *Non. Esurigo, id est, fames.*

Inde putidas uvas acinis electis & comestis extendit in lectis quondam. *Non. Putidum.*

— — — — — ἡ ἀπάντησις.

Edones Romam? ut turba intendat annonam: ſed propter phagones ficedulam pinguem, aut turdum, niſi volantem, non video. *Nonius, Edones & Phagones.*

Nec piſtorem ullum noſſent, niſi eum, qui in piſtrino pinſeret farinam. *Nonius, Pinſere, tundere, molere.*

Perrexit in interiores partes domuis poſticæ, ut ait Plautus, penitiſſumæ. *Nonius, Poſtica, & Domuis pro domus.*

Quod cœperas modo in via narrare, ut ad exodium ducas. *Non. Exodium, id eſt, finis.*

Ille nobilis quondam canes
Hinc liquit omnes homines in terræ pila.
Non. Linquere, pro dimittere.

Diogenem literas ſciſſe, dum uſioni quod ſatis eſſet: hunc quod etiam acta bellorum hominum. *Non. Uſio pro uſu, & bellum pro eleganti aut prudenti.*

Romam ipſam in Narcoſi, cenon qui in orbe internundinum calumniarentur. *Non. Internundinum, nundinæ.*

Περὶ ἔχοντος ταριχείας. mihi facies mæandrata & vermiculata, atque etiam adeo cingens orbem terræ. *Non. Mæander, picturæ genus.*

Pavimenta & parietes cruſtati. *Non. Incruſtatum.*

Sed quæ neceſſitas te jubet aquam effundere domi tuæ, ſi vaſa habes pertuſa, plumbum non habes? ad quam rem nobis eſt confluvium? ad quam rem urnarium? In pavimento non audes facere lacunam, at in humu calceos facis elixos? *Nonius, Elixum, & Humu pro humo. Urnarium.*

Non vides in magnis peristyliis, qui cryptas domi non habent, sabulum jacere a pariete aut cryptis, ubi ambulare possint. *Non. Sabulum.*

Non vides in publica nocte te tabernas, qua populus ambulando perinde ut in arato porcas reddit. *Non. Porcæ.*

Aliquot Romæ sunt, qui in cellas vinarias fructuis parant, ut vendant. *Non. Fructuis, pro fructus.*

Hæc Numa Pompilius fieri si viderit, sciet suorum institutorum nec volam nec vestigium apparere. *Non. Vola, id est, media pars manus.*

Antiqui nostri domibus lateritiis paululum modo lapidibus suffundatis, ut humorem effugerent, habitabant. *Non. Suffundatum, id est, subjectum.*

Ut hirundines figulis oblitis luto tegulas fingebant. *Non. Fingere.*

At in segetibus post messem colligebant stramenta, quis domicilia colerent. *Nonius, Colere, id est, ornare.*

Nihilo magis dicere muliebre, quam de muliebri ricino palliolum simplex. *Non. Ricinium, palliolum femineum.*

Sed ut canis sine coda. *Non. Coda.*

Saltem infernus tenebrosus *κακοδαίμονας* tenet, atque habet homines sollicitos: quod eum pejus formidant, quam fullo ululam. *Non. Habere, id est, facere.*

TESTAMENTUM

Περὶ διαθήκων μετὰ φιλοφθονίας.

*

Venio nunc ad alterum genus testamenti, quod

dicitur Physicum, in quo Græci belliores, quam Romani nostri. *Non. Belliores, meliores.*

Sic ille puellus Veneris, repente vado cecidit cruentus olim. *Non. Puelli, pueri.*

Si quis mihi filius unus pluresve in decem mensibus gignuntur, ii si erunt ὄνοι λύρας, exheredes sunto. Quod si quis undecimo mense κατ' Ἀριστοτέλην natus est, Accio idem quod Titio jus esto apud me. *A. Gell. lib. III, cap. 16.*

Natis quos Menippi hæresis nutricatur, & tutores do,
Qui rem Romanam Latiumque adsciscere vultis.
Non. Nutricatur, pro nutricat.

TITHONUS

Περὶ γήρως.

*

Quem dereliquit multicupida juvenilitas. *Non. Juvenilitas, juventus.*

Ac mammam lactis sugentem pascere puppum. *Non. Pupi.*

Qua voluntatem ævitatis extima attigit metam ævitas
Sic invitata matura anima, corporeum corticem facile relinquit. *Non. Cortex.*

Risi multum, lusi modice ambos. *Non. Modicum.*

ΤΟΥ ΠΑΤΡΟΣ ΤΟ ΠΑΙΔΙΟΝ

Περὶ παιδοποιΐας.

*

Assanos multos quod parere ea non poterat, mulierem foras betere jussit. *Non. Betere, id est, ire.*

Liberos parare cui necesse sit, non est merum,

nec tu edepol quid ſimulas tuis. *Non. Merum, id eſt, ſolum.*

Quare ſi Dia gens eſt, ad amuſſim, per me licet aſſumas, teneo Μακράν. *Non. Examuſſim.*

Etiamſi audiſſet, reddere potuiſſet mulieri tetricæ, horrenti: ducat ad Appiam moribus bonis. *Non. Tetrica, id eſt, ſevera.*

ΤΡΙΟΔΙΤΙ ΤΡΙΦΩΛΙΟΣ, vel ΤΡΙΦΑΛΛΟΣ

Περὶ ἀρετῆς καὶ φύσεως.

*

Priuſquam in Orcheſtra pithaules inflet tibias, domi ſuæ ramices rumpit. *Non. Ramices.*

Nam ut equus, qui ad vehendum eſt natus, tamen hic traditur magiſtro, ut equiſo doceat tolutim. *Non. Tolutim, Equiſo.*

Illud vero quondam egi, ut ego non metuam fulmen, non haruſpicem triſtem, ſimul ac dici non quæro. *Non. Triſte.*

Nec coruſcus imber, alto nubilo cadens,
Multus, grandine implicatus albo. *Non. Grando.*

TRIPHALLUS

Περὶ ἀῤῥενότητος.

*

Ego nihil narro: adeo hic ita curat, qui ante me eſt, neſcio quis longurio. *Non. Longurio, id eſt, longus.*

Calamiſtra. *Soſip. lib. I. Calamiſtra, gen. neut.*

VÆ VICTIS

Περὶ φιλονεικίας.

*

Libet me Epigrammata facere, & quoniam no-

mina non memini, quod in ſolum mihi venerit, ponam. *Non. Caſus pro caſu.*

Quis rotundam facere cætram nequeat? *Nonius, Cætra, obſtaculum, ſcutum.*

Pugilis ſpectatores, qui miſerum putatis vinci, quæro a vobis, ſi adverſarius ſupercilia mi ceſtis deſcobinarit, num quis veſtrûm ſuam mihi eſt daturus? *Non. Ceſtis, pro ceſtibus.*

Properate vivere pueræ,
Quas ſinit ætatula ludere,
Eſſe, amare, & Veneris tenere bigas.
Non. Puera, id eſt, puellæ.

VINALIA

Περὶ ἀφροδισιῶν.

*

—— —— Etenim ſic vide.
Utrum mercedem accipitis, qui meas venit
Segetes ut ſarriat, an egò ab illo? ſic ego
Centuſſim ſartor, ſitu plus laboras, quam ego do.
Non. Sartores.

VIRGULA DIVINA.

*

Oleum in lucubrationem ſervavimus, quod in ſparagos totum legitime vertamus. *Non. Sparagus.*

Ego nunc poſtulo Agamemnona meum: tantus cothurnus accipit Critona caliendrum. *Porphyr. in Horatii lib. I. Sermonum. Caliendrum eſt galericulum.*

Cum neque aptam mollibus humeris fibulam ſagus ferret. *Non. Sagus, maſc. gen.*

Præſertim cum ventrem meum coerceam, nec murmurari patiar. *Non. Murmurari, pro murmurare.*

Primum venit in urbem, atque intra muros, deinde accedit prodius, atque introit domum. *Non. Prodius.*

Et pullos peperit fritinnientes,
Quos non lacte novo levata paſcat,
Sed pancarpineo cibo coacto,
Libamenta legens caduca victus.
Ad quos tum volucres puſillos
Uſque ad limina nidica * * * * vilis.

Nonius, Fritinnire, Levare, Cogere, Legere, Vile pro frequenti.

Non quærenda eſt homini, qui habet virtutem, penula in imbri. *Non. Penula.*

ΥΔΡΟΚΥΩΝ.

*

Non vides apud Mneſtheum ſcribi, tria genera eſſe vini, nigrum, album, medium, quod vocant κιῤῥόν, id eſt, gilvum: & novum, vetus, medium: & efficere nigrum virus, album urinam, medium πέψιν? novum refrigerare, vetus calefacere, medium vero eſſe prandium caninum? *A. Gell. lib. XIII, cap. 30.*

INCERTA.

*

Itaque illa tergiverſari non ſinent, ſecumque rapient. *Non. Tergiverſari.*

Eccleſiam in regiam arcam impancrarunt. *Non. Impancrare.*

Aut frigidos nimbos aqua ista caduciter ruentes, Pertimuerunt aquatiles querquedulæ natantes. *Non. Caduciter, pro præcipitanter.*

Ajace stramentitio. Acre æger medicos exquisitim convocabas, ut convalesceres. *Nonius, Exquisitim.*

Non posset eam amplius perferre, tamen suadet, ut noceat. *Non. Ferre, ex Sat. Caprinum præl.*

Sera parecte. Purgatum scito, quoniam videbis Romæ in foro ante lanienas pueros pila expulsim ludere. *Non. Expulsim.*

Cujus ubi annis multis masculi vestigium inventum est. *Non. Annis multis.*

Anoputio πολιπέκλινε ἐδιάκης. nam in omnibus legi πολιπέκλυς πέρβαιτον. Ne dares, ne polliceres, quod datum est. *Non. Polliceres, pro pollicereris.*

Denique omnes, cum lucerna combusta est in lucubrando, olivitasque consumta est. *Nonius, Olivitas.*

Capite permulso. *Prisc. libro IX.*

Ubi denique Apollo divinus, cum a piratis maritimisque prædonibus & spoliatus ita est & incensus, ut ex tot auri ponderibus, quæ infinita congesserant secula, ne unum quidem habuerit scriptulum, quod hirundinibus hospitis, Varro ut dicit in Menippæis, ostenderet. *Arnób. lib. VI.*

Arenam autem seorsim pro multis, Varro sæpe in Menippæis suis posuit. *Macrobius.*

Cynicus Varro ccc Joves, sive Juppiteres dicendum, sine capitibus introduxit. *Tertullianus in Apologetico cap. 14.*

Quomodo poteſt mundus eſſe, ut ait Varro, ſine capite, ſine præputio? *Seneca in Apocolocyntho ſi, ſive in Ludo de morte Claudii Cæſaris.*

Nocturnum Deum Varro in Satyris perpetuo ſopore & ebrietate torpidum induxit. *Auguſt. de Civitate Dei.*

M. TERENTII VARRONIS LOGISTORICI.

TUBERO SIVE DE ORIGINE HUMANA.

*

Cælum eſt teſta, item vitellum, terra: inter illa duo humor, quaſi in ſinum cluſus aeri, in quo calor. *Probus in Eclogam VI.*

Vitellum appellatum, qui nutriat vitalia. *Idem, ibidem.*

Pythagoras autem, quod erat credibilius, dixit partus eſſe genera duo, alterum ſeptem menſium, alterum decem: ſed priorem aliis dierum numeris conformari, aliis poſteriorem. Eos vero numeros, qui in unoquoque partu aliquid afferunt mutationis, dum aut ſemen in ſanguinem, aut ſanguis in carnem, aut caro in hominis figuram convertitur, inter ſe collatos, rationem habere eam, quam voces habent, quæ in Muſica Symphonæ vocantur. *Cenſorin. de Die natali.*

CATO, DE LIBERIS EDUCANDIS.

Quod petiſti, ut ejus educationis fierem tibi ſocius, quod potui, adminiculavi voluntatem tuam ſcribendo. *Non. Adminiculavi, pro adjuvi.*

Velim me Hercules, inquit, ipſe uſu magno

puerilitatis formulam audire. *Nonius, Puerilitas pro pueritia.*

Et quod perſpicuum eſt, majorem curam nos habere marſupii, quam vitæ noſtræ. *Nonius, Marſupium.*

Male enim conſuetudo importata eſt inexſtinguibilis. *Non. Inexſtinguibilis.*

Educit enim obſtetrix, educat nutrix, inſtituit pædagogus, docet magiſter. *Non. Educit & Educat.*

Anteſtatus eſt fortunam, propter cujus aram ea hoſtia erat cæſa, id quod poſtea verum eſſe. *Nonius, Propter, pro juxta.*

Ut qui contra celeriter erant nati, fere Numerios prænominabant: quod qui cito facturum quid ſe oſtendere volebat, dicebat, Numero id fore, quod etiam in partu precabantur Numeriam, quam Deam ſolent indigitare etiam Pontifices. *Nonius, Numerus.*

Hiſce Manibus lacte fit, non vino: Cuninæ propter cunas, Ruminæ propter rumam, id eſt priſco vocabulo mamma: a quo ſubrumi etiam nunc dicuntur agni. *Non. Ruma, id eſt, mamma.*

Cum primores cibo & potione initiarent pueros, ſacrificabantur, ab Ædilibus Eduſæ, & a potione Potinæ nutrices. *Non. Eduſa & Potina.*

Statilinum, & Statanum & Fabulinum præſideos Deos Varro *Catone*, ſive de liberis educandis, puerilitatis affirmat. A ſtando Statano & Statulino, quorum nomina habent ſcripta Pontifices. Sic, cum primo fari incipiebant, ſacrificabant Divo Fabulino. *Non. Statilinus, Statanus, Fabulinus.*

Cum cibum ac potionem buas ac pappas dicunt: matrem mammam, patrem tatam. *Nonius, Bua, pro potione.*

Vel maxime illic didici fitienti videri aquam mulſum, eſurienti panem cibarium, & exercitato ſomnum ſuavem. *Non. Cibarium.*

Alii adferunt libum ac turundam. *Non. Turunda & Libum.*

Quare meliuſculæ curæ conſuetudinis puerilis illorum, qui ſuis catellis miniſtrant quod edent. *Non. Catelli.*

Pueros impuberes compertum eſt, ſi plurimo cibo nimioque ſomno uterentur, hebetiores fieri: advertimuſque hinc elici tarditatem, corporaque eorum inprocera fieri, minuſque adoleſcere. Idem plerique alii Medicorum, Philoſophorumque, & M. Varro in Logiſtorico ſcripſit, qui inſcriptus eſt *Cato*, aut de liberis educandis. *A. Gellius lib. IV, cap. 9.*

Fortuna ſe illos non natura præſtare, ſi quid his datum ſit eſculentum. *Non. Eſculentum.*

Eam nutricem oportet eſſe adoleſcentem: anuis enim ut ſanguis deterior, ſic lac. Lac enim, ut quidam dicunt Phyſici, ſanguinis ſpuma eſt. *Nonius, Anuis, pro anus.*

Ut cibo utatur modico & idoneo, ut vitet acria, ut eſt ſinapi, cepa, allium. *Non. Cepa.*

Ut faciunt pleræque, ut adhibeant præcantrices, nec medico oſtendunt. *Non. Præcantrix.*

Omnes enim, qui loquuntur, habere debent quoſdam melos. *Non. Melos.*

Melos alterum in cantibus est bipartitum: unum, quod est in assa voce; alterum, quod vocant organicon. Assum autem existimandum est, ut in obsoniis sine pigmento saporis alieni: quemadmodum Merum dicitur solum. *Nonius, Assa voce, id est, sola voce.*

Etenim nulla, quæ non didicit pingere, potest bene judicare, quid sit bene pictum a plumario, aut textore, in pulvinaribus plagis. *Non. Plumarium, a plumando.*

Non in suarum manuum opificio, quibus alno, lino quid faciunt, aut palma. Nam liberti quæstuis causa diribebant res suas pueris. *Non. Quæstuis, pro quæstus.*

Mihi puero modica unica fuit tunica, & toga sine fasciis, calceamenta, equus sine ephippio, balneum non quotidianum, alveus rarus. *Non. Ephippium.*

Ut puellæ habeant potius in vestitu chlamydas, encombomata, ac parnasides, quam tegas. *Nonius, Encombomata & Parnacidæ.*

Magnum est enim, ut Aristoxenus scribit, in primordio puerili, quemadmodum incipiat fingi: ad id quasi evadat. *Non. Fingere, jurare.*

Persæ propter exercitationes pueriles modicas, eam sunt consecuti corporis siccitatem, ut neque spuerent, neque emungerentur, sufflatore corpore essent. *Non. Siccum & Siccitas.*

Ab hujusmodi lusionibus radices crudelitas agere solet. *Non. Lusus vel Lusio.*

Et ut in grege opilio oves minus idoneas re-

movere ſolet, quas reiculas appellat. ſæpe enim unus puer petulans atque impurus; inquinat gregem puerorum. *Non. Reiculæ oves.*

Alii ſunt circumtonſi, & terti atque unctuli, ut mangonis eſſe videantur ſervi. *Non. Terta, pro terſa.*

Itaque Ambraciæ primum capillum puerilem demtum, item cirros ad Apollinem ponere ſolent. *Non. Cirri, capitis pili.*

Non ſolum qui primus in alterutra re præſtet alios, ſed etiam qui ſit ſecundus & tertius. *Non. de Numeris & caſibus.*

Omnia inquam in docendis pueris, quæ damna non prohibent verum bonum fieri: mediocria modica ſunt. *Non. Modicum, Mediocre.*

Remoriſſimum ad docendum formido, ac nimius timor, & omnis perturbatio animi: contra delectatio, protelo ad dicendum. *Non. Protelare.*

Itaque domi rituis noſtri, qui per Dium Fidium jurare vult, prodire ſolet in publicum. *Nonius, Rituis, pro ritus.*

Sculna. *A. Gell. lib. XX, cap. 10.*

DE ARGONAUTIS. EX UNO LIBRORUM IV.

*

Pars Parthorum Media eſt appellata a Medo, filio Medeæ & Ægæi. *Probus Grammat.*

ATTICUS DE NUMERIS.

*

Id moris, inſtitutique majores noſtri tenuerunt,

ut cum die natali munus annale Genio solverent, manum a cæde ac sanguine abstinerent, ne die, quo ipsi lucem accepissent, aliis demerent. *Censorin. de Die natali.*

LATERENSIS.

*

Parsurus pecuniis bene partis. *Prisc. lib. IX.*

MARIUS
DE FORTUNA.

*

Est natio hominum juxta agrum Prænestinum, qui Carsitani vocantur ἀπὸ τῶν καρυῶν, cujus rei meminit Varro in Logistorico, qui inscribitur *Marius, Fortuna.* Inde scilicet Prænestinæ nuces. *Macrob. Saturnal. lib. III, cap. 18.*

MESSALA
DE VALETUDINE.

*

Antiquos agrestes venandi peritos, cum plurimum in silvis agerent, quod velut Diana duce ad investigandas feras paterent, Devianam appellasse Deam, mox Dianam, quod intelligerent eandem esse, quæ diem nascentibus daret. *Probus in Bucol. Virgilii.*

DE MORIBUS.

*

Mos est judicio animi, quem sequi debet consuetudo. *Macrob. lib. III, cap. 8.*

DE NATURA RERUM.

*

Nec familiæ rixent cum vicinis. *Nonius, Rixent, pro rixentur.*

NEPOS.

*

Hæc præſepes, *Soſip. lib. I.*

ORESTES DE INSANIA.

*

Olympiadem, Philippi uxorem, feſtiviſſime reſcripſiſſe legimus Alexandro filio. Nam cum is ad matrem ita ſcripſiſſet: Rex Alexander, Jovis Hammonis filius, Olympiadi matri ſalutem dicit: Amabo, inquit, mi fili, quieſcas, neque differas me, neque criminere adverſus Junonem. malum mihi prorſum illa magnum dabit, cum tu me literis tuis, pellicem illi eſſe confitearis. *A. Gell. lib. XIII.*

PAPPUS DE INDIGITAMENTIS.

*

Naſturtium non vides ab eo dici, quod naſum torqueat: Veſtiſpicam, quod veſtes ſpiciat. *Non. Veſtiſpici, veſtium cuſtodes.*

PIUS, DE PACE.

*

Cajum Salluſtium ſcriptorem ſeriæ illius & ſeveræ orationis, in cujus hiſtoria notiones Cenſorias fieri atque exerceri videmus, in adulterio deprehenſum, ab Annio Milone loris bene cæſum dicit, &, cum dediſſet pecuniam, dimiſſum. *Gell. lib. XVII, cap. 18.*

SISENNA DE HISTORIA.

Quod si non horum omnium similia essent principia, ac post principia, susque deque esset. *Idem, lib. XVI, cap. 9.*

SCAURUS.

*

Glutinum ferunt Dædalum invenisse. *Sosip. lib. I. Glutinum quasi gaudium, præmium.*

Palumbi. *Idem, Palumbi, masculino genere.*

INCERTA.

*

Varro in libris Logistoricis dicit, ideo mortuis Salve & Vale dici, non quod valere, aut salvi esse possint, sed quod ab iis recedimus, eos amplius nunquam visuri. *Serv. in lib. V Æneidos.*

M. TERENTII VARRONIS ΠΕΡΙΠΛΟΥ ΦΙΛΟΣΟΦΙΑΣ.

*

Tum vero doces historiam necessariam, unum singulum esse. *Non. Singulum, pro singulare.*

In hac civitate tum regnabat Dionysius, homo garrulus & acer. *Non. Garrulæ.*

In hac civitate agros colunt arenosos. propter hos fluit amnis, quam olim Albulam dicunt vocitatam. *Non. Amnis, feminino genere.*

LIB. II.

Itaque videas barbato rostro illum commentari, & unumquodque verbum statera auraria ponderare.

Ac nulla ambrosia & nectar, non allia, Sardæ,

& panis, pemma lucuns, cibus, qui puriſſimus multo eſt. *Non. Lucuns.*

Et ne erraremus, Ectropas eſſe multas: omnino tutum eſſe, ſed ſpiſſum iter. *Non. Spiſſum.*

M. TERENTII VARRONIS PROMETHEI

LIB. I.

*

Humanam quandam gentem ſtirpis, inquit, frigus calore, atque humore artitudinem miſcet. *Non. Aritudinem, pro ariditate.*

Id ut ſcias, audi hoc, quod falſum dicis eſſe, nemini oculos opus eſſe, ſi habet. *Non. de Numeris & caſibus.*

Mortales nemo exaudit, ſed late incolens
Barathrum, inhoſpitalis campis vaſtitas.
Nonius, Vaſtitas.

Ego infelix non queam vim propulſare, atque inimicum orco dimittere: nequidquam ſæpe æratas manus compedes conor revellere. *Non. Compedes.*

In tenebris ac ſuili vivunt, niſi non forum hara, atque homines qui nunc, plerique ſues ſunt exiſtimandi. *Non. Hara.*

Aliæ mitram vicinam, aut mitram Meliţenſem. *Non. Rica, ſudarium.*

Lenis mens cum ſomnorinas imagines
Affatur, non umbrantur ſomno pupulæ.
Non. Somnurnæ, quæ in ſomnis videntur.

LIB. II.

*

Cum ſumere cœpiſſet, voluptas retineret. cum ſat

haberet, ſatias manum de menſa tollere. *Non. Satias, pro ſatietas.*

Retrimenta cibi, quæ exirent, per poſticum vallem feci. *Non. Poſtica, neutro genere.*

INCERTI LIBRI.

*

Æmulum iſtius artis atque obſtrigillatorem, quæ per aliquot annos quæſti nihil fecerit. *Non. Quæſti, pro quæſtus.*

Eburneis lectis & plagis ſigillatis. *Non. Plaga.*

Chryſodandalos vocat ſibi amiculum de lacte & cera Tarentina, quam apes Mileſiæ coegerint, ex omnibus floribus libantes, ſine oſſe & nervis, ſine pelle, ſine pilis, puram, putam, proceram, candidam, teneram, formoſam. *Non. Putus.*

Tum viſus ſupernus cortex, aut cacumina
Morientum in quercu, & arborum altitudine.
Non. Cortex.

Atque exſanguibus dolore, evireſcat colos. *Non. Evireſcat. ex libro XV.*

M. TERENTII VARRONIS DE FORMA PHILOSOPHIÆ

LIB. I.

*

LIB. II.

*

Capparim. *Soſip. lib. I. Capparim, feminino genere.*

M. TERENTII VARRONIS DE PHILOSOPHIA LIBER.

Quatuor esse quædam, quæ homines sine magistro, sine ullo doctrinæ adminiculo, sine industria vel arte vivendi, quæ virtus dicitur, & procul dubio discitur, velut naturaliter appetunt: aut voluptatem, qua delectabiliter movetur corporis sensus, aut quietem, qua fit, ut nullam molestiam quisque corporis patiatur, aut utramque, quam tamen unico nomine voluptatis Epicurus appellat; aut universaliter. Prima naturæ, in quibus & hæc sunt, & alia, vel in corpore, ut membrorum integritas, & salus atque incolumitas ejus, vel in animo, ut sunt ea, quæ vel parva, vel magna in hominum reperiuntur ingeniis. Hæc igitur quatuor, id est, voluptas, utrumque, prima naturæ, ita sunt in nobis, ut vel virtus, quam postea doctrina inserit, propter hæc appetenda sit: aut ista propter virtutem, aut utraque propter se ipsa: ac per hoc fiunt hinc duodecim sectæ; per hanc enim rationem singulæ triplicantur: quod cum in uno demonstravero, difficile non erit, id in ceteris invenire.

Cum ergo voluptas corporis, animi virtuti aut subditur, aut præfertur, aut jungitur, tripartita variatur diversitate sectarum.

Subditur autem virtuti, quando in usum virtutis assumitur. Pertinet quippe ad virtutis officium, & vivere patriæ, & propter patriam filios procreare: quorum neutrum fieri potest sine corporis voluptate.

Nam sine illa nec cibus potusque sumitur, ut vivatur; nec concumbitur, ut generatio propagetur. cum vero præfertur virtuti, ipsa appetitur propter se ipsam. Virtus autem assumenda creditur propter illam, id est, ut nihil virtus agat, nisi ad consequendam, vel conservandam corporis voluptatem. quæ vita deformis est quidem, (quippe ubi virtus servit dominæ voluptati, quamvis nullo modo hic dicenda sit virtus:) sed tamen ista horribilis turpitudo quosdam Philosophos patronos & defensores suos habuit. Virtuti porro voluptas jungitur, quando neutra earum propter alteram, sed propter se ipsas ambæ appetantur.

Quapropter sicut voluptas vel subdita, vel prælata, vel juncta virtuti, tres sectas facit: ita quies, ita utrumque, ita prima naturæ, alias ternas inveniuntur efficere. Pro varietate quippe humanarum opinionum virtuti aliquando subduntur, aliquando præferuntur, aliquando junguntur, ac sic ad duodenarium sectarum numerum pervenitur.

Sed iste quoque numerus duplicatur, adhibita una differentia, socialis videlicet vitæ: quoniam quisquis sectatur aliquam istarum duodecim sectarum, profecto aut propter se tantum id agit, aut etiam propter socium, cui debet hoc velle, quod sibi. Quocirca sunt duodecim eorum, qui propter se tantummodo unamquamque tenendam putant, & aliæ duodecim eorum, qui non solum propter se, sic vel sic philosophandum esse decernunt, sed etiam propter alios, quorum bonum appetunt, sicut suum. hæ autem sectæ viginti quatuor, iterum geminantur

addita differentia ex Academicis novis, & fiunt quadraginta octo.

Illarum quippe viginti quatuor unamque sectarum potest quisque sic tenere ac defendere, ut certam, quemadmodum defenderunt Stoici, quod hominis bonum, quo beatus esset, in animi tantum virtute consisteret. Potest alius ut incertam, sicut defenderunt Academici novi, quod eis, etsi non certum, tamen verisimile videbatur.

Viginti quatuor ergo fiunt per eos, qui eas velut certas propter veritatem, & aliæ viginti quatuor per eos, qui easdem velut incertas, propter verisimilitudinem sequendas putant. Rursus, quia unamquamque istarum quadraginta octo sectarum potest quisque sequi habitu ceterorum Philosophorum; itemque potest alius habitu Cynicorum: ex hac differentia duplicantur, & nonaginta sex fiunt.

Deinde quia earum singulas quasque ita tueri homines possunt, atque sectari, ut aut otiosam diligant vitam, sicut hi, qui tantummodo studiis doctrinæ vacare voluerunt, atque valuerunt: aut negotiosam, sicut hi, qui cum philosopharentur, tamen administratione reipublicæ regendisque rebus humanis occupatissimi fuerunt: aut ex utroque genere temperatam, sicut hi, qui partim erudito otio, partim necessario negotio, alternantia vitæ suæ tempora tribuerunt.

Propter has differentias potest etiam triplicari numerus iste sectarum, & ad ducentas octoginta octo perduci.

Removet ergo prius omnes illas differentias, quæ numerum multiplicavere sectarum: quas ideo removendas putat, quia non in eis est finis boni. Neque enim existimat ullam philosophiæ sectam esse dicendam, quæ non eo distet a ceteris, quod diversos habeat fines bonorum & malorum: quandoquidem nulla est homini causa philosophandi, nisi ut beatus sit; quod autem beatum facit, finis boni: nulla est igitur causa philosophandi, nisi finis boni. Quamobrem quæ nullum boni finem sectatur, nulla philosophiæ secta dicenda est.

Cum ergo quæritur de sociali vita, utrum sit tenenda sapienti ut summum bonum, quo fit homo beatus, ita velit & curet amici sui, quemadmodum suum, an suæ tantummodo beatitudinis causa faciat, quidquid facit, non de ipso summo bono quæstio est, sed de assumendi vel non assumendi socio ad hujus participationem boni, non propter se ipsum, sed propter eundem socium, ut ejus bono ita gaudeat, sicut gaudet suo. Item cum quæritur de Academicis novis, quibus incerta sunt omnia, utrum sint ita res habendæ, in quibus philosphandum est, an sicut aliis Philosophis placuit, certas eas habere debeamus, non quæritur quid in boni fine sectandum sit, sed de ipsius boni veritate, quod videtur sectandum, utrum sit necne dubitandum; hoc est, ut ita planius eloquar, utrum ita sectandum sit, ut, qui sectatur, dicat esse verum, an ita, ut, qui sectatur, dicat sibi videri, etiamsi forte sit falsum; tamen uterque sectetur unum atque idem bonum. In illa etiam differentia, quæ adhibetur ex

habitu & consuetudine Cynicorum, non quæritur quisnam sit finis boni, sed utrum in illo habitu & consuetudine sit vivendum ei, qui verum sectatur bonum, quodlibet ei verum esse videatur atque sectandum.

Denique fuerunt, qui, cum diversa sequerentur bona finalia, alii virtutem, alii voluptatem, eundem tamen habitum & consuetudinem tenebant, ex quo Cynici appellabantur. Ita illud, quidquid est, unde Philosophi Cynici discernuntur a ceteris, ad eligendum ac tenendum bonum, quo beati fierent, utique nihil valebat: nam si aliquid ad hoc interesset, profecto idem habitus eundem finem sequi cogeret, & diversus habitus eundem sequi finem non sineret.

Has quatuor adhibens differentias, id est, ex vita sociali, ex Academicis novis, ex Cynicis, ex istꝰ vitæ genere tripartito, ad sectas CCLXXXVIII pervenit, & si quæ aliæ possunt similiter adjici, remotis iis omnibus, quoniam de sectando summo bono nullam inferunt quæstionem, & ideo sectæ nec sunt, nec vocandæ sunt: ad illas duodecim, in quibus quæritur, quid sit bonum hominis, quo assecuto sit beatus, ut ex eis unam veram, ceteras falsas esse ostendat, revertitur.

Nam remoto illo tripartito genere vitæ, duæ partes hujus numeri detrahuntur, & sectæ nonaginta sex remanent. Remota vero differentia ex Cynicis addita, ad dimidium rediguntur, & quadraginta octo fiunt. Auferamus etiam, quod ex Aca-

demicis novis adhibitum est: rursus dimidia pars remanet, id est, viginti quatuor.

De sociali quoque vita quod accesserat, similiter auferatur, & duodecim sunt reliquæ, quas ista differentia, ut viginti quatuor fierent, duplicaverat. De his ergo duodecim nihil dici potest, cur sectæ non sint habendæ, nihil quippe aliud in eis quæritur, quam finis bonorum & malorum: inventis autem bonorum finibus, profecto e contrario sunt malorum. Hæ autem ut fiant duodecim sectæ, illa quatuor triplicantur, Voluptas, Quies, Utrumque, & prima Naturæ, quæ primigenia Varro vocat. Hæc quippe quatuor dum singulatim virtuti aliquando subduntur, ut non propter se ipsa, sed propter officium virtutis appetenda videantur, aliquando præferuntur, ut non propter se ipsa, sed propter hæc adipiscenda vel conservanda, necessaria virtus putetur: aliquando junguntur, ut propter se ipsa & virtus, & ista appetenda credantur: quaternarium numerum, triplum reddunt, & ad duodecim sectas perveniunt. ex illis autem quatuor rebus Varro tres tollit, voluptatem scilicet, & quietem, & utrumque: non quod eas improbet, sed quod primigenia illa naturæ & voluptatem inter se habeant, & quietem. Quid ergo opus est, ex his duabus tria quædam facere, duo scilicet cum singulatim appetuntur, voluptas aut quies, & tertiam cum ambæ simul: quandoquidem prima naturæ, & ipsas, & præter ipsas, alia multa contineant. De tribus ergo sectis, ei placet, diligenter esse tractandum, quænam sit potius eligenda.

Quia ſummum bonum in philoſophia, non arboris, non pecoris, non Dei, ſed hominis quæritur, quid ſit ipſe homo, quærendum putat. Sentit quippe, in ejus natura duo eſſe quædam, corpus & animam; & horum quidem duorum melius eſſe animam, longeque omnino præſtabilius, non dubitat. Sed utrum anima ſola ſit homo, ut ita ſit ei corpus tanquam equus equiti, quærendum putat. Eques enim non homo & equus, ſed ſolus homo eſt: ideo tamen eques dicitur, quod aliquo modo ſe habeat ad equum. An corpus ſolum ſit homo aliquo modo ſe habens ad animam, ſicut poculum ad potionem. Non enim calix & potio, quam continet calix, ſimul dicitur poculum, ſed calix ſolus: ideo tamen, quod potioni continendæ ſit accommodatus. An vero nec anima ſola, nec ſolum corpus, ſed ſimul utrumque ſit homo, cujus pars ſit una, ſive anima, ſive corpus: ille autem totus ex utroque conſtet, ut ſit homo? Sicut duos equos junctos, bigas vocamus, quorum ſive dexter, ſive ſiniſter, pars eſt bigarum: unum vero eorum, quoquomodo ſe habeat ad alterum, bigas non dicimus, ſed ambos ſimul. Horum autem trium hoc eligit tertium, hominemque nec animam ſolam, nec ſolum corpus eſſe arbitratur. Proinde ſummum bonum hominis, quo ſit beatus, ex utriuſque rei bonis conſtare dicit, & animæ ſcilicet, & corporis. ac per hoc prima illa naturæ propter ſe ipſa exiſtimat eſſe expetenda, ipſamque virtutem, quam doctrina inſerit,. velut artem vivendi, quæ in animæ bonis eſt excellen-

tissimum bonum. Quapropter eadem virtus, id est, ars agendæ vitæ, cum acceperit prima naturæ, quæ sine illa erant, sed tamen erant etiam, quando eis doctrina adhuc durat, omnia propter se ipsam appetit, simulque etiam se ipsa ipsam; omnibusque simul, & se ipsa utitur, eo fine, ut omnibus delectetur, atque perfruatur magis minusque, ut quæque inter se majora atque minora sunt, tamen omnibus gaudens, & quædam minora, si necessitas postulat, propter majora vel adipiscenda, vel tenenda contemnens.

Omnium autem bonorum, vel animi, vel corporis, nihil sibi virtus omnino præponit, hæc enim bene utitur & se ipsa, & ceteris, quæ hominem faciunt beatum, bonis. ubi vero ipsa non est, quamlibet multa sint bona, non bona ejus sunt, cujus sunt, ac per hoc nec ejus bona dicenda sunt, cui male utenti, utilia esse non possunt.

Hæc ergo vita hominis, quæ virtute & aliis animi & corporis bonis, sine quibus virtus esse non potest, fruitur, beata esse dicitur. Si vero & aliis, sine quibus esse virtus potest, vel ullis vel pluribus, beatior: si autem prorsus omnibus, ut nullum omnino bonum desit, vel animi vel corporis, beatissima. Non enim hoc est vita, quod virtus: quoniam non omnis vita, sed sapiens vita, virtus est. & tamen qualiscunque vita, sine ulla virtute potest esse: virtus vero sine ulla vita esse non potest. Hoc & de memoria dixerim atque ratione, & si quid aliud tale est in homine.

Sunt enim hæc & ante doctrinam: sine his autem

non poteſt eſſe ulla doctrina, ac per hoc nec virtus, quæ utique diſcitur. Bene autem currere, pulchrum eſſe corpore, viribus ingentibus prævalere, & cetera hujuſmodi, talia ſunt, ut & virtus ſine his eſſe poſſit, & ipſa, ſine virtute, bona ſunt: tamen & ſecundum ipſos, propter ſe ipſam diligitur virtus, utiturque illis & fruitur, ſicut virtutem decet. Hanc vitam beatam, etiam ſocialem perhibent eſſe, quæ amicorum bona, propter ſe ipſa diligit, ſicut ſua, eiſque propter ſe ipſos hoc velit, quod ſibi, ſive in domo ſint, ſicut conjux & liberi quicunque domeſtici: ſive in loco, ubi domus ejus eſt, ſicuti eſt urbs, ut ſunt hi, qui cives vocantur: ſive in orbe toto, ut ſunt gentes, quas ei ſocietas humana conjungit: ſive in ipſo mundo, qui cenſetur nomine cæli & terræ, ſicut eſſe dicunt Deos, quos volunt amicos eſſe homini ſapienti, quos nos familiarius Angelos dicimus. De bonorum autem, & e contrario malorum finibus negant ullo modo eſſe dubitandum, & hanc inter ſe & novos Academicos affirmant eſſe diſtantiam, nec eorum intereſt quidquam, ſive alio quolibet habitu & victu in his finibus, quos veros putant, quiſque philoſophetur. Ex tribus porro illis vitæ generibus, otioſo, actuoſo, & quod ex utroque compoſitum eſt, hoc tertium ſibi placere affirmat. Hæc ſenſiſſe atque docuiſſe Academicos veteres, Varro aſſerit, auctore Antiocho, magiſtro Ciceronis & ſuo, quem ſane Cicero in pluribus fuiſſe Stoicum, quam veterem Academicum vult videri. *Georgius Fabricius in Roma ſua pagina CXCVI.*

SALARIA.

In hac secundum lapidem fuit sepulcrum magnificentissimum Licinii, tonsoris Augusti, quem Satyrici insectati sunt: & hoc Epigrammate, quod est apud Cornutum, severissime perstrinxit:

Marmoreo tumulo Licinus jacet, at Cato parvo,
Pompejus nullo, credimus esse Deos?

M. TERENTII VARRONIS
FRAGMENTA, NON INDICATO OPERE
AB AUCTORIBUS ALLATA.

*

Dum ista muginamur, pluribus horis vivimus. *Plin. in præfatione librorum Naturalis Historiæ.*

*

Utile utamur potius, quam ab re abutamur. *Prisc. lib. VIII.*

*

Paupertas enim hæc tum non ita nutricata, ut nunc conspicatur. *Ibid. Conspicatur*, θεωρεῖται.

*

Sed hæc aut omnino non discimus, aut prius desistimus, quam intelligamus, cur discenda sint. Voluptas autem, vel utilitas talium disciplinarum, in postprincipiis exsistit, cum perfectæ absolutæque sint: in principiis vero ipsis, ineptæ & insuaves videntur. *A. Gell. lib. XVI, cap. 18.*

Linea est longitudo quædam, sine latitudine & altitudine. *A. Gell. lib. I.*

*

Sepultus est (Porsena rex) sub urbe Clusio, in

quo loco monumentum reliquit lapide quadrato: ſingula latera pedum lata tricenûm, alta quinquagenûm; inque baſi quadrata intus labyrinthum inextricabilem: quo ſi quis improperet ſine glomere lini, exitum invenire nequeat.

Supra id quadratum pyramides ſtant quinque, quatuor in angulis, & in medio una: in imo latæ pedum ſeptuagenûm, altæ centum quinquagenûm: ita faſtigiatæ, ut in ſummo, orbis æneus, & petaſus unus omnibus ſit impoſitus, ex quo pendeant excepta catenis tintinnabula, quæ vento agitata, longe ſonitus referant, ut Dodonæ olim factum. Supra quem orbem quatuor pyramides inſuper ſingulæ exſtant, altæ pedum centenûm, ſupra quas uno ſolo quinque. *Plin. Nat. Hiſt. lib. XXXVI, cap. 19.*

*

Lix cinis eſt foci. Inde enim cinis luxatis potus medetur, ut licet videre gladiatores, cum deluſerunt, hac juvari potione. *Ibid. cap. 69.*

*

Duo ſunt genera agminum. Quadratum, quod immixtis etiam jumentis incedit, ut ubivis poſſit conſiſtere: pilatum alterum, quod ſine jumentis incedit, ſed inter ſe diviſum eſt, quo facilius per iniquiora loca tramittatur. *Serv.*

*

Quia Dii veri neque deſiderant ea (ſacrificia,) neque depoſcunt: ex ære autem facti, teſta gypſo, vel marmore multo, minus hæc curant: carent enim ſenſu: neque ulla contrahitur, ſi ea non fe-

ceris, culpa; neque ulla, si feceris, gratia. *Arnob. contra gentes libro IV.*

*

Vestales incesti compertæ, causa incognita petuntur, consecuta negliguntur. *Prisc. lib. VIII.*

*

In commentario veteri Fabii Pictoris legi: Muries fit ex sali, quod sale sordidum pisum est, & in ollam rudem fritilem objectum est, & postea id sale virgines Vestales serra ferrea secant. *Non. Sal, neutro genere.*

*

Tribunitio auxilio adminiculati. *Prisc. lib. VIII.*

*

Ab amicis hortaretur. *Idem, ibidem.*

*

Affectatus est regnum. *Diomed. lib. I. Affecto, sed Varro, affectatus est.*

*

Osse scribebant. *Sosip. lib. I. Osse, non osso.*

*

Quid mirum, si ex agri depolitionibus ejiciuntur, hic in cœnaculo polito recipiuntur. *Non. Politiones, agrorum cultus diligentes.*

*

Sicut pulli sic incedunt, & in labellis morsicatim lusitant. *Non. Morsicatim, a morsu.*

*

Quid mihi cum somno, si dormitio tollitur. *Non. Dormitio.*

*

Fulmenta lectum ſcandunt. *Non. Fulmentum, neutro genere.*

*

Olympiam in ludos invitem. *Soſip. lib. I.*

*

Æquinoctium auctumnal. *Ibid. Auctumnal, pro auctumnale.*

*

Sceleris magiſter amicit. *Diomed. lib. I. ubi & ſequentia adducit.*

*

Pecorinæ delitæ literæ.

*

Quiritavi.

*

Furo, ſapivi, & ſapii, famii. *Priſc. lib. VIII, cap. 10. Soſip. lib. I.*

*

Puera, margaritas. *Ibidem.*

*

Schemaſin, curriculum, paſtillum. *Ibidem.*

*

Senatuis, domuis, fluctuis. *Gell. lib. IV, cap. 16.*

*

Præter propter. Pluria. *A. Gell. lib. XIX, c. 10.*

*

Vulturnus ventus. Calvaria. *Seneca Natural. Quæſtionum lib. V. Caper de Orthographia,* Cælius & Varro *Calvariam dicunt.*

*

Ruſticellus, Hercules appellatus, mulum ſuum tollebat. *Plin. Nat. Hiſt. lib. VII, cap. 19.*

*

Mæniana omnia operiebat Serapionis tabula sub veteribus. *Plin. lib. XXXV, cap. 37.*

*

Si quarto die luna erit directa, magnam tempestatem in mari præsagiet, nisi si coronam circa se habebit, & eam sinceram; quoniam illo modo, non ante plenam lunam hiematurum ostendit. Si plenilunio per dimidium pura erit, dies serenos significabit; si rutila, ventos; nigrescens, imbres. Si caligo orbis nubem incluserit, ventos, qua se ruperit: si gemini orbes cinxerint, majorem tempestatem. Et magis, si tres erunt, aut nigri, interrupti atque distracti. Nascens luna, si cornu superiore obatro surget, pluvias decrescens dabit; si inferiore, ante plenilunium; si in media nigritia illa fuerit, imbrem in plenilunio. Si plena circa se habebit orbem, ex qua parte is maxime splendebit, ex ea ventum ostendet. Si in ortu cornua crassiora fuerint, horridam tempestatem: si ante quartam non apparuerit, vento Favonio flante, hiemalis toto mense erit. Si decimo sexto vehementius flammea apparuerit, asperas tempestates præsagiet. *Plin. lib. XVIII, cap. 79.*

*

Manicatis & talaribus tunicis. *Serv. in VIII Æneidos.*

*

Sparum, missile, a piscibus ducta similitudine; qui spari vocantur. *Idem in XI Æneidos.*

*

Ut ſolent Hirpini, qui ambulaturi per ignes, medicamento plantas tingunt. *Idem in XI Æneidos.*

*

Venilia unda, quæ ad litus venit; Salacia, quæ ad ſalum redit. *Idem.*

INCERTA QUO OPERE, ET QUIBUS VERBIS A VARRONE POSITA.

*

Hanc literam (digamma) Terentius Varro dum vult demonſtrare, ita præſcribit VAV. *Caſſiod. de Orthographia.*

*

Varro vult auctoritate ſua efficere, ut H prius ponatur ea litera, quæ aſpirationem confert, & eo magis hoc tentat perſuadere, quod vocalibus quoque dicat anteponi; ut heres, hircus. *Ibid.*

*

Pulcrum aſpirari debere, Varro negat, ne duabus conſonantibus media intercedat aſpiratio, quod minime rectum antiquis videbatur. *Soſip. lib. I.*

*

Graccus & Ortus ſine aſpiratione dici debere Varro ait. Et ortum quidem, quod in eo omnia oriantur: Graccum autem a gerendo, quod mater ejus duodecim menſibus utero eum geſtaverit, aut a gracilitate corporis. *Ibid.*

*

Arenam Varro definit, ſi ab ariditate dicitur, non habere aſpirationem: ſi ab hærendo, ut in fabricis videmus, habere. *Serv. in I Æneid.*

*

Varro tradidit, Cæſarem per I hujuſmodi verba enuntiare ac ſcribere ſolitum eſſe. Inde propter auctoritatem tanti viri, conſuetudinem factam, ut Maximus, Optimus, Peſſimus ſcribatur. *Iſidor. libro I.*

*

Delirus placet Varroni, non Delerus. *Velius Long. de Orthographia.*

*

Varro dicit noſtris jam auribus id lenius per E, ut Mercurius, & commercia dicuntur. *Ibid.*

*

Varroni placet, R literam, ſi primo loco ponatur, non aſpirari. Lector enim ipſe (inquit) intelligere debet, Rodum, tametſi H non habet, Rhodum eſſe: Retorem, Rhetorem. *Caſſiod. de Orthographia.*

*

Ut teſtis eſt Varro, a Sabinis Faſena dicitur, & ſicut S familiariter in R tranſit, ita F in vicinam aſpirationem mutatur. *Velius Long.*

*

Narare per unum R ſcribitur, ut Varroni placet. *Caſſiodor. de Orthographia.*

*

Trabs ab eo, quod dicitur trabis, ut urbs, per P debent ſcribi, licet Varro per B ſcribendum putet, quod in reliquis caſibus B habeant. *Ibidem.*

*

Syllabæ, ut ait Varro, aliæ ſunt aſperæ, aliæ

lenes, proceræ aliæ, aliæ retorridæ, aliæ barbaræ, aliæ græculæ, aliæ duræ, aliæ molles. *Diomed. libro I.*

*

Versus est, ut Varroni placet, verborum junctura, quæ per articulos & commata, ac rhythmos, modulatur in pedes. *Victorin. lib. XI.*

*

Septenarium versum Varro fieri dicit hoc modo, cum ad Jambum trisyllabus pes additur, & fit talis: *Quid immerentibus noces, quid invides amicis? Diomed. lib. III, ut & sequentia.*

*

Octonarius est, cum duo Jambi pedes, Jambico pedi præponuntur.

*

Archilochium Varro illud dicit, quod est tale: *Ex litoribus properantes.*

*

Jambicum novum carmen refert Varro. Exemplum est tale pedum, rhythmumque finit: *Alta navium.*

*

Juventus Attica, ut ait Varro, circum vas ire solita fuit, & quæstus sui causa, hoc genus carminis, scilicet comoediam pronuntiabat.

*

Olim actoribus Tragicis τράγος, id est, hircus, præmium cantus proponebatur, qui Liberalibus, die festo, Libero patri ob hoc ipsum immolabatur, quia, ut ait Varro, depascit vitem.

*

Ut ait Varro, tibia dextra unum habet foramen, sinistra duo: quorum unum acutum sonum habet, alterum gravem.

*

Græcas fabulas ab habitu palliatas, Varro ait, nominari.

*

Terentii Adelphorum principium Varro etiam præfert principio Menandri. *Donat. in vita Terentii.*

*

Exempla in Latina lingua M. Varro esse dicit ubertatis Pacuvium, gracilitatis Lucilium, mediocritatis Terentium. *A. Gell. libro VII, cap. 14.*

*

Licet Varro dicat, Musas Ælii Stilonis sententia Plautino sermone locuturas fuisse, si Latine loqui vellent. *Quinctil. lib. X.*

*

Vates a vi mentis appellatos, Varro auctor est, vel a viendis carminibus, id est, flectendis, seu modulandis. *Isidor. lib. VIII.*

*

Verbum, ut dicit Varro, a veritate dictum est. *Donat. in Terent.*

*

Linguæ a lingendo cibum putat Varro nomen impositum. *Lactant. de ira Dei cap. 10.*

*

Frontem a foratu oculorum nominatum Varro existimavit. *De Opificio Dei cap. 8.*

*

Renes, ait Varro, ita dictos, quod rivi ab his obſcœni humoris oriantur. *cap. 14.*

*

Mulier, ut Varro interpretatur, a mollitie eſt dicta, immutata & detracta litera, velut mollier. *Ibid.*

*

Amœna loca Varro dicta ait, eo quod ſolum amorem præſtent, & ad ſe amandum alliciant. *Iſidor. libro XIV.*

*

Focos Varro ait dictos, quod foveant ignes. *Ibidem, libro XX.*

*

Varro ſpiraculum dicit locum peſtiferi ſpiritus, quem Græci χαρωνεῖα appellant, vel ἀχεροντία. *Ibid.*

*

Veſtibulum, ut Varro dicit, etymologiæ non habet proprietatem, ſed fit pro captu ingenii. *Serv. in VI Æneidos.*

*

Proceres, ait Varro, ideo principes civitatis dici, quia eminent in ea, ſicut in ædificiis mutuli quidam, id eſt, capita trabium, quæ proceres nominantur. *Idem.*

*

Pronubam Varro dicit, quæ ante nupſerit, & quæ uni tantum nupſerit. *Idem.*

*

Varro ait, curculionem κατ' ἀντίςοιχον dictum, quaſi gurgulio, eo quod nihil in eo pæne aliud, quam guttur videtur. *Idem in lib. I Georgicorum*

*

Caper dicitur, qui excastratus est. *Gell. libro IX, cap. 9.*

*

Varro vult, morem esse communem consensum omnium simul habitantium, qui inveteratus consuetudinem facit. *Servius in VII Æneid.*

*

Portenta esse ait Varro, quæ contra naturam nata videantur. *Isidor. libro IX.*

*

Varro dicit, intervalla esse spatia, quæ sint inter capita vallorum, id est, stipitum, quibus vallum fit. *Cassiod. de Orthographia.*

*

Palla secundum Varronem dicta est ab irrigatione, & mobilitate, quæ est circa finem ejusmodi vestium: ἀπὸ τοῦ παλλεῖν. *Serv. in I Æneid.*

*

Dolo est secundum Varronem ingens contus cum ferro brevissimo. *Idem in VII Æneid.*

*

Rubigo est, ut Varro dicit, vitium obscœnæ libidinis, quod ulcus vocatur. id autem ex abundantia & superfluitate humoris solet nasci, quæ Græce σατυρίασις dicitur. *Idem in I Georgic.*

*

Fundus est, quem possis mittere funda. *Quinctil. ex Ciceronis joculari libello:*

Fundum Varro vocat, quem possim mittere funda,
Ni tamen exciderit, qua cava funda patet.

*

Auruginem Varro appellari ait a colore auri. *Isidor. lib. IV.*

*

Hilum Varro tradit significare medullam ejus ferulæ, quam Græci ἀσφόδελον vocant, & sic dici apud nos nihilum, quomodo apud Græcos οὐδὲν γρύ. *Isidor. libro XII & XVII.*

*

Apud Plautum *prosis lectis* Varro ait significare *rectis. Idem libro XI.*

*

Poscere est secundum Varronem, quoties aliquid pro merito nostro deposcimus. Petere vero, est, cum aliquid humiliter & precibus postulamus. *Serv. in IX Æneidos.*

*

Constat Latinitas, ut ait Varro, his quatuor; Natura, Analogia, Consuetudine, Auctoritate. *Diomed. libro XI.*

*

Varro masculino hic pales. *Serv. in III Georg.*

*

Hunc silicem Varro & Lucretius dicunt. *Idem in VIII Æneid.*

*

Nomina, quæ ante U habent I, duplici II genitivo singulari finiri debent, ne necesse sit adversus observationem, cum dicatur I Imperi & Ingeni, nominativo minorem fieri genitivum: idque Varro tradens adjicit, singularem talium no-

minum per duplex II scribi debere, & frequentius casum corrumpi. *Sosip. libro I.*

*

Leontion, Thyrusion, & Faunion. Varroni placet, talia nomina dativo tantum casu & ablativo declinari, ceteris vero sic efferri, ut nominativo. *Ibidem.*

*

Ablativum casum Varro sextum, interdum Latinum appellat. *Diomed. libro I.*

*

Varro ita distinxit, dies masculino genere, unius diei cursum significare, feminino autem temporis spatium. *Sosip. libro I.*

*

Quando particulam pro quàm ponere, Formianus & Fundanius, ut Varro ait, faciunt. *Sosip. ibid.*

*

Dimidium librum legi, aut dimidiam fabulam audivi, vel quid aliud hujusmodi, male ac vitiose dici, existimat Varro. Oportet enim, inquit, dicere dimidiatum librum, non dimidium, & dimidiatam fabulam, non dimidiam. Contra autem, si a sextario hemina fusa est, dimidium, non dimidiatum sextarium fusum dicendum est. Et qui quoque ex mille nummûm, quod ei debebatur, quingentos recepit, non dimidiatum recepisse dicemus, sed dimidium. At si scyphus, inquit, argenteus, mihi cum alio communis, in duas partes dissectus sit, dimidiatum eum dicere esse scyphum debeo, non dimidium. Argenti autem, quod in eo scypho in-

est, dimidium meum esse, non dimidiatum, disserit, ac dividit subtilissime, quid dimidium dimidiato intersit, & Q. Ennium scienter hoc in Annalibus dixisse ait. *Sicuti si quis ferat vas vini dimidiatum. A. Gell. libro III, cap. 14.*

*

Κύβος, est figura, ex omni latere quadrata, quales sunt, inquit M. Varro, tesseræ, quibus in alveolo luditur, ex quo ipsæ quoque appellantur *κύβοι. Idem libro I, cap. 20.*

*

Pelasgi, sicut Varro memorat, cum, sedibus suis pulsi, diversas terras petissent, confluxerunt plerique Dodonam, &, incerti quibus adhærerent locis, ejusmodi accepere responsum, &c. *Macrobius libro I Saturnalium cap. 7. Lactant. libro I Divinarum institut.*

*

Sabini dicti, ut ait Varro, quod ea gens præcipue colat Deos, *ἀπὸ τοῦ σέβεσϑαι. Festus.*

*

Massilienses Varro trilingues esse dicit, quod & Græce loquantur, & Latine, & Gallice: *Isidor. libro XV.*

*

In universam Hispaniam M. Varro pervenisse Iberos, & Persas, & Phœnicas, Celtasque, & Pœnos tradit. Lusum enim Liberi patris aut Lysam cum eo bacchantem, nomen dedisse Lusitaniæ, & Pana præfectum ejus. *Plin. Nat. Hist. libro III, cap. 3.*

*

Secundum Varronem dicere, Diomedem eruta Anchisæ ossa filio reddidisse. *Serv. in IV Æneid.*

*

Tabulam lusoriam invenit Palamedes, ad comprimendas otiosi exercitus seditiones, ut Varro testatur. *Serv. in I Æneidos.*

*

Sciendum, Varronem dicere, Æneam ab Anchise adamatum esse. *Serv. V Æneid.*

*

Varro dicit, Romulum dimicantem contra T. Tatium, a Lucumonibus, hoc est, Tuscis, auxilium postulasse. unde quidam venit cum exercitu, cui, recepto jam Tatio, pars urbis est data, unde in urbe Tuscus dictus est vicus. *Idem. & Festus in voce Tuscus.*

*

M. Manilius Romæ, qui Gallos in obsidione Capitolii obrepentes per ardua depulerat, convictus est consilium de regno occupando inisse, damnatusque capitis e saxo Tarpejo, ut M. Varro ait, præceps datus est. *A. Gell. libro XVII.*

*

Euripidem, M. Varro ait, cum quinque & septuaginta tragœdias scripserit, in quinque solis vicisse: cum eum vincerent aliquot poetæ ignavissimi. *Ibidem.*

*

Cleophantus apud priscos, ipse cognominari se a frigida danda præferens, ut auctor est M. Varro, alia quoque blandimenta excogitabat, jam suf-

pendendo lectulos, quorum jactatu aut morbos extenuaret, aut somnos alliceret, etiam balineas avidissima hominum cupiditate instituendo, & alia multa dictu grata & jucunda. *Plin. Nat. Hist. libro XXVI, cap. 8.*

*

Is Hippocrates, cum fuisset mos, liberatos morbis scribere in templo ejus Dei, qui auxiliatus esset, ut postea similitudo proficeret, exscripsisse ea traditur, atque, ut Varro apud nos credit, jam templo cremato, instituisse medicinam hanc, quæ Clinice vocatur. *Idem libro XXX, cap. 2.*

*

Æmilianum quoque Scipionem Varro auctor est, donatum obsidionali in Africa a Manilio consule, tribus cohortibus servatis, totidemque ad servandas eas eductis. *Idem libro XXII, cap. 6.*

*

Varro scribit, Sicinium Dentatum, centies & vicies pugnasse singulari certamine, cicatrices habuisse adversas quadraginta quinque, post tergum nullam, coronas accepisse XXVI, armillas CXL, & istum primum sacrum fecisse Marti. *Fulgent. de prisco sermone.*

*

Ptolemæum Varro tradit, Pompejo res gerente circa Judæam, octona millia equitum sua pecunia toleravisse: mille convivas, totidem aureis poculis, mutantem vasa cum ferculis, saginasse. *Plin. libro XXXIII, cap. 47.*

Varro & æreum signum Mentoris habuisse se scripsit. *Plin. ibid. cap.* 55.

*

Marcus Varro tradit, sibi cognitum Romæ Posim nomine, a quo facta poma & uvas, ut non posses aspectu discernere a veris.

Idem magnificat Arcesilaum, L. Luculli familiarem, cujus proplasmata pluris venire solita artificibus ipsis, quam aliorum opera. Ab hoc factam Venerem genetricem in foro Cæsaris, & priusquam absolveretur, festinatione dedicandi positam.

Deinde eidem a L. Lucullo HS. LX signum Felicitatis locatum, cui mors utriusque inviderit. Octavio, Equiti Romano, cratera facere volenti, exemplar e gypso factum talento.

Laudat & Pasitelem, qui plasticen matrem statuariæ sculpturæque & cælaturæ dixit: & cum esset in omnibus his summus, nihil unquam fecit, antequam finxit. Præterea elaboratam hanc artem Italiæ, & maxime Etruriæ: Turianumque a Fregellis accitum, cui locaret Tarquinius Priscus effigiem Jovis in Capitolio dicandam. Fictilem eum fuisse, & ideo miniari solitum: fictiles in fastigio templi ejus quadrigas, de quibus sæpe diximus. Ab hoc eodem factum Herculem, qui hodieque materiæ nomen in urbe retinet. *Plin. libro XXXV, cap.* 45.

Ante hanc ædem (Cereris) Tuscanica omnia in ædibus fuisse, auctor est M. Varro. Ex hac cum reficeretur, crustas parietum excisas, tabulis marginatis inclusas esse. *Ibidem, ut & sequentia.*

*

Agoracritus, ea lege ſignum ſuum vendidiſſe dicitur, ut Athenis eſſet, & appellaſſe Nemeſin. Id poſitum eſt Rhamnunte, pago Atticæ, quod M. Varro omnibus ſignis prætulit.

*

Fuere & Theſpiades ad ædem Felicitatis, quarum unam amavit Eques Romanus Junius Piſciculus, ut tradit Varro.

Archeſilaum quoque magnificat Varro, cujus ſe marmoream habuiſſe leænam tradit, aligeroſque cum ea ludentes Cupidines: quorum alii religatam tenerent, alii e cornu cogerent bibere, alii calcearent ſoccis, omnes ex uno lapide. Idem & a Coponio XIIII nationes, quæ ſunt circa Pompejum, factas auctor eſt.

*

Varro auctor eſt, Titium quendam prætura functum, marmorei ſigni faciem habuiſſe propter vitiligines. *Plin. XXXI, cap. 8.*

*

Proprium ejuſdem, (Polycleti) ut uno crure inſiſterent ſigna excogitaſſe, ut ait Varro. *Plin. lib. XXXIV, cap. 19.*

*

Varro ſimplicia in Italia fuiſſe nomina ait, exiſtimationiſque ſuæ argumentum refert, quod Romulus, & Remus, & Fauſtulus, neque prænomen ullum, neque cognomen habuerunt. *Julius Paris in Epitome Val. Maximi de Prænominibus.*

*

Gentilium nomina Varro putat fuiſſe, & prænomina numero circa triginta. *Ibidem.*

*

Anci prænomen Varro a Sabinis translatum putat. *Ibidem.*

*

M. Varro tradit, in Sarranorum familia gentilitium esse, feminas linea veste non uti. *Plin. Hist. Nat. libro XIX, cap. 2.*

*

Varro scribit, eum, qui primus Varro sit appellatus, in Illyrico hostem Varronem nomine rapuerat, & equitem ad suos pertulerat, id cognomen ex insigni facto meruisse. *Serv.*

*

Tradidit Varro, Servium Clodium, Equitem Romanum, magnitudine doloris in podagra coactum, veneno crura perunxisse, & postea caruisse sensu omni æque, quam dolore, in ea parte corporis. *Plin. libro XXV, cap. 7.*

*

Manium Maximum & M. Tullium Equites Romanos binûm cubitorum fuisse, auctor est M. Varro. *Idem libro VII, cap. 16.*

*

Corpore vesco, sed eximiis viribus, Tritanum in gladiatorio ludo Samnitium armatura celebrem, filiumque ejus militem magni Pompei & rectos & transversos cancellatim toto corpore habuisse nervos, in brachiis etiam manibusque, auctor est Varro in prodigiosa virium relatione. Atque etiam hostem ab eo ex provocatione dimicantem, inermi dextra uno digito superatum, & postremo corre-

ptum, in castra translatum. *Idem libro VII, cap. 19. & Solinus in Polyhistore.*

*

Fuisse, qui pervideret CXXXV M. passuum. Huic & nomen M. Varro indidit, Strabonem vocatum. Solitum autem Punico bello a Lylibæo Siciliæ promontorio, exeunte classe Carthaginis portu, etiam navium numerum dicere. *Ibid. cap. 21.*

*

Varro auctor est, Quindecimviris agros dividentibus Capuæ, quendam, qui efferretur feretro, domum remeasse pedibus. Hoc idem Aquini accidisse. Romæ quoque Corfidium materteræ suæ maritum, funere locato revixisse, & locatorem funeris ab eo elatum. E duobus fratribus equestris ordinis Corfidio majori accidisse, ut videretur exspirasse, apertoque testamento, heredem recitatum minorem funeri institisse. Interim eum, qui videbatur exstinctus, plaudendo concivisse urbis suæ ministeria, & narrasse, a fratre se venisse, commendatam sibi filiam ab eo. Demonstratum præterea, quo in loco defodisset aurum, nullo conscio, & rogasse, ut iis funeribus, quæ comparasset, efferretur. Hoc eo narrante, fratris domestici propere annuntiavere exanimatum illum: & aurum, ubi dixerat, repertum est. *Ibid. cap. 53.*

*

Varro unum dicit esse Penates & magnos Deos. *Serv. in III Æneidos.*

Varro & Attejus contra sentiunt, dicentes, Di-

vos perpetuos, Deos, qui propter sui consecrationem timentur. *Idem in V Æneid.*

*

Varro tradit, Pilumnum quendam in Italia fuisse, qui pinsendis præfuit hordeis, unde & Pilumni, & Pistores. Ab hoc ergo pilum & pilam inventa, quibus far pinsitur, & ex ejus nomine appellata. *Isidor. libro VII.*

*

Varro ait, quod ex responso sui oraculi in viis publicis, verbis suis Athenienses statutis altaribus sacrificare Apollini instituerunt, & Ægylæum appellavere. *Porph. in Carmina Horat.*

*

Varro ait Græcum hunc esse morem (aperto capite sacrificandi Herculi), quia sive ipse, sive ab eo relicti, qui aram maximam statuerunt, Græco ritu sacrificaverunt. *Macrob. libro III.*

*

Quam (Fatuam Faunam) Varro filiam Fauni tradidit adeo pudicam, ut extra γυναικονίτην nunquam sit egressa, nec nomen ejus in publico fuerit auditum, nec virum unquam viderit, nec a viro visa sit: propter quod nec vir templum ejus ingreditur. *Idem libro I. & Lactant.*

*

Dominam proprie Matrem Deûm dici, Varro & ceteri affirmant. *Serv. in III Æneidos.*

*

Varro Erebo natam Noctem ait. *Fest.*

*

Talassionem in nuptiis Varro ait signum esse la-

nificii. τάλαρον, id est, quasillum, solitum appellari Talassionem. *Idem.*

*

Lanam cum colo & fuso Tanaquilis, quæ eadem Caja Cæcilia vocata est, in templo Sangi durasse, prodente se, auctor est M. Varro: factamque ab ea togam regiam undulatam in æde Fortunæ, qua Servius Tullius fuerat usus. Inde factum, ut nubentes virgines comitaretur colus comta, & fusus cum stamine. *Plin. libro VIII, cap. 74.*

*

Ut Varro dicit, Æolus rex fuit insularum, ex quarum nebulis, maxime fumo Vulcaniæ insulæ, quod prædicebat futura flabra ventorum, imperitis visus est ventos in sua potestate retinere. *Serv. & Isidor. lib. XIV.*

*

Phorcys, ut dicit Varro, rex fuit Corsicæ & Sardiniæ: qui cum ab Atlante rege navali certamine cum magna exercitus parte fuisset victus & obrutus, finxerunt socii ejus, in Deum marinum esse conversum. *Idem.*

*

In foliis palmarum Sibyllam scribere solere, Varrò testatur. *Idem in III Æneidos.*

*

Dicit Varro, Erythræam creditam scripsisse, quia post incensum Apollinis templum, in quo fuerint libri, apud Erythram insulam ipsa inventa sunt carmina. *Idem in VI Æneidos.*

*

Ut poetæ invocent Nymphas, hanc rationem

Varro dicit, quod ipsæ sint Nymphæ, quæ & Musæ. *Idem.*

*

Secundum Varronem tres sunt Musæ: una, quæ ex aquæ nascitur motu; altera, quam aeris icti efficit sonus; tertia, quæ mera tantum voce consistit. *Idem.*

*

Varro dicit, civitatem, nescio quam, (neque enim recordor nomen) locasse apud tres artifices terna simulacra Musarum, quæ in templo Apollinis Deo poneret, ut, quisquis artificum pulchriora formasset, ab illo potissimum electa emeret. Itaque contigisse, ut opera sua quoque illi artifices æque pulchra explicarent, & placuisse civitati omnes novem, atque omnes emtas esse, ut Apollinis templo dicarentur, quibus postea dicit Hesiodum poetam imposuisse vocabula. Non ergo, ait, Juppiter novem Musas genuit, sed tres fabri ternas fecerunt. Tres autem non propterea civitas illa locaverat, quia in somnis eas viderat, aut tot se cujusquam illorum oculis demonstraverant, sed quia facile erat animadvertere omnem sonum, qui materies cantilenarum est, triformem esse natura: aut enim editur voce, sicut est eorum, qui faucibus sine instrumento canunt; aut flatu, sicut tubarum & tibiarum; aut pulsu, sicut in cytharis, & tympanis, & quibusdam aliis, quæ percutiendo sonora fiunt. *Augustin. de Doctrina Christiana libro II, cap. 17.*

*

Ut Athenæ vocarentur, quod certe nomen a Minerva est, quæ Græce Ἀθηνᾶ dicitur, hanc caussam Varro indicat.

Cum apparuisset illic repente olivæ arbor, & alio loco aqua erupisset, regem prodigia ista moverunt, & misit ad Apollinem Delphicum sciscitatum, quid intelligendum esset, quidve faciendum. Ille respondet, quod olea Minervam significaret, unda Neptunum, & quod esset in civium potestate, ex cujus nomine potius duorum Deorum, quorum signa illa essent, civitas vocaretur.

Isto Cecrops oraculo accepto, cives omnes utriusque sexus (mos enim tunc in iisdem locis erat, ut etiam feminæ publicis consultationibus interessent) ad ferendum suffragium convocavit. Consulta igitur multitudine, mares Neptuno, feminæ pro Minerva tulere sententias: & quia una plus est inventa feminarum, Minerva vicit.

Tunc Neptunus iratus, maris fluctibus exæstuantibus, terras Atheniensium populatus est, quoniam spargere latius quaslibet aquas difficile dæmonibus non est. Cujus ut iracundia placaretur, triplici supplicio dicit idem auctor ab Atheniensibus affectas esse mulieres: ut nulla ulterius ferrent suffragia, ut nullus nascentium maternum nomen acciperet, ut ne quis eas Ἀθηναίας vocaret. *August. de Civitate Dei libro XVIII, cap. 9. ubi etiam sequentia leguntur.*

*

Nec Areopagon vult inde accepisse nomen, quod Mars, qui Græce Ἄρης dicitur, cum homicidii cri-

mine reus fieret, judicantibus duodecim Diis, in eo pago sex sententiis absolutus est, quia ubi paris numeri sententiæ fuissent, præponi absolutio damnationi solebat. Sed contra istam, quæ multo est amplius celebrata, opinionem, aliam quandam de obscurarum notitia literarum, causam nominis hujus conatur adstruere, ne Areopagon Athenienses de nomine Martis & pagi, quasi Martis pagum nominasse credantur: in injuriam videlicet numinum, a quibus litigia vel judicia existimat aliena, non minus hoc, quod de Marte dicitur, falsum esse asseverans, quam illud, quod de tribus Deabus, Junone scilicet, & Minerva, & Venere, quæ pro malo aureo adipiscendo apud judicem Paridem de pulchritudinis excellentia certasse narrantur. *libro XVIII, cap. 10.*

*

Hoc Varro ut adstruat, commemorat alia non minus incredibilia de maga illa formosissima Circe, quæ socios quoque Ulyssis mutavit in bestias, & de Arcadibus, qui, sorte ducta, transnatabant quoddam stagnum, atque ibi convertebantur in lupos, & cum similibus feris per illius regionis deserta vivebant: si vero carne vescerentur humana, rursus post novem annos, eodem renatato stagno, reformabantur in homines. Denique etiam nominatim expressit quendam Demænetum, cum gustasset de sacrificio, quod Arcades, immolato puero, Deo suo Lycæo facere solerent, in lupum fuisse mutatum, & anno decimo in figuram propriam restitutum, ad pugillatum se exercuisse, &

Olympico viciſſe certamine. *Plin. lib. VIII, cap. 34. Aug. de Civit. Dei lib. XVIII, cap. 17.*

Nec idem propter aliud arbitratur ab hiſtoricis in Arcadia tale nomen affictum Pani Lycæo, & Jovi Lycæo, niſi propter hanc in lupos hominum mutationem : quod eam, niſi vi divina, fieri non putarent. Lupus enim Græce λύκος dicitur, unde λυκαίου nomen apparet inflexum. Romanos etiam Lupercos ex illorum myſteriorum veluti ſemine dicit exortos. *Ibidem.*

*

Omnis ager, ut Varro docet, quadrifariam dividitur. Aut enim arvus eſt ager, id eſt, ſationalis, aut conſitus, id eſt, aptus arboribus, aut paſcuus, qui herbis tantum aut animalibus vacat, aut floreus, in quo ſunt horti apibus congruentes & floribus. *Servius in I Georgicorum, & Iſidor. lib. XV.*

*

A ſolo Italico Liburnia Iſtriaque diſcretæ ſunt centenis millibus paſſuum, quod diſtat ab Epiro & Illyrico quinquaginta millia, ab Africa intra ducenta millia, ut Varro commemorat, ab Sardinia centum viginti, a Sicilia mille quingentis, a Corſica minus ſeptuaginta, ab Iſſa quinquaginta. *Plin. lib. III, cap. 6. & Martian. Capel. lib. VI Philologiæ.*

*

Circuitus totius Ponti vicies ſemel centenis quinquaginta millibus, ut Varro quoque non reticet, quia dicit, Europæ totius longitudinem habere ſexagies ter triginta ſeptem millia, paſſuſque quingentos. *Martian. Capel. ibidem.*

*

Varro ad hunc modum metitur: Ab ostio Ponti Apolloniam CLXXXVII M. D. passuum. Calatim tantundem. Ad ostium Istri CXXV, ad Borysthenem CCL M. Chersonesum Heracleotarum oppidum CCCLXXV M. passuum. Ad Panticapæum, quod aliqui Bosphorum vocant, extremum in Europæ ora, CCXII M. D. quæ summa efficit XIII. XXXVII M. D. *Plin. lib. IV, cap. 24.*

*

Dicta Libya, quod inde Lybs flat, hoc est, Africanus, vel ut Varro ait, quasi λείπουσα τοῦ ὕειν, id est, egens pluviæ. *Serv. in I Æneidos.*

*

Insulam Samum prodit Varro prius Parthenium nominatam, quod ibi Juno adoleverit, ibique etiam Jovi nupserit. *Lactant. libro I, cap. 17.*

*

Coos insula adjacens provinciæ Atticæ, in qua Hippocrates medicus natus est, quæ, ut Varro testis est, arte lanificii prima in ornamento feminarum inclaruit. *Isidor. lib. XV, & Plin. lib. XXIX, cap. 2. Solinus in Polyhist.*

*

In agro Reatino Cutiliæ lacum, in quo fluctuet insula, Italiæ umbilicum esse, M. Varro tradit. *Plin. lib. III, 17. Solin. in Polyhist.*

*

A Locris Italiæ frons incipit, Magna Græcia appellata, in tres sinus recedens Ausonii maris: quoniam Ausones tenuere primi: patet octoginta sex

millia paſſuum, ut auctor eſt Varro, plerique LXXV M. fecere. *Plin. lib. III, cap. 15.*

*

M. Varro, octoginta novem civitates eo (ad conventum Salonæ) ventitaſſe, auctor eſt. *Ibid. cap. 26.*

*

Œnotria (ut Varro dicit) ab Œnotro rege Sabinorum. *Serv. in I Æneidos.*

*

Varro Latium dici putat, quod latet Italia inter præcipitia Alpium & Apennini. *Idem in VIII Æneidos.*

*

Palatinus mons, ſecundum Virgilium, a Palante, avo Evandri, eſt dictus: ſecundum Varronem & alios a filia Evandri Pallantia, ab Hercule vitiata, & poſtea illic ſepulta: vel certe a Pallante ejus filio illic ſepulto. *Ibidem.*

*

Ut affirmat Varro auctor diligentiſſimus, Romam condidit Romulus, Marte genitus & Rhea Sylvia. *Solinus in Polyhiſtore.*

*

Ruminalem ficum appellatam, ait Varro, a majoribus, quod ſub ea arbore lupa mammam Remo & Romulo dederit. *Feſtus.*

*

Varro, poſt roſtra fuiſſe ſepulcrum Romuli, dicit. *Porphyr. in Horat.*

*

Ubi cœpit (mare Caſpium) in latitudinem pan-

di, lunatis obliquatur cornibus, velut ad Mæotium lacum ab ore descendens, silicis, ut auctor est M. Varro, similitudine. *Plin. lib. VI, cap. 15.*

*

Haustum ipsius maris (Scythici) dulcem esse & Alexander Magnus prodidit, & M. Varro, talem perlatum Pompejo, juxta res gerenti Mithridatico bello, magnitudine haud dubie influentium amnium victo sale. Adjicit idem, Pompei ductu exploratum, in Bactros septem diebus ex India perveniri ad Icarum flumen, quod in Oxum influat: & ex eo per Caspium in Cyrum subvectas quinque non amplius dierum terreno itinere, ad Phasin in Pontum Indicas posse devehi merces. *Ibidem, cap. 19. & Solin. in Polyhist.*

*

Ab Minio, quem supra diximus, CC M. passuum (ut auctor est Varro) abest Æminius, quem alibi quidam intelligunt, & Limæam vocant. *Plin. lib. IV, cap. 35.*

*

XIV M. passuum inde ad Pyrenæum medium colligi, Varro tradit. *Ibidem.*

*

Vult Varro, Icarum Cretem ibi (in mari Icario) naufragio periisse, & de exitu hominis impositum nomen loco. *Solin. in Polyhistore.*

*

Erythræum mare, ab Erythro rege, Persei & Andromedæ filio, non solum a colore appellatum, Varro dicit, qui affirmat, in litore maris istius fontem esse, quem si oves biberint, mutent vellerum

qualitatem, & antea candidæ amittant quod fuerint usque ad haustum, ac fulvo postmodum nigrescant colore. *Ibidem.*

*

Varro auctor est, perflabilem ibi terram (in Syrtibus Africæ) ventis penetrantibus subitam vim spiritus citissimi aut removere maria, aut resorbere. *Ibidem.*

*

Varro cum de parte orbis, quæ Europa dicitur, dissereret, in tribus primis ejus terræ fluminibus Rhodanum ponit. *A. Gell. libro X, cap. 7.*

*

Varro dicit, Timavum fluvium ab incolis mare nominari. *Serv. in I Æneidos.*

*

Varro dicit, lacum Velinum a Curtio Cos. in Nartem & Narem fluvium derivatum: nam utrumque dicitur esse divisum: post quod tanta secuta est eo loco fertilitas, ut etiam perticæ longitudinem altitudo superaret herbarum. quin etiam quantum per diem demtum esset, tantum per noctem crescebat. *Serv. in I Georgic.*

*

In Syriæ fonte juxta Taurum montem (aquam calculosis mederi) auctor est M. Varro. *Plin. lib. XXXI, cap. 5.*

*

In Cilicia apud oppidum Cescum rivus fluit Nûs, ex quo bibentium subtiliores sensus fieri Varro tradit. At in Cea insula fontem esse, quo hebetes fi-

ant: Zamæ in Africa, quo canoræ voces. Vinum in tædium venire his, qui ex Clitorio lacu biberint. *Plin. eodem libro, cap. 12.*

*

Varro ait, aves, quæ evolaverint (ex Averno) emori. *Ibidem, cap. 18.*

*

Varro ad Soracten ſcripſit eſſe fontem, cujus ſit latitudo quatuor pedum. Sole oriente eum exundare ferventi ſimilem, aves, quæ guſtaverint, juxta mortuas jacere. *Ibidem, cap. 19.*

*

Varro perhibet, fontem in Arcadia eſſe, cujus perimat hauſtus. *Solinus in Polyhiſtore.*

*

Varro opinatur, duo in Bœotia eſſe flumina, natura licet diſpari, miraculo tamen non diſcrepante: quorum alterum ſi ovillum pecus debibat, pullum fieri coloris quem induerit, alterius hauſtu, quæcunque vellera fuſca ſunt, in candidum verti. Addit etiam, videri ibi puteum peſtilentem, cujus liquor mors eſt haurientibus. *Ibidem.*

*

Circejus mons quondam, ut Varro dicit, inſula fuit, nondum ſiccatis paludibus, quæ eam dividebant a continenti. *Serv. in III Æneidos.*

*

Varro dicit, ſub Eryce monte eſſe infœcundum campum fere in tribus generibus, in quo Eryx & Hercules dimicaverunt. *Idem in V Æneidos.*

*

Varro ait, apud Ægyptios pro annis menſes ha-

beri, ut non Solis per XII ſigna circuitus faciat annum, ſed Lunæ, quæ illum ſigniferum orbem XXX dierum ſpatio illuſtrat. *Lactant. lib. II.*

*

Ætas annorum LXV eſt etiam Comicorum ſenum, ut Varro teſtatur. *Donat. in Terentium.*

*

Solidæ noctis partes ſecundum Varronem hæ ſunt: Veſpera, Conticinium, Intempeſta nox, Concubium, Gallicinium: Lucifer diei, Mane, Ortus, Meridies, & Occaſus. *Serv. in II Æneidos.*

*

Ætates Varro ſic dividit: Infantiam, Pueritiam, Adoleſcentiam, Juventam, Senectutem. *Idem, in V Æneidos.*

*

Varro quinque gradus ætatis æquabiliter putat eſſe diviſos, unumquemque ſcilicet præter extremum in annos quindecim. Itaque primo gradu uſque ad annum quintum decimum, Pueros dictos, quod ſint puri, id eſt, impubes: ſecundo ad triceſimum annum Adoleſcentes, ab aleſcendo ſic nominatos. In tertio gradu qui erant, uſque quinque & quadraginta annos, juvenes appellatos, eo quod rempublicam in re militari poſſent juvare: in quarto autem aduſque ſexageſimum annum, Seniores eſſe vocitatos, quod tum primum ſeneſcere corpus incipiat. Inde uſque finem uniuſcujuſque quintum gradum factum, in quo qui eſſent, Senes appellatos, quod ea ætate corpus ſenio jam laboraret. *Cenſorin. de Die natali, ubi etiam ea, quæ ſequuntur, recitat.*

*

Libris fatalibus ætatem hominis duodecim hebdomadibus describi, Varro commemorat, quæ duo ad decies septenos annos posset fatalia deprecando rebus divinis proferri: ab anno autem octuagesimo, nec postulari debere, nec posse ab Diis impetrari. Ceterum post annos octoginta quatuor, a mente sua homines abire, neque his fieri prodigia.

*

In Tuscis historiis, quæ octavo eorum seculo scriptæ sunt, ut Varro testatur, & quot numero secula ei genti data sint, & transactorum singula quanta fuerint, quibusve ostentis eorum exitus designati sint, continetur.

*

Fieri potest, quod refert Varro, quodque Dioscorides astrologus scripsit: Alexandriæ inter eos, qui mortuos solent conservare, constare, hominem plus centum annis vivere non posse. Id cor humanum declarare eorum, qui integri perierunt sine corporis tabe: eo quod id multis annis pendendo omnis ætatis incrementa & diminutiones observant: & anniculi pendere duas drachmas; bini, quatuor; & sic annos singulos, usque ad quinquaginta, accedere binas; ab iis centum drachmis, atque anno quinquagesimo item discedere in unoquoque binas. Ex quo perspicuum fit, centesimo anno redire ad anni primi pondus, nec longius vitam posse produci. *Idem.*

*

Varro tria discrimina temporum esse tradit: pri-

mum, ab hominum principio ad cataclyſmum priorem, quod propter ignorantiam vocatur adelon: ſecundum, a cataclyſmo priore ad Olympiadem primam, quod, quia in eo multa fabuloſa referuntur, mythicon nominatur: tertium, a prima Olympiade ad nos, quod dicitur hiſtoricon, quia res in eo geſtæ veris hiſtoriis continentur. *Idem.*

His temporibus, ut Varro, regnante Athenienſibus Cranao, ſucceſſore Cecropis, diluvium fuit, quod appellatur Deucalionis, eo quod ipſe regnabat in earum terrarum partibus, ubi maxime factum eſt. *Auguſt. de Civitate Dei lib. XVIII, cap.* 10.

*

Varro dixit, in diluvio aliquos confugiſſe in montes cum utenſilibus, qui bello poſtea laceſſiti ab iis, qui de aliis veniebant montibus, facile ex locis ſuperioribus vicerunt: unde factum, ut Dii ſuperiores dicerentur, Inferiores vero terrigenæ, qui, quia ex humillimis ad ſumma reptabant, dicti ſunt pro pedibus habuiſſe ſerpentes. *Serv.*

*

Varro Romanos a Latinis nomina menſium accepiſſe arbitratur. Auctores eorum antiquiores, quam urbem, fuiſſe, ſatis argute docet. Itaque Martium menſem a Marte quidem nominatum credit, non quia Romuli fuit pater, ſed quod gens Latina bellicoſa: Aprilem autem non ab Ἀφροδίτῃ, ſed ab aperiendo, quod tunc fere cuncta gignantur, & naſcendo clauſtra aperiat natura: Majum vero non a majoribus, ſed a Maja nomen accepiſſe, quod eo menſe tam Romæ, quam antea in Latio, res di-

vina Majæ ſit & Mercurio: Junium quoque a Junone potius, quam a junioribus, quod illo menſe maxime Junoni honores habeantur: Quintilem, quod loco jam apud Latinos fuerit quinto: item Sextilem, & deinceps ad Decembrem, a numeris appellatos: ceterum Januarium & Februarium poſtea quidem additos, ſed nominibus item ex Latio ſumtis; & Januarium ab Jano, cui attributus eſt, nomen traxiſſe, Februarium a Februo. *Cenſor. de Die natali.*

*

Cincio etiam Varro conſentit, affirmans, ſub regibus nec Latinum nomen Veneris, nec Græcum fuiſſe, & ideo non potuiſſe menſem a Venere nominari. *Macrob. lib. I Saturnalium cap. 12.*

*

A Servio Tullio nundinas inſtitutas Varroni placet. *Ibidem, cap. 13.*

*

Antiquiſſimam legem fuiſſe inciſam in columna ærea a L. Pinario & Furio Coſſ. cui mentio intercalaris inſcribitur. *Ibidem.*

*

Ut Idus omnes Jovi, ita omnes Kalendas Junoni tributas. *cap. 15.*

*

Inſtauratitius dies a redintegratione, ut Varroni placet, qui inſtaurare ait eſſe, inſtar novare. *lib. I, c. 11.*

*

Floralium, non Floraliorum, ait Varro, cum non ludos Florales, ſed ipſum feſtum Floralia ſignificaret. *lib. I, cap. 4.*

*

Feralium diem, ait Varro, a ferendis in ſepulcra epulis dici. *lib. I, cap. 4.*

*

Mundus cum patet, Deorum triſtium atque inferorum quaſi janua patet: propterea non modo prœlium committi, verum etiam delectum rei militaris cauſa habere, ac militem proficiſci, navem ſolvere, uxorem liberûm quærendûm cauſa ducere, religioſum eſt. *cap. 16.*

*

Ad rem ſane militarem nihil attinere notat Varro, utrum faſtus an nefaſtus dies ſit, ſed ad ſolas hoc actiones reſpicere privatas. *Idem, ibidem.*

*

Verrium Flaccum juris pontificii peritiſſimum dicere ſolitum, refert Varro, quia feriis tergere veteres foſſas liceret, novas facere jus non eſſet, ideo magis viduis, quam virginibus, idoneas eſſe ferias ad nubendum. *Idem, ibidem.*

*

Sciendum ſecundum Varronem, contra religionem eſſe, vel ſi irrigentur agri, vel laventur animalia feſtis diebus. Nymphæ enim ſine piaculo non poſſunt moveri. *Serv. I Georg.*

*

Hoc tempus (Robigalia) Varro determinat, ſole Tauri partem decimam obtinente. *Plinius Hiſt. Nat. libro XVIII, cap. 69. & quæ ſequuntur.*

*

Hunc diem (Floralia) Varro determinat, ſole Tauri partem quartam decimam obtinente.

*

Ea (vinalia secunda) Varro a Fidicula incipiente occidere mane determinat, quod vult initium auctumni esse, & hunc diem festum leniendis tempestatibus esse institutum.

*

Varro auctor est, si Fidiculæ occasu, quod est initium auctumni, uva picta consecretur inter vites, minus nocere tempestates.

*

Eas ferias (in terræ motu) si quis polluisset, piaculoque ob hanc rem remotus esset, hostiam *si Deo*, *si Deæ* immolabat: idque ita ex decretis pontificum observatum esse, M. Varro dicit, quoniam & qua vi, & per quem Deorum Dearumve terra tremeret, incertum esset. *A. Gell. lib. II, c. 28.*

*

Varro dicit, ludos a ludo vocatos, quod juvenes per dies festos solebant ludi exsultatione delectare populum. *Isidor. lib. XVIII.*

*

Taurios ludos Varro ait vocari, quod *eis ludis discipulus* pendens a doctore in cr*udo corio tauri* solitus sit impelli, atque usque eo *inibi cogi* docere, quoad consisteret, & *sola virtute* talorum constaret pedum *firmitas*. Festus.

*

M. Varro primum statutum in publico [horologium] secundum rostra in columna tradit, belli Punici primo, a M. Valerio Messala Cos. Catina capta in Sicilia. *Plin. lib. VII, cap. 60.*

*

Tribunus plebis quidam, ut ait Varro, Romæ nomen ausus enuntiare, in crucem sublatus est. *Servius in I Æneidos*.

*

Capita aperiri adspectu magistratuum, non venerationis causa jussere, sed, ut Varro auctor est, valetudinis, quoniam firmiora consuetudine ea fierent. *Plin. lib. XXVIII, cap. 17.*

*

Varro dicit, mulieres in exsequiis & luctu ideo solitas ora lacerare, ut, sanguine ostenso, inferis satisfaciant. *Serv.*

*

Varro dicit, pyras ideo cupresso circumdari, propter gravem ustrinæ odorem, ne eo offendatur populi circumstantis corona. *Ibidem.*

*

Varro ideo faba flaminem Dialem non vesci scribit, quoniam in flore ejus, literæ lugubres repeperiantur. *Plin. lib. XVIII, cap. 30. & Porphyr. in Horatium.*

*

Varro ait, suspendiosis, quibus justa fieri jus non sit suspensis oscillis, veluti per imitationem mortis parentandum esse. *Serv.*

*

Confixos esse pueros in utero, Varro dicit, capite infimo nixos, sursum pedibus elatis, non ut hominis natura est, sed ut arboris: nam pedes cruraque, arboris appellat ramos; caput stirpem atque caudicem.

Quando igitur, inquit, contra naturam forte conversi in pedes, brachiis plerumque diductis retineri solent: ægriusque tunc mulieres enituntur. *A. Gell. lib. XVI, cap. 16.*

*

M. Varro asseverat, antiquissimos viros neque per Castorem, neque per Pollucem dejerare solitos, sed id jusjurandum fuisse tantum feminarum, ex initiis Eleusiniis acceptum. Paulatim tamen inscitia antiquitatis viros Ædepol dicere cœpisse, factumque esse ita dicendi morem: sed Me Castor a viro dici, in nullo vetere scripto inveniri. *Idem lib. XI, cap. 6.*

*

Romæ antiquitus statuam Martis fuisse hastam, dicit historicus Varro. *Clemens Alexandr. in Protreptico.*

*

Varro dicit, divinationis esse quatuor genera, Terram, Aquam, Aerem & Ignem. Hinc Geomantiam, Hydromantiam, Aeromantiam, Pyromantiam dictam. *Isidor. lib. VIII, & Joannes Sarisber. in Policratico lib. I.*

*

Ignem mundi animum dicit: proinde quod in mundo ignis omnia gubernet, sicut animus in nobis. Quam vanissime, qui cum est, inquit, in nobis, ipsi sumus; cum exit, emorimur. Ergo & ignis cum de mundo per fulgura proficiscitur, mundus emoritur. *Isidor. ibidem.*

*

Animalia Varroni videntur elementa, quoniam per semetipsa, inquit, moventur. *Idem lib. XIII.*

*

Quidam illos (ventos) duodecim faciunt: quatuor enim cæli partes, in ternas dividunt, & singulis ventis binos suffectos dant. hac arte Varro, vir diligens, illos ordinat. *Seneca Naturalium Quæstionum lib. V.*

*

In Chium vinum marina non additur: inde institutum tradit Varro, ut Delphini circa Liberum pingerentur. *Porphyr. in Horatium.*

*

Varro ait, opima spolia etiam esse, si manipularis miles detraxerit, dummodo duci hostium. *Fest.*

*

Lemniscatæ coronæ sunt de frondibus & discoloribus fasciis, &, sicut Varro dicit, magni honoris sunt. *Serv. in V Æneid.*

*

Talentum Atticum, ut ait Varro, XVI sestertiis taxatur. *Plin. lib. XXXV, cap. 40.*

*

Varro etiam pulmentarii vice usos veteres sale auctor est: & salem cum pane esitasse eos, proverbio apparet. *Idem libro XXXI, cap. 41.*

*

M. Varro auctor est, cum L. Metellus in triumpho plurimos duxit elephantos, assibus singulis farris modios fuisse: item vini congios, ficique siccæ pondo XXX, olei pondo X, carnis pondo XII. *Idem libro XVIII, cap. 4.*

*

Varro dicit, vela ſolere ſuſpendi, ad excipiendum pulverem, quia uſus cameræ ignorabatur. *Serv. in I Æneid.*

*

Varro de Ilva dicit, naſci quidem illic ferrum; ſed in ſtricturam non poſſe cogi, niſi tranſvectum in Populoniam, Tuſciæ civitatem. *Idem in X Æneidos.*

*

M. Varro auctor eſt, a cuniculis ſuffoſſum in Hiſpania oppidum, a talpis in Theſſalia, a ranis civitatem in Gallia pulſam, a locuſtis in Africa; ex Gyaro Cycladum inſula incolas a muribus fugatos; in Italia Amyclas a ſerpentibus deletas. *Plin. libro VIII, cap. 43.*

*

Quem lapidem (Parium) cœpere lychniten appellare, quoniam ad lucernas in cuniculis cæderetur, ut auctor eſt Varro. *Idem lib. XXXVI, cap. 4.*

*

Varro nigros lapides ex Africa firmiores eſſe tradit, quam in Italia. E diverſo, albos tornis duriores, quam Parios. Idem Lunenſem ſilicem ſerra ſecari; at Tuſculanum diſſilire igni. Sabinum fuſcum addito oleo etiam lucere. *Ibidem, cap. 29.*

*

Donec Pompejus Magnus eam (dactyliothecam) quæ Mithridatis regis fuerat, inter dona in Capitolio dicaret, ut M. Varro aliique ejuſdem ætatis auctores confirmant. *Idem lib. XXXVII, cap. 5.*

*

Et hanc (papyrum) Alexandri Magni victoria repertam, auctor est M. Varro, condita in Ægypto Alexandria. Antea non fuisse chartarum usum: in palmarum foliis primo scriptitatum: deinde quarundam arborum libris. postea publica monumenta plumbeis voluminibus, mox & privata linteis confici cœpta, aut ceris.

Ne terra quidem ipsa, quæ nunc Ægyptus, intelligitur: (cum in Sebennytico saltem ejus nomo nonnisi charta nascatur:) postea adaggerata Nilo. Siquidem a Pharo insula, quæ nunc Alexandriæ ponte jungitur, noctis dieique velifico navigii cursu terram fuisse prodidit. Mox æmulatione circa bibliothecas regum Ptolemæi & Eumenis, supprimente chartas Ptolemæo, idem Varro membranas Pergami tradidit repertas. *Idem lib. XIII, cap. 21.*

*

M. Varro, coriandro subtrito cum aceto, carnem incorruptam servari æstate putat. *Idem libro XX, cap. 82.*

*

Voci eam (fabam) prodesse auctor est M. Varro. *Idem libro XXII, cap. 69.*

*

Varro suadet (contra sternutamenta) palmam alterna manu scalpere. *Idem lib. XXVIII, cap. 15.*

*

M. Varro noster tradit, murinum fimum, quod item muscerdas appellat. *Idem lib. XXIX, cap. 34.*

*

M. Varronem LXXXVIII vitæ anno prodidisse aspidum ictus efficacissime curari, hausta a percussis ipsarum urina. *Ibidem, cap. 18.*

*

Verrucas curari auro, M. Varro auctor est. *Idem lib. XXXIII, cap. 25.*

*

Farina ervi, ut ait Varro, maculas ex toto corpore emendat. *Idem libro XXII, cap. 73.*

*

Adversus ipsam mutationem locorum, detractis certis incommodis, quæ exsilio adhærent, satis hoc remedii putat Varro, doctissimus Romanorum, quod quocunque venimus, eadem rerum natura utendum sit. *Seneca in Consolatione ad Helvidiam matrem.*

*

Indigitamenta, sunt carmina pontificum, quæ & nomina Deorum, & rationes ipsorum nominum continent. *Fest.*

*

Bulbi in legitimis nuptiis in cœna ponuntur: sed & cum nucleis pineis, aut cum erucæ succo, & pipere.

*

Betaceos, sed nigros, quorum detersas radices, & mulso decoctas, cum sale modico & oleo: vel sale, aqua & oleo in se coques, jusculum facies, & potabis: melius erit, si in eo pullus sit decoctus.

*

Sus Minervam. *Fest.*

*

Mezentius Hetruriæ rex auxilium Rutulis contra Latinos tulit, vini mercede, quod tum in Latino agro fuerat. *Plin. libro XIV, cap. 14.*

*

Non tantum maribus ineſt ſemen, verum etiam feminis, & inde plerumque matribus ſimiles procreantur; ſed earum ſemen ſanguine eſt purgatum. quod ſi recte cum virili mixtum ſit, utraque concreta, & ſimul coagulata conformantur, & primum quidem cor hominis confingitur, quod in eo ſit & vita hominis, & ſapientia: denique totum opus quadrageſimo die conſummatur. *Lactant. de Opificio Dei, cap. 12.*

*

Cum ſemina inter ſe permixta coaleſcunt, ſi virile ſuperaverit, patri ſimilis provenit, ſive mas, ſive femina: ſi muliebre prævaluerit, progenies cujuſque ſexus ad imaginem reſpondet maternam. *Ibidem.*

*

Si vero æqua fuerit ex pari ſemine permixtio, figuræ quoque miſcentur, ut ſoboles illa communis, aut neutrum referre videatur, quia totum ex alieno non habet, aut utrumque, quia partem de ſingulis mutuata eſt. *Ibidem.*

*

Cum forte in lævam uteri partem maſculinæ ſtirpis ſemen inciderit, mas gignitur: ſed quia eſt in feminina parte conceptus, aliquid in ſe habet femineum ſupra quam decus virile patiatur, vel for-

mam insignem, vel nimium candorem, vel corporis lævitatem, vel artus delicatos, vel staturam brevem, vel vocem gracilem, vel animum imbecillum, vel ex his plura.

Item si partem in dextram semen feminini sexus influxerit, femina quidem procreatur: sed quoniam in masculina parte concepta sit, habet in se aliquid virilitatis, ultra quam sexus ratio permittat, aut valida membra, aut immoderatam longitudinem, aut fuscum colorem, aut hispidam faciem, aut vultum indecorum, aut vocem robustam, aut animum audacem, aut ex his plura.

Si vero masculinum in dextram, femininum in sinistram pervenerit, utrique fœtus recte proveniunt, ut & feminis per omnia naturæ suæ decus constet, & maribus tam mente, quam corpore robur virile servetur. *Ibidem.*

*

Grammatici officia constant partibus quatuor, Lectione, Enarratione, Emendatione & Judicio. *Diomed. lib. II.*

*

Sceleris magister amixit. *Idem lib. I.*

LECTORI.

Hæc sequentia fragmenta jure meritoque in ultimam classem fragmentorum Varronis rejecimus: nam nec quoad verba ipsa illius sunt, & alterius esse cuivis patet, neque ullos poetas legit, qui nescit, cujus sint: nos tamen superflua diligentia ea hic adscripsimus, ne videremur quidquam, quod vel errore memoriæ Varroni tribuitur, neglexisse.

EX CARMINE INCERTO.

Tum liceat pelagi volucres, tardæque paludis
Cernere inexpleto ſtudio certare lavandi,
Et veluti inſolitum pinnis infundere rorem.
Aut arguta lacus circum volitavit hirundo,
Et bos ſuſpiciens cælum (mirabile viſu)
Naribus aerium patulis decerpſit odorem,
Nec tenuis formica cavis non evehit ova.
Serv. in Virgilii I Georgicorum.

Frigidis & ſilvis aquilo decuſſit honorem. *Idem in lib. II.*

Deſierant latrare canes, urbeſque ſilebant,
Omnia noctis erant placida compoſta quiete.
Seneca lib. Controverſ. IV.

M. TER. VARRONIS

DE

LINGUA LATINA LIBRI

QUI SUPERSUNT

CUM

FRAGMENTIS EJUSDEM

VOLUMEN SECUNDUM

NOTÆ

IN VARRONEM

BIPONTI

Ex Typographia Societatis

CIƆIƆCCLXXXVIII.

NOTÆ

IN

M. TER. VARRONIS

DE LINGUA LATINA

LIBROS QUI SUPERSUNT.

NOTÆ

IN

M. TER. VARRONIS

DE LINGUA LATINA

LIBROS QUI SUPERSUNT.

IN LIBRUM IV.

Pagina 3. lin. 13.

CUM *demonſtratur, in quo non debet pertendi, & pertendit*] *Pertenditur* legendum eſſe, & ante nos annotavit Vertranius. *Pertendere* enim τὸ ὑπερδιατείνεσθαι ad verbum. Propertius:

Quod ſi pertendens animo veſtita cubaris,
Sciſſa veſte meas experiere manus.

Plautus Captivis more ſuo alluſit ad etymologiam veram. Non enim a pertendendo, ut vult Varro, ſed a pertinendo. Ita enim ait: *Quid ais? tenaxne ejus pater?* PH. *Immo edepol pertinax.* Pulchre, quid inter pertinaciam eſſet, & pervicaciam, docet Attius poeta in Myrmidonibus, elegantiſſimis verſibus: quorum acumen meruit, ut hic adſcriberentur, ne corruptos legas apud Nonium:

Tu pertinaciam eſſe, Antiloche, hanc prædicas:
Ego pervicaciam ajo, & hac me uti volo.

Nam pervicacem dici me esse, & vincere
Perfacile patior: pertinacem nil moror.
Hæc fortes sequitur: illam indocti possident.
Tu addis quod vitio est, demis quod probro datur. SCALIG.

Pagina 4.

lin. 3. *Quod vetustas quasdam delevit.*] Marg. Scalig. *quædam.*

lin. 5. *Cuncta manet.*] Marg. Scalig. *certa manet.*

lin. 17. *Videtur enim pos* &c.] Quia veteres sine N litera pronuntiabant & scribebant Pons, Frons, & similia. Varr. lib. XV Antiq. human. Fros, fœnum, messis: idem lib. I de Re rustic. *Circum fundum ulmos & populos: unde fros ovibus & bubus fiet.* & Parmemone: *Cæditur lucus, alta fros decidit.* Virgilius etiam amantissimus antiquitatis lib. 2 Georg.

Prætereà cum fros tenera imprudensque laborum. POPMA.

lin. 18. *Vetustas non pauca depravat.*] Marg. Scalig. *vetustas pauca non* &c.

lin. 28. *Retinere possent.*] *Possint.* AUGUSTIN.

Pagina 5.

lin. 3. *Propter bis quaternas causas.*] *Propter quaternas causas. Propter has quatuor causas. Propter ternas causas.* duo priora ex libris, posteriora audaci emendatione. AUGUSTIN. Quidam locum mendosum suspicati sunt: ego tantum mutilum quovis pignore contendam. Nam cum contrarie opposuerit literarum demtioni additionem, trajectationi seu trajectioni commutationem: syllabarum productioni quod opponat non addit: ut non tantum hoc desit, sed etiam ea, quæ requiruntur ad explendum numerum bis quaternarum causarum. præsertim cum ita alibi loquatur: ut libro 7, *Libros faciam*, inquit, *bis ternos.* Concludamus igitur, locum mancum & imperfectum esse, potius, quam ut pro *bis quaternas*, cum aliis legendum censeamus *has quaternas.* SCALIG.

lin. 5. *Propter earum arctationem.*] Vetus lectio, *tractationem.* quæ vera est: nam hoc dictum pro Trajectationem; quia Traicto dicebant διισυλλάβως pro Trajecto. & pro Trajice, Traice. Sic reice trochæus est apud Virgilium, & reicinium quadrisyllabum. SCALIG. Puto legendum: *Propter earum aut trajectionem, aut commutationem. item syllabarum;*

quæ quoniam, &c. Non exstat, inquit, impositio primigeniorum verborum *propter bis quaternas causas;* nimirum propter literarum demtionem, aut additionem, aut trajectionem, sive transpositionem, aut commutationem: similiter propter syllabarum demtionem, aut additionem, &c. Aliter Quinctilian. lib. 1: Verba paululum declinata varie & multipliciter ad veritatem reducunt, aut correptis, aut porrectis, aut adjectis, aut detractis, aut permutatis literis syllabisve. POPMA.

lin. 8. *Heic commorandum esse* &c.] *Heic admonendum*: ex libris utrumque. AUGUSTIN. At Scalig. lectionem scilicet secutus, *hic commonendum esse putavi*, in Conjectaneis hæc adnotavit: Romana editio, & Vertranius, *hic commonendum esse non putavi.* Male. Ait enim Varro, quæ diligenter tractaverit in aliis libris, hic ea se non repetiturum, tantum commonendum modo putat lectorem.

lin. 9. *Origines expediam.*] Marg. Salig. *expendam.*

lin. 12. *Et viocurrus.*] Marg. Scalig. *unocolus.*

lin 15. *Hinc Pacuvius Rudentisibilus*] Eodem modo Repandirostrum, & Cortinipotens Lucilio:

Huncecine ego unquam Hiacynthi hominem cortinipotentis
Deliciis contendi? —

Sic etiam Laberius de Ariete:

Reciprocicornem, lanicutem, vestitrahum. στρεψικέρωτα, δασύμαλλον, ἑλκεσίπεπλον. Et Pacuvius finxit Curvifrons. Sed ita corriges locum Nonii mire depravatum: Armenta genere neutro, plerumque feminino. Ennius:

— *ad armentas ipsius easdem.*

Pacuvius:

Tu curvifrontes pascere armentas soles.

Huc referendum & illam compositionem Lucilii, quamquam magis Aristophanicam: *Transverso ordine posuit hippocampelephantocamelos.* Neque alienum erit ab hoc loco, Hegesandri veteris poetæ epigramma in Sophistas apponere:

Ὀφρυανασπασίδαι, ῥινεγκαταπηξογένειοι,
Σακκογενειοτρόφοι, καὶ λοπαδαρπαγίδαι.
Ἱματανωπερίβαλλοι, νηλιπυκαιβλεπέλαοι,
Νυκτιλαθραιοφάγοι, νυκταπατατπλάγιοι.
Μειρακιεξαπάται, καὶ συλλαβοπευσιλαβηταὶ,
Δοξοματαιοσόφοι, ζηταρετησιάδαι.

Videamus, num & nos impune cum Lucilio hæc imitatione Græcorum tentare possimus:

Silonicaperones, *vibrissasperomenti*,
Manticobarbicolæ, *exterebropatinæ*,
Planipedatquelucernitui, *suffarcinamicti*,
Noctilatentivori, *noctidolostudii*,
Pullipremoplagii, *sutelocaptiotricæ*,
Rumigeraucupidæ, *nugicanoricrepi*. SCALIG.

Pacuvius pleraque verba duriuscule confinxit, ut Rudentisibilus: quod Cælius mitigavit ad Ciceronem: *Hic tibi strepitus, fremitus, clamor, tonitruum & rudentum sibilus*. Idem: *Nerei repandirostrum, & incurvicervicum pecus*. & Hermiona: *Currum liquit, chlamyde contorta astu clupeat brachium;* ubi exprimitur status & positura ad prœliandum. Liv. lib. 25: *Paludamento circum lævum brachium intorto (nam ne scuta quidem secum extulerant) in hostes impetum fecit*. Petronius Satirico: *Idem ego ex altera parte feci, & intorto circa brachium pallio composui ad prœliandum gradum*. Chlamyde contorta, ut ad Herrennium lib. 4: *Contorta toga cum pluribus aliis ire celerius cœpit*. POPMA.

lin. 16. *Chlamyde contorta clupeat brachium.*] Pacuvii ex Hermiona, ut citat Nonius, *Currum liquit: chlamyde contorta astu clupeat brachium*. Livius libro XXV, id genus loquendi mitigavit. Ita enim scribit: *Inter hæc dicta paludamento circum lævum brachium intorto (nam ne scuta quidem secum extulerant) in hostes impetum fecit*. Valerius Flaccus lib. 3:

—chlamys imbelli circumdedit ostro
Torta manum, strictoque vias præfulgurat ense.

Hoc voluit Pollux lib. IIII. Ἐφαπτὶς, inquit, συστρεμμάτιόν τι φοινικοῦν, ἢ πορφυροῦν, ὃ περὶ τὴν χεῖρα εἶχον οἱ πολεμοῦντες, ἢ θηρῶντες. Chlamydem autem peregrinantes sumere solitos, docet Plautus Mercatore. Ibi enim adolescens profectionem adornans, ita loquitur:

—chlamydem sumam denuo.

Item de curru paulo post:

Postea jam in currum conscendi: jam lora in manus cepi meas.

SCALIG.

lin. 17. *Ascendens pervenit.*] Marg. Scalig. *descendens.*

lin. 20. *Quartus, ubi est aditus, & initia regis.*] *Aditus ad initia rei.* non infelici audacia emendatum. AUGUSTIN. Non videtur eruditissimo Adr. Turnebo aliquid mutandum: neque ego mehercule censeo. Quartus, inquit, aditus, regis est: id est, magnum fecerit, qui ad eum accesserit. Ita loquebantur veteres. Plautus Pœnulo:

Rex sum, si ego illum hodie hominem ad me allexero.
In editione Romana lectio antiqua mutata est. SCALIG. Sunt, inquit, quatuor gradus explicandi origines verborum: primus est populi; secundus grammaticorum; tertius philosophorum; quartus, ubi explicantur primæ & occultæ verborum causæ, Regis, id est, ejus, qui reliquos omnes hac re antecellit. ita enim veteres aliquando nomen regis usurparunt. Horatius:

— Rex eris ajunt
Si recte facies

quem imitatus Ausonius:

Qui recte faciet, qui non dominatur, erit rex. POPMA.

lin. 26. *Nolui præterire eos, &c.*] Non hoc ait Varro, se nolle præterire eos, qui significationes tantum verborum expediunt: immo contra, se aliquid majus iis præstiturum. Ipse postea sese explicat. Itaque *volui* legendum, non, ut antea, *nolui.* SCALIG.

lin. 29. *Eo in verbo, quod finxisset Ennius, causam: neglegere.*] *Eo in verbo, quod finxisset Ennius, caussari: neglegere, quod ante rex Latinus finxisset.* Hic est germanus hujus loci sensus, & vera lectio. SCALIG.

Pagina 6.

lin. 12. *Omnium rerum initia esse bina.*] *Principia.* AUGUST.

lin. 19. *Quare fit, ut omnia fere sint quadripartita*] *ut ideo fere omnia.* AUGUSTIN.

lin. 27. *Totidem verborum: Horum enim &c.*] Postrema duo verba vacant: quorum alterum conflatum est ex præcedentis simili desinentia: alterum quomodo huc irrepserit, nescio. Itaque inducenda sunt. Porro hujusce divisionis meminerat libro XX Rerum humanarum, citante Nonio: *Et ea, quæ ad mortales pertinent, quadripartito dispertierim: in homines, in loca, in tempora, in res.* SCALIG. Legi etiam *harum enim*, utrumque mendose, annotat Augustinus.

lin. 29. *Sed quæ cognatio.*] Marg. Scal. *si quæ* &c.

lin. 30. *Quæ radices egerit extra fines suas.*] Marg. Scalig. *quod radices — fines suos.*

Pagina 7.

lin. 9. *Filiam habeo.*] *virginem habeo.* Plaut. in Aul. AUGUST.

lin. 11. *O terra trita.*] *O terra terrea. O terra Græca.* ex libris. Totus hic locus Ennii mendosus est. AUGUSTIN. Si nomen tragœdiæ posuisset Varro, minus laboraremus ad conjecturam: nunc difficile est tam corrupto loco mederi: cum de quo, & quis loquatur, & in qua fabula, nesciamus. Multi multa adduxerunt ad correctionem hujus loci, partim ex se, partim ex libris manuscriptis: quæ tamen omnia mendosa puto. Quod si locus esset conjecturæ, ita lubenter legerim:

O terra tritavi, in cujus mœro Liberi
Fanum locavi.

Et, ut ingenue fatear, valde mihi persuasi, hanc meam conjecturam veram esse. Nam adverbium *ubi*, ex eo conflatum puto, quod videtur in manuscriptis *tritabi* pro *tritavi* scriptum fuisse. qui error quam frequens sit in libris calamo exaratis, nemo nescit: & nos demonstrabimus in his libris non semel ad eum modum peccatum esse. SCALIG. Vetus lectio: *O terra treca;* vel, *o terra terea.* Unde suspicor legendum:

O terra Thræcia, ubi Liberi
Fanum in Crunis Ismaro locavi.

Ennius fortean induxit poetam Orphea, aut nescio quem regem Thraciæ, querentem de neglectis sacris Liberi, quæ ibi summa cum religione a cœtu Menadum olim celebrantur. Terra Thræcia, ut terra Italia, terra Sicilia, & id genus alia. Thræcia autem pro Thracia. unde Thræcius, vel Thræicius apud poetas. Cruni urbs maritima Thraciæ, eadem a cultu Liberi appellata Dionysiopolis. Plin. lib. 4: *Nunc habet Dionysiopolin, Crunos antea dictam.* Strab. lib. 7: *καὶ κρούνοι, καὶ ὀδησσὸς, μιλησίων ἄποικος.* Ismarus mons ejusdem regionis, sacris Liberi & cœtu Menadum, Orpheo primum initiante, celebratus. unde Ismarias Bacchas vocat Ovidius lib. 9 Metamorph.

Ismariæ celebrant repetita triennia Bacchæ. POPMA.

lin. 12. *In cujus muro locavi.*] Marg. Scalig. *intumum loc.*

lin. 13 sq. *Ab eo præco dicitur Locare; quoad usque id emitur, quoad in aliquo consistit pretium.*] Legendum procul dubio, *Quod usque idem it, quoad in aliquo consistit pretium.* Et, nisi valde fallor, memini olim quoque ita sensisse doctiss. Adr. Turnebum, cum hæc cum illo communicarem. *Idem usque it* ergo dictum vel de præcone, qui semper vagatur, donec invenerit, in quo consistat, pretium: vel de merce, quæ semper ἐπιπολάζει, & incerta est, donec in eo mancupe consistit,

qui auctionem evicerit. Quo in significatu Plautus dicit, *It ad me lucrum:* nimirum ut in eo consistat & quiescat. SCALIG.

lin. 21. *Ut Asia, sic cælum dicitur modeis duobus.*] Nam & cælum dicitur cæli pars summa, ubi stellæ, & aeris plaga, tenero terram complexu continens. sic Asia dicitur pars orbis terræ, quæ non Europa. Duas enim tantum partes Varro (ut & Sallustius in Jugurtha) orbis terrarum novit, Asiam & Europam. nam in Europa ponit Africam. Dicitur & Asia prioris Asiæ pars, in qua erat Jonia, & provincia populi Rom. In Varrone scribitur, *Et Cilicia*, falso mendoseque, cum in illa Asia Cilicia non esset comprehensa. Cic. pro Flacco, *Nam, ut opinor, Asia vestra constat ex Phrygia, Mysia, Caria, Lydia.* Strabo, *οἱ δὲ ἐπαρχίαν ἀπέδειξαν τὴν χώραν, Ἀσίαν προσαγορεύοντες ὁμώνυμον τῇ ἠπείρῳ.* TURNEB. Varro Asiam duobus modis dici tradidit: uno modo eam orbis terrarum partem, quæ respondet Europæ; altero minorem Asiam, quam & magnam Chersonesum veteres appellarunt, in qua collocat regiones, quas populus Rom. habuit vel cis Taurum, ut Joniam, Mysiam, Phrygiam, Lydiam, vel ultra Taurum, ut Ciliciam, Pamphyliam & Lyciam. Quod addit, *provincia nostra Cilicia*, id nonnullos in eam opinionem adduxit, ut putarent, Varronem consulem fuisse, & provinciam istam consularem obtinuisse proconsule. Sed neque in fastis Capitolinis, neque apud scriptores historiæ Rom. ulla, quod sciam, mentio exstat M. Varronis consulis. Itaque verisimilius mihi videtur, in Cilicia fuisse proprætore, (hoc enim nomine extraordinaria quoque imperia ornabantur) cum classibus Pompeji piratico bello præesset: id quod colligitur ex initio libri tertii de Re rustic. POPMA.

lin. 28. *Cavum memorant.*] Marg. Scal. *cavum cælum* &c.

lin. 29. *Lucretius suorum* &c.] Ita habent omnes libri. & putant docti viri, Lucretium præter sex libros de Rerum natura, qui sunt in manibus, scripsisse opus Causarum naturalium: idque Ovidium innuere lib. 2 Trist.

Explicat & causas rapidi Lucretius ignis,
Causarumque triplex vaticinatur opus.

Sed Ovidius haud dubie respexit versus Lucretii de conflagratione mundi, qui sunt in libro 5:

Principio maria, ac terras, cælumque tuere.
Harum naturam triplicem, tria corpora, Memmi,
Tris species tam dissimiles, tria talia texta,
Una dies dabit exitio.

Itaque legendum ibi, *Casurumque triplex:* ut & apud C. Albinovanum in Elegia de morte Drusi Germanici:

Ecce necem intentum cælo, terræque, fretoque,
Casurum triplex vaticinatur opus.

mihi non est dubium, quin hic reponi debeat Lucilius, ut & lib. 5, *Apud Lucilium:* ubi perperam legitur, *Lucretium.* C. Lucilius scripsit libros Satirarum ad numerum & ordinem tribuum. Unde Horatius: *Primores populi arripuit, populumque tributim.* Fuerunt autem tribus initio XXI institutæ ducentesimo quinquagesimo octavo Urbis anno, Claudio & Servilio Coss. postea diversis temporibus accesserunt aliæ XIV, ita ut demum anno quingentesimo duodecimo numerus earum esset XXXV. Hac ratione fortassis Lucilii poema fuit divisum in duo volumnia; alterum habuit libros XXI, quos Varro hic adducit; alterum libros XIV: sed grammatici posteriores unum σῶμα fecerunt, qui generatim citant ejus libros XXXV. POPMA.

Pagina 8.

lin. 2. *Non male, quod posterior Ælius.*] Deleo v. *Ælius*, ut reprehensum veriloquium Ælii ab alio posteriore scriptore intelligamus. Si *posterior Ælius* scribatur, ut ab Antonio Augustino, sententia erit, ipsum sui posterioribus libris reprehensorem fuisse, credidisseque, non tam cælum a cælando, quam cælare a cælo deductum esse. Cælum alii ita vocatum censent, quod sit cælatum, impressumque variis signis, & distinctum sculpturæ. Hinc præclari illi versus Varronis:

Mundus domus est maxima rerum,
Quam quinque altitonæ fragmine zonæ
Cingunt, per quam limbus pictus bis sex signis
Stellimicantibus, altus in obliquo æthere, lunæ
Bigas acceptat.

Aliis cælum dicitur ut κοῖλον. TURNEB. Merito illud *Ælius* non agnoscit vetus scriptura. sed non *posterior*, sed *post reor*; legendum esset ita: *Quod post reor multo potius cælare a cælo, quam cælum a cælando.* SCALIG. Antiquæ editiones non habent vocem *Ælius*, unde suspicor legendum: *Cum posset prius, multo.* Cæli duas etymologias tradidit Ælius, unam a cælando, quod stellarum lumina, velut signa habeat impressa; alterum a celando, contrario nomine, quod minime celatum, sed opertum sit. utrumque non male, inquit Varro:

ſed tamen potius *cælare* a *cælo*, quam *cælum* a *cælando* poſſet deduci. & cælum quaſi celatum potuit dici, quod interdiu ſtellæ non apparent. POPMA.

lin. 6. *Ego magis puto a chao cavum.*] Hæc ſcriptura mirifice mihi probatur. In antiquis vero libris reperio, *a chao covum*, ut librarius fortaſſe *cohum* ſcribere voluerit. Nam, ut ait Feſtus, *Cohum poetæ cælum vocaverunt.* Infra tamen Varroni *covum* in aratro nominatur. In antiquiſſimo libro clariſſimi viri Herrici Memmii ita ſcriptum reperi, *cous eſt, quo cælum continetur*; unde Ennius:

Vix ſolum complere coum terroribus cæli.

Eſt & *cohivum* calyx roſæ adhuc connivens & clauſus. Verba ſunt antiqui lexici, *Cohivum*, κάλυξ ῥόδου μεμυκώς. Scribitur & *conivum*, a connivendo, ut reor. TURNEB.

lin. 9. *Itaque dicit Andromacha, Noctique cava* &c.] *Andromacha nocti: Quæ cava.* ex felici audacia. AUGUSTIN. Scribo: *Noctu quæ cava cæli.* TURNEB. Scribendum: *Itaque dicit Andromeda nocti:*

Quæ cava cæli ſignitenentibus
Conficis bigis.

Sunt enim Anapæſtici ex Andromeda Ennii: quam fabulam vertit ex Euripide. Id autem cognoſcimus ex dramate Ariſtophanis, cui nomen Θεσμοφοριάζουσαι. In ea fabula Ariſtophanes more ſuo Euripidem inſectatur: & ex ejus poetæ Andromeda παρῳδίαν confecit, qua hominem ſalſe deridet. In illis igitur, quæ dicuntur ex perſona Andromedæ, habentur & hæc, ex quibus Latina verſa ſunt:

— ὦ νὺξ ἱερὰ,
ἢ μακρὸν ἵππευμα διώκεις,
ἀστεροειδέα νῶτα διφρεύουσ'
αἰθέρος ἱερᾶς
τοῦ σεμνοτάτου δι' ὀλύμπου.

Citantur & ab interprete Theocriti in Pharmaceutria. Ex quibus apparet, non Andromacha, ſed Andromeda, legendum eſſe. utramque enim ſcripſit Ennius. Sed quemadmodum hic Andromacha pro Andromeda: ita etiam alibi contra Andromeda, pro Andromacha; ut apud Nonium mendoſe ex Andromeda citatur hic verſus:

Nam ubi introducta eſt, puerumque ut laverent, collocant in clupeo:

cum ſit ex Andromacha. quod cognoſcimus ex Euripide in

Troadibus: ubi cadaver Aſtyanactis pueri lotum defertur in clypeo a Talthybio, cuius hæc verba apud ipſum Euripidem:

Ἔλουσα νεκρὸν, κἀπέλουσα τραύματα.

Scripſerunt autem Andromedam tres ſummi poetæ veteres: Livius Andronicus, Ennius, Attius. Tamen Attius raro vertit integras fabulas ex veteribus Græcis, ſed de ſuo edidit. Argumento eſt, quod Armorum judicium ſcripſit poſt Pacuvium, qui ejus nominis alteram ex Æſchylo vertit: item Medeam, poſt Ennianam ex Euripide converſam: Telephum, poſt illam, quam ex Euripide quoque idem Ennius mutuatus fuerat: & multas alias. ſic & Andromedam puto ex illius inventione eſſe, non autem ex aliquo poeta Græco. Livii vero Andromeda potuit eſſe interpretata ex Sophocle. Citatur enim ille poeta in Andromeda a Polluce lib. X, item Heſychio, voce κούρειον. SCALIG.

lin. 12. *Ad cavationem.*] Marg. Scalig. *rationem.*

lin. 13. *Quare ut a cavo cavea, & cavile.*] *cavea & caulæ,* non nemo emendat. AUGUSTIN. Particulam *ut* puto vacare, & ita legendum: *Quare a cavo cavea, & caullæ, & convallis, cavata vallis, & cavædium: ut cavum ſit ortum, unde omnia apud Heſiodum a caho: à cavo, cælum. Cavile* mendoſe manifeſto pro caulæ. Error ex veteri ſcriptura. Nam Caullæ ſcriptum fuit duplici l, ut Paullus. Inde fecerunt Cavile. Varroni ἔτυμον cæli a Cavo deducenti adſtipulatur Lucretius, qui dixit *Caulas ætheris.* SCALIG.

lin. 14. *Convallis, cavata vallis.*] Poſtrema duo verba ſuſpicor eſſe gloſſema, quare cenſerem inducenda eſſe. SCALIG. Legendum, *Convallis, cavata, & cavum*, ejectis gloſſematis. Cavum idem Covum. ab eo Varroni Cavea, Caullæ, & Convallis, quaſi cava vallis. infra: Sub jugo medio Covum, quo bura extrema addita oppilatur, vocatur Covum a cavo. Feſtus: *Cohum lorum, quo temo buris cum jugo colligatur, a cohibendo dictum.* Cohum poetæ cælum dixerunt a chaos, ex quo putabant cælum eſſe formatum. Ennius:

——— *pilam vix*
Sol mediam complere cohum terroribus cæli. POPMA.

ead. *Et cavere cautione.*] Al. *cavatæ cavitione.* Scio apud veteres Cavitionem dictum pro cautione: & ita poſſet legi, *Cavete cavitione:* ut id non inepte videri poſſet uſurpari ſolitum in formulis. At quæ ratio eſt, ut cavere a cavo deductum ſit? Fortaſſe ex his duabus vocibus faciendum *ca-*

vadium: vel, *& caviar*, a cavatione. *Caviar*, ut soliar, lacunar, &c. SCALIG.

lin. 16. *Terra dicta ab eo — quod teritur*] Etiam Plautus voluit Terram dictam a terendo, sed quod terat homines & affligat, non quod teratur. Sic enim ad hoc etymon alludit Bacchidibus:

— potisne est terra ut terat hominem atque prosternat.

Tamen videtur verisimilius esse a Græco ἔρα, addito *t*, ut in plerisque aliis. POPMA.

lin. 22. *Trivolum, quo teritur.*] Marg. Scalig. *Tribulum, qui.*

lin. 23 sq. *Propter limitare iter.*] Perperam hic Vertranius putat legendum esse, *militare iter.* Nam Varro ait, terminos constitutos esse in agris propter iter limitare. Ea est tantum semita modica, quæ relinquitur inter duo confinia, lata pedes V, ex duodecim tabularum præscripto. Militaris vero via est ἡ λεωφόρος. Quod si de ea sensisset Varro, non dicendum erat iter militare, sed via militaris. Nam viæ significatio latius patet. Inepte vero Varro terminum a terendo deducit, cum sciat τέρμα Græce dici. SCALIG.

lin. 26. *Non terminus, sed Termen.*] Lego *termon*, vel *termo*, ut & Ennius locutus est:

Ingenti vadit passu, qua redditus termo est. TURNEB.

ead. *Hoc Græci τέρμα.*] Lego, *hoc Græci τέρμονα.* distinguendum autem est post *in Latio*, ut arbitror. TURNEB.

lin. 28. *Via quidem Iter.*] *via siquidem.* AUGUSTIN.

Pagina 9.

lin. 2 sq. *Appellarant summa terræ, quæ sola teri possunt, Sola terræ.*] Puto emendandum, *Quæ solo teri possunt*, id est, pede & vestigio. Emendationi suffragatur mensio syllabæ. TURNEB. Lege, *Quæ solo teri possunt, sola terræ.* Lucretius:

Avia Pieridum perago loca, nullius ante
Trita solo.

Solum enim, infimum pedis calcaneum, & calceamenti solea. Plautus: *Qui auro habet suppactum solum.* SCALIG.

lin. 4. *Ideo Ennius, In terram cadenteis, dicit, cubiteis pinsibant humum.*] Pro *pinsibant* leg. *pinsabant.* AUGUSTIN. In manuscriptis reperio, *ideo Ennium in terram cadentes dicere, cubitis pinsabant humum.* Si quis *pinsebant* legat, non multum repugnabo. Pinsare autem humum, est terram ferire; ut fa-

ciunt, qui interficiuntur, caduntque in terram. Simile est illud Homeri, ἕλε γαῖαν ἀγοστῷ. TURNEB. Homericum:

Αὐτὸς δ' ἐν κονίῃσι πεσὼν ἕλε γαῖαν ἀγοστῷ.

Idem Ennius Annali X: *Pinsebant terram genibus* —. Apud Diomedem perperam *ceram*, pro *terram*. SCALIG.

lin. 7. *Ab eo, qui Romanus combustus est.*] *Ab eo, qui Romæ non combustus est. Ab eo quoad Romæ combustus est.* utrumque ingeniosa investigatione. AUGUSTIN. Ab eo, quod *quom* Romanus combustus. Neque enim hic ponenda negatio. Videndus Cicero lib. 2 de Legib. Nam etiamsi Romæ combustus esset, non dicebatur humatus, antequam justa persoluta essent: neque proprie situs, nisi imposita inscriptione: quod fiebat denicalibus feriis. Neque ante diem octavum sepeliebatur, ut ait Servius. Itaque intra id tempus dicebatur esse supra terram. Quod significat Varro de Vita populi Rom. lib. 3, cum ait: *Propinquæ adolescentulæ etiam anthracinis, proximæ amiculo nigello, capillo demisso sequerentur luctum: ut dum supra terram esset, riciniis lugerent; funere ipso, pullis palliis amictæ.* Hæc ille. Ut ante novendiale sacrum, supra terram esse diceretur: ubi ureretur, locus ille, Ustrina: cum conditus esset, funus: post denicale sacrum, humatus: ubi humatus, locus ille sepulcrum, & τύμβος. In verbis Varronis quædam, quæ corrupta legebantur apud Nonium, emendavimus: & divulsa duo testimonia in unum conjunximus. SCALIG. Vox *Romanus* irrepsit ex additamentis hominum nostræ religionis, qui multa hujus generis in veterum scripta insarserunt, notandæ illorum superstitionis. *Humatus* dicitur *mortuus*, inquit, *cum terra est obrutus. itaque qui combustus est, si in sepulcrum gleba abjecta non est, aut si os abscissum ad familiam purgandam, necdum persolutis justis, humo non est opertum, is censetur inhumatus, & familia non est pura, diciturque mortuus humilior*, quasi qui supra humum sit. Erat autem intervallum septem dierum, quo mortuus dicebatur esse supra terram, & ad os illud servatum justa & sacrificia ei persolvebantur. Octavo die post denicale sacrum humabatur, & os illud exceptum cum ceteris in urna condebatur. Varro de Vita pop. Rom. lib. 3: *Quoad humatus non sit, heredi porca præcidanea suscipienda Telluri & Cereri: aliter familia pura non est.* Cic. de Legibus 2: *Siti dicuntur ii, qui conditi sunt, nec tamen eorum ante sepulcrum est, quam justa facta, & corpus incensum est. Et quod nunc communiter in omnibus sepultis ponitur, ut humati dicantur, id erat proprium tum in iis, quos humus injecta contegeret. eumque*

morem jus pontificale confirmat. Nam priusquam in os injecta gleba non est, locus ille, ubi crematum est corpus, nihil habet religionis: injecta gleba, tum & ille humatus est, & sepulcrum vocatur, ac tum denique multa religiosa jura complectitur. POPMA.

lin. 8 sq. *Aut si os exceptum est mortui ad familiam expurgandam.*] Etiam digitum abscindi ad eam rem testatur Festus. Membrum, inquit, abscindi mortuo dicebatur, cum digitus ejus decidebatur: ad quod servatum justa fierent, reliquo combusto. id autem ad purgandam familiam certo genere februi, quod vocabant Exverrias. SCALIG.

lin. 10. *Ut pontifices dicunt, quoad inhumatus sit.*] Nam quamvis os humo opertum esset, tamen, antequam justa fierent, mortuus ille, quamvis jam multo ante combustus, inhumatus dicitur. Propterea addidit interpretamentum Varro ex pontificiis libris, ut quod opertum humo prius ex vulgi opinione vocaverat, id post ex jure pontificio, inhumatum vocet, quia justa adhuc facta non erant. Hoc dico, quia doctissimi hominis, qui hanc lectionem immutare voluit, sententiam non sequor. Porro ex manuscripto codice legendum: *Donec in purgando humo est opertum.* ut intelligas os mortui. SCALIG.

lin. 11 sqq. *Funesta manet & dicitur humilior. Quæ ad humum sunt, aut a re, ut Sabini, & Lucani.*] Magna est confusio & conturbatio rerum & verborum, non suo collocatorum loco. Georgius Bucananus, poeta gravissimus & elegantissimus, vidit primus, unde ista essent distracta atque divulsa, ac me docuit cum aliis, ea sic conjungenda esse: *Et dicitur humilior demissior: infimus, humillimus: quod in mundo infima humus.* TURNEB. Non tantum doleo vicem hujus loci, quamquam pessime est acceptus: quantum admiror, non esse animadversum ab iis, qui hunc auctorem purgandum susceperunt: ut satis constet, insigniter esse depravatum. Et sine magno negotio vulnus aperiri, fortasse etiam curari poterit. Disputabat enim Varro de hoc nomine *Humus*, & ab eo derivatis. Ea disputatio non continuata est, sed propter pagellarum transpositionem perturbata, ad eum usque locum, ubi iterum de derivatis ab humo differit, ibi, *Ubi nunc est Roma septem montium* &c. Quæ sane olim conjuncta erant cum hoc loco. Quod enim hoc verum non sit, nemo adversabitur, qui viderit, in duobus his locis Varronem non sibi constare: hic, quod subito interruperit eam disputationem: ibi, quod ex interrupto eam repetierit, neque loco, neque ratione ulla ita postulante. Aliter enim neutrobi

cohærent illa. Neque eſt, quod quis miretur, tantum intervalli & hiatus interjectum eſſe. id enim non ſolum hic, ſed & alibi in hiſce libris accidit, & in Nonii Marcelli commentariis. Unumquodque autem ſignificabimus ſuo loco. Igitur ita hæc reſtituenda ſunt in ſuam priſtinam ſedem: *Et dicitur humilior. Hinc ubi nunc eſt Roma, ſeptem montium demiſſior, infimus: humillimus, quod in mundo infima humus. Humor hinc itaque. Ideo Lucilius:*

Terra abit in nimbos, imbreſque —

Pacuvius:

Exhalat auram terra, atque auroram humidam:

humectam. Hinc ager uliginoſus, humidiſſimus. Hinc udus, uvidus. Hinc ſudor aquæ vis deorſum. Hinc terra Umbria humilius. Sunt quæ ab humo, ut Apulia, & Latium &c. SCALIG.

lin. 12. *Et dicitur humilior.*] Si non eſt mendum, familia, quæ in luctu eſt, non diceretur humilior, ut putat Vertranius: ſed potius mortuus ipſe ante novendiale ſacrum. Nam & eodem modo ſupra terram eſſe dicebatur, ut ſupra annotavimus. Sin aliter, legendum cum iis, quæ diſtracta eſſe demonſtravi, ita, *Hinc quævis deorſum terra, ut Umbria, humilior.* Fortaſſe etiam ſcripſerat Varro: *Et dicitur ſitus.* nam juſtis factis dicebantur ſiti, non aliter. quod nos docuit Cicero. Sed quia hic Varro diſputabat de humo, & ejus derivatis, ſuſpicatus eſt quidam, legendum eſſe *humilior*, quia ſit derivatum ab humo. SCALIG.

ead. *Quæ ad humum* &c.] Hic quoque ordo inverſus multum nocuit, & Varronem ſibi ipſi adverſari facit; cum ita potius ſcribendum ſit: *Sunt quæ ab humo, ut Apulia, & Latium: aut declinata ab hominibus, ut Sabini, & Lucani: utrumque, ut Etruria, & Tuſci.* Quippe docet ab humo declinari, quod Etruria: ab hominibus, quod Tuſci dicerentur. SCALIG.

lin. 14. *Utrumque.*] *Aut utrumque*, non nemo mutat. AUGUSTIN.

lin. 15. *Univerſus ager dictus Latium.*] Nondum e Varronis libris de lingua Latina omnes, ut ita dicam, errorum vepres eruncati ſunt. ſerpunt etiam nunc illic multæ ſpinæ multique rubi. Nam quod hic legitur, *Univerſus ager dictus Latium*, ut in annoſis reperi libris, *Latius*, adjectionis more, magis me delectat: ut & infra p. 11, l. 9, *ager arvus & arationes* dicuntur: quemadmodum & apud Plautum: *Non arvus hic, qui arari ſoleat, ſed paſcuus eſt ager.* TURNEB.

lin. 18. *Ut nostri augures publice dixerunt.*] Lege, *Ut nostri augures publicei disserunt.* Publicei pro publici. Cicero, *Publici Augures signis & auspiciis postea vidento.* SCALIG. Ita & Turnebus hunc locum emendari jussit.

lin. 26. *Gabinus, sive peregrinus, &c.*] Hæc non plus sensus habent, quam surdi lapides: sed sic emendo, & sensu quodam & vita afficio, & velut anima dono: *Quocirca Gabinus peregrinus, sed quod auspicia habet singularia, ab reliquo discretus.* Ostendit enim, quam ob rem in peregrino Gabinus ager non numeretur: quod scilicet suum quoddam auspiciorum genus a reliquo agro peregrino diversum habeat. TURNEB. *Quocirca Gabinus quoque peregrinus.* Neque enim vera est aliorum correctio. Et supra, *Eo enim ex agro Romano primum progrediebantur*: lege *Romani.* alii legunt *Romam.* SCALIG. Peregrinus ager dicitur is, in quem ex agro Romano primum progrediebantur. itaque Gabinus quoque dici poterat Peregrinus, sed habebat auspicia communia cum Romano, quibus a peregrino discernebatur. nam in quibus eadem servabantur auspicia, in his societas. hac re, opinor, Cato Gallicum agrum, unde Senones Galli fuerant expulsi, vocat Romanum lib. 1 Originum: *Ager Gallicus Romanus vocatur, qui viritim cis Ariminum datus est; ultra agrum Picenum.* & Liv. lib. 27 refert, agrum Frusinatem, qui fuit in Hernicis, haruspices ut Romanum accepisse: *Frusinone natus Androgynus. haruspices eum extorrem agro Romano procul terræ contactu alto immergendum responderunt.* Alioquin ager Romanus proprie dicebatur is, quem Arvales sacerdotes uno die ambarvali sacrificio lustrabant. id autem erat regnante Romulo intra quintum aut sextum lapidem ab Urbe, ad locum, quem vocabant Festum, auctore Strabone lib. 5. POPMA.

lin. 30. *Ager dictus est, in quam terram quid agebant, & unde quid agebant fructus causa* &c.] In hac agri notatione ab omnibus, quas quidem viderim, editionibus discrepat clandestina & antiqua scriptura, quam proponam: *Ager dictus est, in qua terra quid agebant, & unde quid agebant fructus causa: aut quod id Græci dicunt ἀγρόν: aut ager, quo agi poterat: sic qua agi, actus.* Hæc interpretatio & verior est, & dilucidior, quam edititia. TURNEB.

Pagina 10.

lin. 1. *Qua agi, actus.*] Marg. Scalig. *qua agitatus ejus.*
lin. 11. *Ut quo agebant.*] Marg. Scalig. *ut qua* &c.

lin. 16 sq. *Quod primum ex agro plano fructus capiebant, Campus dictus.*] Inepta est hæc etymologia, sicut & de agro culto, a coalescendo potius quam a colendo. Siculi circum, aut hippodromum, καμπὸν vocabant, a flexu equorum, & quadrigarum, quæ ibi certabant. Inde omnia plana καμποὶ dicti: poetæ vocant *æquora terræ.* Unde καμπτὴρ, metæ. Pacuvius Tantalo, citante Nonio:

Extremum intra campterem, ipsum
Jam prægreditur Parthenopæum. SCALIG.

lin. 25. *Fundat quotquot anneis.*] Ita veteres loquebantur. Gellius lib. 6: *Ut Carthaginienses quotquot annis darent populo Rom. certum pondus argenti puri puti.* Varro lib. 8: *Quotquot annis eodem modo exoritur.* Similiter infra: *Sacra quotquot mensibus feruntur in arcem.* & lib. 3 de Re rust. *Pastorem columbaria quotquot mensibus crebro oportet everrere.* Horatius:

Non si trecentis, quotquot eunt dies,
Amice, places illacrumabilem Plutona tauris.

Porro, cum hic duas etymologias Fundi tradat Varro, tertiam alibi retulit, quam Cicero festive illusit in joculari libello, hoc carmine:

Fundum Varro vocat, quem possim mittere funda:
Ni tamen exciderit, qua cava funda patet. POPMA.

lin. 29. *Quod inde.*] Marg. Scal. *quidem unde.*

lin. 30. *Item alia, quæ segetes ferunt.*] *item alia. Quæ segetes ferunt.* AUGUSTIN. Melius & intellectu facilius: *Quod segetes ferunt, fruges: a fruendo fructus. ab spe, spicæ.* ut eduntur ista, Varronis enucleatio & etymologia prope tota perpetuaque interit. TURNEB.

lin. 31. *Ubi & Culmi.*] Marg. Scalig. *uti* &c.

Pagina 11.

lin 1. *In summo campo nascuntnr.*] Marg. Scalig. *in summo campi* &c.

lin. 10. *Quod aratri vomer sustollit.*] *sustulit.* AUGUSTIN.

lin. 11. *Id est projecta.*] Marg. Scalig. *porrecta.*

lin. 12. *Quod sine opere parata.*] Marg. Scal. *opera.*

lin. 14. *Dividit in eos agros* &c.] Locus mendosus. AUGUSTIN. Sæpenumero accidit, ut una vox corrupta aliam secum trahat adventitiam, & alienam: ut hic videre possumus. Olim enim sine dubio præpositio IN hic non legebatur: sed factum est, ut propter verbum *Dividit*, quod quidem corru-

ptum est, ea huc irrepserit. Hæc enim est vera lectio: *Alludit eo, cum scribit Sulpicius.* Nam prima litera coaluit cum ultima præcedentis vocis *Rura*, & ex *l* factum est *i.* ut supra in *Cavilæ*, pro *caullæ.* SCALIG. Emendarim: *Diludit in eo.* In illa etymologia ruris, quam tradidi, inquit, leviter & perfunctorie ludit P. Sulpicius orator, cum scribit: *Plebei rura largitur ad aream,* id est, ad percipiendum fruges recidivas sive annuas messes, quas Seneca ad Lucilium eleganter dixit Spectare ad aream: *Cum flavescit, & ad aream spectat.* Diludo verbum theatri, & Diludia intervalla atque intermissiones ludendi, cum scilicet gladiatores, bestiarii, aut pugiles, medios inter ludos committuntur, quo istiusmodi commissiones insititiæ & inductæ spectatoribus tædium levent. Horat. lib. I Sermon.

Displicet iste locus, clamo, & diludia posco. POPMA.

lin. 15. *Plebei rura largitur ad aream.*] Al. *largitatur*. Illud autem valet, non prata aut pascua aut silvas dividit plebi, sed agros frumentarios. frumenta enim teruntur in area: non omnia tamen. Nam far, quia suis extricari folliculis non potest in area, torrebatur in fornace. TURNEB. *Ad aream*, potes interpretari, ad annuas messes percipiendas, id est, ut quotannis percipiantur fructus. Suspicor tamen legendum esse, *Plebei rura largiuntur adoream*, vel *largitura*, id est, quæ uberes fructus fundunt, & largo manat copia cornu. Antiqui Romani omnem ex agris proventum vocabant Adoream. Plautus Amphitruone:

Qui præda atque agro adoreaque affecit popularis suos.

Falsum vero est, quod dicit Varro, Rura dicta, quod rursus ex iis percipiantur fructus: cum sint ex Græco ἄρουρα, prima litera abjecta: ut ἀμέλγω, mulgeo: & alia ejusmodi. SCALIG.

lin. 16. *Prædia dicta item ut prædes*, &c.] Inopia particulæ *ut* laborat hic locus. Leg. *Prædia dicta item ut prædes, a præstando: quod ea pignori data*, ut *publice mancupes præstent fidem. ut* inde aberat, quod restitui e vetere libro. Ceterum prædes exponuntur in antiquo lexico οἱ ὑπὲρ φόρου δήμου ἐνδεδεμένοι, qui pro vectigalibus populi obligati sunt: prædiatores, ὠνηταὶ ὑπαρχόντων, qui eorum scilicet bona & fortunas emunt. Hinc jus prædiatorium apud Ciceronem, quo obligata sunt bona ærario & populo. TURNEB. Al. *præda dicta.* Hic hiatum factum esse in Varrone, & cæco apparet. Quare enim Varro de præda injecit mentionem, cum quæreret etymon Ruris? sed, ut, quod sentio, aperiam,

videntur ea deesse, in quibus explicabat Varro, quid esset Adorea in exemplo Sulpicii antea adducto. Ad quod declarandum videtur laudasse versiculum Plauti ex Amphitruone supra a nobis productum,

Qui præda atque agro adoreaque affecit popularis suos.

Unde, quod nunc differat de præda, id esse ex testimonio Plauti, quod ipse explanat propter verba illa Sulpicii. Porro nihil est mutandum in verbis Varronis, ut putat Vertranius. nam etiam prædam vocabant id, quo in locationibus & rebus mancupi & aliis ejusmodi publice cavebatur. SCALIG.

lin. 17. *Quod ea pignori data* &c.] Marg. Scalig. *eo pignore dato.*

lin. 18. *Ubi nunc est Roma, septem montium demissior* &c.] Locus mendosus. AUGUSTIN. Contexenda sunt, quæ disjuncta sunt improbissime: *Ubi nunc est Roma septimontium nominatum, ab tot montibus, quos postea urbs muris comprehendit.* At rupes Tarpeja pars erat montis Capitolini præceps, unde nocentes dejiciebantur interdum. Plutarchus, πλὴν πέτραν ἔτι νῦν ἐν τῷ Καπιτωλίῳ Ταρπηΐαν καλοῦσιν, ἀφ' ἧς ἐῤῥίπτουν τοὺς κακούργους. Vocabatur & saxum Tarpejum. Horatius, *Dejicere e saxo cives.* TURNEB. Citat hæc ex poeta quodam, cujus nomen non apposuit, quod vulgo notissimus esset versiculus. Est enim trochaicus integer cum acrostichide sequentis:

Hic ubi nunc est Roma septem montium demissior
Infimus locus —

Sequitur enim statim interpretamentum ipsius Varronis, *Infimus, humillimus.* Quod autem doctissimus Turnebus hic legendum censet, *Septimontium*, næ is multum fallitur. Septimontium enim nunquam fuit locus Romæ, sed dies festus, vel potius sacrum, quod septem montibus fiebat. Meminit Tertullianus libro de Idololatria: *Etiam*, inquit, *strenæ captandæ, & septimontium, & brumæ, & caræ cognationis honoraria exigenda omnia.* SCALIG. Est versus alicujus veteris poetæ, describentis situm terræ, ubi post condita fuit Roma: cui fere geminus ille Virgilii 3 Æneid.

——— nondum Ilium & arces
Pergameæ steterant, habitabant vallibus imis.

Eum Varro hic adducit, ut, quoniam hactenus explicavit origines vocabulorum, quæ ad humum pertinent, nunc ejus derivata persequatur, inter quæ *humor*, *sudor*, & similia: a quibus arrepta occasione, ut solet, descendit ad nomina aqua.

rum. ſicuti mox *humor hinc* ſit *himberque*. Humor & imber fiunt ab humu, quia, ut ait Lucilius,

Terra abiit in nimbos imbreſque.

Roma ſeptem montium, ut Propertius:

Septem urbs clara jugis toti quæ præſidet orbi. POPMA.

lin. 21. *Terra abiit.*] *terra abit.* AUGUSTIN.

lin. 24. *Hinc ſudor quivis* &c.] Al. *Hinc ſudor quamvis deorſum in terra umbra.* Lego: *hinc ſudor, udor. is quamvis deorſum in terram unde ſumi pote, puteus: niſi potius quod Æoles dicebant, ut* ποταμὸν, *ſic* ποτῆρα & ποτὸν, *ut nunc* φρέαρ: *a puteis oppidum Puteoli.* TURNEB. Quod legitur, *Hinc ſudor quivis in terra imber*, ſane falſum eſt, etiamſi neſcio quid ſimile voluerit Empedocles. Alii veriſimilius, nihilo tamen verius: *Hinc udor. Aquæ vis deorſum in terra, Imber.* Ego puto: *Hinc udor, aquæ vis deorſum. Hinc terra Umbria.* Quod ſcilicet ab aquarum vi, Umbri: nimirum ἀπὸ τῶν ὄμβρων. Auctores, Diodorus, Solinus, & alii. Vel de Umbria injecit mentionem, quod cum agat de infimis locis, & quæ in eis ſunt, fortaſſe humilem ſitum Umbriæ innuit: & ita tunc legendum eſſet, *Hinc udor. Hinc quævis deorſum terra, ut Umbria, humilior.* Ita etiam locutus eſt in libris de Re ruſtica. Nam *deorſum habitare* dixit, pro *in humilibus locis habitare.* De ſitu vero Umbriæ notum eſt, humilem maxima ex parte eſſe. Hinc Propertius dixit Mevaniam ſitam loco plano & cavo. Athenæus quoque lib. 12 ait, luxui maxime deditos fuiſſe, quod ſimilem ac Lydi regionem haberent, qui & ipſi deliciarum infamia flagrarunt. Etiam Lydiam planam eſſe, & humilem, oſtendit proverbium, Λυδὸν εἰς πεδίον προκαλεῖν. Quare & Umbrorum talem fuiſſe, & Sybaritarum: de quibus dictum propterea, quod neque orientem ſolem neque occidentem viderent. Verba Athenæi ſunt hæc: τὸ τῶν Ὀμβρικίων ἔθνος ἐπιεικῶς εἶναι ἀβροδίαιτον, παραπλησίως τε βιοτεύειν τοῖς Λυδοῖς, χώραν τ᾽ ἔχειν ἀγαθήν· ὅθεν παρελθεῖν εἰς εὐδαιμονίαν. propterea dicuntur pingues Perſio. Eo etiam ſpectavit Plautus Milite, cum ait:

Minime ſputator, ſcreator ſum: itidem minime muccidus.
Poſt Epheſi ſum natus, non in Apulia, aut Umbria.

ruſticos & crapulæ deditos innuit. Catullus quoque in Scazonte in Egnatium videtur idem voluiſſe, & ita corrigendus verſiculus in eo epigrammate:

Aut porcus Umber, aut obeſus Etruſcus.

Ubi hodie perperam, ut puto, legitur, *parcus Umber.* Ita

enim veteres, ut nos quoque hodie vulgo facimus, homines pingues & obesos, porcos vocabant. Pomponius Vernionibus:

Porcus est, quem amare cœpi, pinguis, non pulcher puer.

Hodie vulgo apud Nonium falso legitur *Orcus.* Menander in Piscatore, loquens de Dionysio Heracleæ Ponticæ tyranno, παχὺς γὰρ ὗς ἔκειτ' ἐπὶ στόμα. De hujus Dionysii edacitate, & immensa corporis mole, plura Athenæus lib. 12. Itaque errat Alciatus, qui, ubicunque fit mentio Umbrorum apud Plautum, Ovidium, & alios, parcos vult intelligi. Quod ita non esse, demonstratum est. Etiam magnus ille vir eo errore in alium longe majorem protractus est: qui apud Plutarchum in Symposiacis putarit de Umbrorum cœnis parcis & frugalibus mentionem fieri: cum tamen neque ipsi frugales fuerint, neque ea sit mens Plutarchi. Locus autem, quem ille intelligit, neque posuit, est Symposiacῶn libro 2, capite 10, τὰς δὲ Ὀμβρικὰς ἐκείνας δαῖτας οὐ χρὴ μεταφέρειν ἐκ τῶν στρατιωτικῶν καὶ παρεμβολικῶν ἐνταῦθα δείπνων. ἀλλὰ μᾶλλον τὴν τῶν παλαιῶν φιλανθρωπίαν ζηλοῦν, οὐ μόνον ὁμοβίους, οὐδὲ ὁμοροφίους, ἀλλὰ καὶ ὁμοχοίνικας καὶ ὁμοσίτους (*potest* & ὁμοσιπύους) τῷ πᾶσαν σέβεσθαι κοινωνίαν, ἐν τιμῇ τιθεμένους. Nam ibi non intelligendum de Umbrorum cœnis, sed catulorum, & ferarum. ὀμβρίκια enim & ὄβρια Æliano, & ὀβρίκαλα Æschylo dicuntur catuli ferarum. Unde etiam ex musimone fero animali & ovibus natos prisci Latini Umbros vocabant. Intellexit ergo Plutarchus prandium ferarum, καὶ τὸ μονοφαγεῖν, cujus nemo particeps est: atque adeo, ut Plautus ait, *cum quis singulas escas devorat.* Quod & proverbialiter dictum Plutarcho: & allusit Seneca epistola 19. *Visceratio*, inquit, *sine amico, vita leonis ac lupi est.* Latius equidem divagatus sum. sed & necesse fuit ea adducere, quæ opus essent ad probandam conjecturam nostram, & ad ea diluenda, quæ contra objici possent. Quare de Umbria intellexit Varro, aut quod ἀπὸ τῶν ὄμβρων, aut quod humilis ejus situs. agit enim de humo. SCALIG. Puto legendum: *Quæ abit deorsum in terra umbra.* Varro deducit *umbram* ab humo, eo quod deorsum cadit in terram: alii ab humore, quasi vero omnes umbræ humidæ sint. *Abit deorsum*, ut Cato de Re rust. *Ubi deorsum versus ibit.* Varro infra: *Ut lucem caperet deorsum.* & lib. 1 de Re rust. *Qui colunt deorsum magis æstate laborant.* POPMA.

lin. 25. *Unde sumi potest, Puteus.*] In superioris memoriæ excusis, *Unde sumi pote, Puteus.* Quæ vera est lectio,

quamquam eodem ſenſu. Si aliquid mutandum eſſet, legerem: *Unde ſumitur potus, puteus.* Sed nihil mutandum. Ita enim alibi locutus eſt, ubi ſcribit, Simpulum vas dictum a ſumendo. Eſt autem valde λεπτολόγος καὶ στωϊκωτάτη, hoc eſt, ineptiſſima, etymologia: ſi quidem putat ab illo nomine *pote* dictum *puteum.* Quare enim fons quoque, ex quo ſumi pote, ita dictus non eſt? SCALIG.

lin. 26. *Niſi potius quod Æoles dicebant τὸν πύθιον καὶ ποταμόν. Sic potura a potu, non ut nunc*] Sic editio Romana. Al. *Niſi potius, quod Æoles dicebant ποταμόν: ſic potura a potu, non ut nunc.* Atqui neque πύθιον Græca eſt dictio in eum ſenſum: neque ποταμὸς puteum ſignificat. Et tametſi alterutrum id ſignificaſſet, uno tantum contentus fuiſſet Varro: & etymon alicujus vocis non poteſt deduci a duabus vocibus ita diſſimilibus, ut ſunt ποταμὸς καὶ πύθιον. Vertranius certe pro vera hanc amplexus eſt lectionem: cum meo quidem judicio illa vera ſit, quam reponemus, ſic: *Niſi potius, quod Æoles dicebant ποτῆρα, ἀπὸ τοῦ πότου, non, ut nunc,* φρέαρ. Ut taceam de *potura*, voce nihili, & nunquam a bono auctore uſurpata. Eſt autem ποτὴρ, quæ πίστρη apud poetas, niſi me fallit judicium. Et non eſt, quod pro legitimis vocibus ſpurias & adulterinas ſupponamus. Nam in eadem editione Romana, quod poſtrema verba legerint ſic, *Non, uti nunc,* a πόσω, quid ſibi velint ea voce nulli rei, non video: nihil enim ſignificat. Vertranius certe eam ſecutus eſt. Quod autem eos induxerit, ut πύθιον hic repoſuerint, id accidit, puto, quia apud Heſychium legerant, πύθιον, τὸ ὕδωρ, Θουκυδίδης. Cum tamen in Thucydide ſemper πύθιον pro templo Apollinis accipiatur: utpote quod alium ſignificatum non habeat. Quare aut erravit Heſychius, aut locus ille mancus & corruptus eſt. SCALIG. *Æoles dicebant ſic ποτῆρα, a potu, non ut nunc* φρεάρ.] Græca vox adulterina eſt, ut reliquæ omnes, quæ in vulgatis libris hic exſtant. Æoles, inquit, Puteum vocabant πετέον a potu, non ut nunc φρέαρ, a profunditate. Lib. 5: *Puteus quod ſit Græcum antiquum, non ut nunc,* φρέαρ *dictum.* Sed errat Varro in hoc etymo tam Græco, quam Latino, cum ſit a verbo Puteo, puteus. POPMA.

lin. 28. *Puteoli*] Strabo lib. 5: Ἑξῆς δέ εἰσιν αἱ περὶ Δικαιαρχίαν ἀκταὶ, καὶ αὐτὴ ἡ πόλις. ἦν δὲ πρότερον μὲν ἐπίνειον Κυμαίων ἐπ' ὀφρύος ἱδρυμένον· κατὰ δὲ τὴν Ἀννίβα στρατείαν συνῴκισαν Ῥωμαῖοι, καὶ μετωνόμασαν Ποτιόλους, ἀπὸ τῶν

φρεάτων. οἱ δὲ ἀπὸ τῆς δυσωδίας τῶν ὑδάτων, ὅτι ἅπαν τὸ χωρίον ἐκεῖ, μέχρι Βαίων, καὶ τῆς Κυμαίας, θείου πλῆρές ἐστι, καὶ πυρὸς, καὶ θερμῶν ὑδάτων. Stephanus ab utroque, Δικαιαρχία, inquit, πόλις Ἰταλίας. ταύτην δέ φασι κεκλῆσθαι Ποτιόλους. πότια δὲ τὰ φρέατα καλοῦσι Ῥωμαῖοι· ὄλειρε δὲ, τὸ ὄζειν. SCALIG.

Pagina 12.

lin. 4. *Itaque eum Afranius Puticulos in Togata appellat.*] *Putilucos* legendum esse, ipsius Varronis verba facile demonstrant. SCALIG. Idem in margine, *Putiluculos.*

lin. 5. *Quod inde suspiciunt.*] Ita lego pro vulg. *suscipiunt.* AUGUSTIN. Lego: *Quo deinde suscipiunt perpetuo flumen, lacus. Lacuna, in qua ibi aqua.* Lacum autem hic intelligo, quo ex flumine ad aquandum aut lavandum aqua excepta est, quo etiam ex aquæductu aut fonte recipitur. Terentius:

Apud ipsum lacum est pistrilla.

Horatius:

Gestiet a furno redeuntes scire lacuque. TURNEB. Vetus scriptura: *Quo inde suscipiunt.* Lego igitur: *Quo inde suscipiunt perpetuo flumen, lacus. Lacuna, lama, ubi aqua contineri potest.* Dictum est autem *Quo inde* pro Unde. ut alibi, *in qua ibi*, pro Ubi. quod in idiomate Hebræo rarum non est. SCALIG.

lin. 8. *Stagnum, quod Græce στάμνον.*] στεγνὸν, aut στεγανόν. AUGUSTIN. Lego: *stagnum, quod Græce στεγνόν.* TURNEB. Restitue: *Stagnum a Græco στεγνόν.* Male enim in editione Rom. σταμνόν. Aliud enim est σταμνὸς, ut sciunt, qui legerunt saltem Aristophanem. Στεγνὸν igitur, quod contineat aquam, neque manare possit, ut etiam Festus scripsit. Unde Stativæ aquæ dicuntur, quæ contrariæ sunt manantibus, & perennibus: cujusmodi sunt fontes, rivi, fluvii. Varro de admirandis, ad Fundanium socerum: *Secundo de stativis aquis, ut sunt lacus, & stagna, & putea, & maria.* Plinius lib. II, cap. LXXXVIII: *In eadem & oppidum haustum profundo, alioque motu terræ stativas emersisse.* Ita enim lego, non *Statinas*, ut habent vulgata exempla: præcipue, cum in veteribus calamo exaratis legatur *stagnum*, quod sane declaratio est ejus vocis: deinde in textum irrepsit, cum esset ab aliquo studioso in ora libri annotata. *Statinas*

vero reposuit, qui legerat apud Statium *Statinas* renatas dici: quasi ea sit mens Plinii. Nam si ita esset, Plinius dixisset insulam in planitie campi exstitisse. Quod sane non ridiculum modo, sed & ἀδύνατον. Stativas vero dicebant, quomodo calidas & frigidas, & Bajanas, & Albulas, cum subintelligerent Aquas. SCALIG.

lin. 9. *Habet primum.*] Vulg. *primam.* Sed in editione Romana de suo correxerunt, *Quod nomen habuit primum:* male. nam nullo negotio emendari poterat: *Stagnum a Græco στεγνὸν, quod non habet rimam.* Siquidem Græci vocant στεγνὸν, quod minime rimosum est, & fideliter continet: cui contrarium Latinum Futile. Sequentia Varronis verba facile probant conjecturam nostram. SCALIG.

lin. 12 sq. *Stillicidia, fluminaque, ut ita fluant cadantque.*] Vulg. *stillicidia, fluvia, quæ ut ita fluant cadantque.* Repono: *Stillicidia, flumina, aquæ, uti fluant cadantque.* Ut in senatusconsulto, quod exstat apud Frontinum: *Quo minus ea aqua ire, cadere, fluere, &c.* Unde caducæ aquæ, quæ ex dividiis, seu castellis, & fistularum manationibus fluebant. SCALIG.

lin. 15. *Continue.*] Lego *continuo.* AUGUSTIN.

lin. 17. *Amiternini.*] Nempe qui ἀμφιτέρμονες poetis Græcis. SCALIG.

lin. 19. *Qui aliter facit, ex ambitu causam dicit.*] *Indagabili ex ambitu causam*, libri omnes, quos vidi. AUGUSTIN. Si non est mendum in nomine *indagabili*, erit, quod Græci dicunt ὑπεύθυνος: tunc autem legendum erit *indagabilis.* Sed nihil affirmo. Est autem ex veteri formula dictum, quæ servabatur in legibus scribendis: QUI ALITER FAXIT, CAPITALE ESTO. Ut in legibus Numæ Regis, SI QUIS ALIUTA FAXIT, IPSUS JOVI SACER ESTO. ἐὰν ἄλλῳ, ἐὰν ἄλλως ποιήσῃ τὶς, τῷ νόμῳ ἔνοχος ἔστω, familiare apud Demosthenem. Forsitan ingitur *Indagabilis ex ambitu*, ἐξεταστέος, ὑπεύθυνος, ἔνοχος. Sic dictum apud bonos auctores, *indagare crimen.* SCALIG.

lin. 26. *Nihil Latinum: ut quod oritur.*] Quidam putant ex veterum librorum notis scribendum: *Nihil Latinum & ignotum: ut quod oritur.* AUGUSTIN.

Pagina 13.

lin. 3. *Appellatum — Dehebrim.*] Al. *Appellatum Tibrim. Tebrim* ex Plin. lib. 3, cap. 5. In editione Rom. *Deheberim.*

Et ſupra p. 12, l. 24, *Tiberis, quod caput extra Latium:* lege, *quojus caput.* SCALIG.

lin. 4. *Vocitatum.*] Marg. Scalig. *appellatum.*

lin. 5. *Tiberinum.*] Marg. Scalig. *Tiberium.*

lin. 10. *Auſtrum.*] Marg. Scalig. *Eurum.*

lin. 14. *Manlius.*] Marg. Scalig. *Manilius.*

lin. 18. *Sunt & nomina* &c.] Ante hæc verba multa, ni fallor, deſunt. AUGUSTIN. Idem judicabat Scaliger ad h. l.

lin. 26 ſq. *Ab eo late Saturniam terram, ut etiam Ennius appellat.*] Apparet manifeſto, eſſe verſiculum Ennii,

— Saturnius illi
Nomen erat, de quo late Saturnia terra.

In fragmentis Originum, quæ exſtant nomine Catonis, idem Ennii ἀκροτελεύτιον legitur: *A quo Saturnia olim, ubi nunc Capitolium: & ab ea late Saturnia terra.* Itaque illud Virgilii deſumtum eſt ex Ennio,

Janiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen. SCALIG.

Ennius in Annalibus auctor eſt, ante Romam conditam tenuiſſe illic proxima loca priſcos Latinos, Caſcos ipſe appellat; quos Latinus Silvius, Albanorum rex, in colonias deduxit, appellavitque Latinas colonias.

Saturnius olli
Nomen erat, de quo late Saturnia terra:
Quam primum Caſci populi tenuere Latini.

Hunc autem extremum verſum citat Varro lib. 6. & eundem intelligit Cicero lib. 1 Tuſcul. cum inquit: *Itaque unum illud erat inſitum priſcis illis, quos Caſcos appellat Ennius, eſſe in morte ſenſum.* Hieronymus ad Nitiam: *Rudes illi Italiæ homines, quos Caſcos Ennius appellat.* POPMA.

Pagina 14.

lin. 1. *In ædificiorum legibus parietes.*] Lego: *In ædificiorum legibus privatis.* TURNEB.

lin. 5. *Ab adventu.*] Ita habet v. c. Et verum eſt. neque aſſentior doctiſſimo Turnebo, qui legendum cenſet *ab advectu.* Atqui propius eſt, ut Aventinus ſit ab adventu dictus, quam ab advectu. Advenire proprie dicitur de peregrinis. Et adventores, ſeu advenientes, qui peregre veniunt, ut alibi annotamus. Quod igitur velaturis trajiceretur ille locus, & pro peregrinis haberentur, qui ex ulterioribus locis adveniebant, ab adventu illo putat Aventinum dictum. Nam

peregrinos censeri necesse est, qui ita paludibus a nobis disclusi sunt, ut ad nos, nisi trajecturi, pervenire non possint. SCALIG.

lin. 10 sq. *Quod ea, qua tum itur, velabrum* &c.] *Quod ea, qua tum descendebant, dicitur velabrum.* utrumque ex libris. AUGUSTIN. Ex monimentis veteris scripturæ lego: *Quod de aqua tum dicitur Velabrum: & unde escendebant ad infimam novam viam, locus sacer Velabrum.* Ceterum Velabrum duplex fuit: majus, de quo nunc loquitur; minus, de quo infra: *Ab iis palus fuit in minori Velabro: a quo, quod ibi vehebantur lintribus, Velabrum. ut illud majus, de quo dictum est.* Velabrorum meminit Propertius:

Qua velabra suo stagnabant flumine quaque
Nauta per urbanas velificabat, aquas.

In Velabro porro locus sacer erat, quod Velabrum dicebatur, ut Varro libro sequente tradet, (p. 58) ubi Accæ Larentiæ sacrificium fiebat, qua in novam viam exibatur. Atque hic observandum, veteres *Escendo* etiam pro *Ascendo* dixisse. Livius: *A. d. X. Kal. Octobr. ludorum Romanorum secundo die, C. Licinio consuli ad quadrigas mittendas escendenti, tabellarius, qui se ex Macedonia venire diceret, reddidit laureatas literas.* Varro alio loco: *E vinea in arbores escendit vitis.* Iterum: *In carnarium escendit.* In vetere libro scriptura hæc exstat: *Quod ea, qua tum dicitur velabrum.* Et mox: *Ad infima novam viam locus sacellus labrum.* TURNEB. Ita hic locus legendus est, nulla pæne licentia: *Cujus vestigia, quod qua nunc itur, Velabrum: & unde ascendebant ad Rumiam, Nova via: ubi lucus, & sacellum Larum.* Duo, inquit, sunt vestigia, quod ille locus olim aquis inundatus esset: primum, quod, qui locus nunc pedibus aditur, retinet nomen Velabri: quæ quidem appellatio ostendit, olim solitum velaturis trajici. Alterum, quod, unde ascendebant, dicitur nunc Nova via, utpote quod antea ibi semper via non fuisset. Vertranius secutus est eam lectionem, quæ ex duabus maxime corrupta erat. itaque ei non assentior. SCALIG.

lin. 11. *Ascendebant ad rumam nova via.*] Marg. Scalig. *descendebant ad imam novam viam.*

lin. 12. *Lucus est & sacellum larum.*] Vetus lectio, *Locus sacellum Labrum:* quæ suspicionem mihi facit, totum hoc irrepsisse ex glossemate imperiti librarii, annotantis, Velabrum esse locum, vel sacellum. quid enim ad etymon Velabri, si ibi fuit sacellum larum? quod in summa Sacra via fuisse

proximum foro Romano, testantur Tacitus Annal. 17, & Solinus Polyhistore. Velabrum dicitur a vehendo, inquit, quia eo ex urbe advehebantur ratibus; cujus vestigia duo: primum, quod qui locus nunc pedibus aditur, habet nomen Velabri, quoniam olim velaturis trajiciebatur; alterum, quod unde ascendebant ad sacellum Deæ Rumiæ, dicitur nunc Nova via, quasi antea ibi palus fuisset, non via. Rumia Dea eadem Rumina, quæ mammam parvulo, ut ait Augustinus, immulgere dicebatur, quia Rumam dixere veteres mammam. Meminit Varro de Re rustic. lib. 2, & Catone de Liberis educandis. POPMA.

lin. 17. *Quadrantis ratiti.*] Clausulam versus hexametri esse intelligo. *Quadrans* autem *ratitus* dicitur, quod (ut a Festo & Plinio scribitur) in eo esset sculpta ratis figura. Igitur *ratitus* est rate notatus & insignitus, & ratem habens. TURNEB.

ead. & sq. *Reliqua urbis loca olim discreta, ut Argeorum sacraria in septem & viginti parteis urbis sunt disposita.*] Nescio quomodo me effascinant libri antiqui, & ad insaniam me prope adigunt; quorum insano amore agitatus audeo scribere: *Reliqua urbis loca olim discreta, tum Argeorum sacraria, in septem & viginti partes, ubi sunt disposita.* Ego in hac scriptura nihil variavi, nihil mutavi, sed eam, ut reperi, sartam tectam conservavi. TURNEB. Distributa primum fuit urbs in quatuor urbanas tribus, Esquilinam, Collitiam, Palatinam & Suburanam. Per quas diffusi erant Argei per XXVII sacraria. Ab eo infra in sacris Argeorum scriptum est, PRIMÆ REGIONIS QUARTUM SACRARIUM. Itaque videtur Vertranius aliter sensisse: in quo sane errat. SCALIG. Antiquæ editiones habent, *Partes urbis loca sint.* quæ scriptura manifeste indicat, hoc glossema inducendum esse, & assumendum ex superioribus illud urbis loca. Porro regiones urbis, eædem tribus urbanæ, in initio quatuor fuerunt, Suburana, Esquilina, Collina, Palatina: per quas Argeorum sacraria XXVII erant disposita, sed in aliis plura vel pauciora. Nam prima regio habebat sex sacraria, ut infra scriptum est. Postea Augustus spatium urbis in XIV regiones divisit, instituitque, ut illas annui magistratus, id est, ædiles, tribuni plebis, prætoresque sortito tuerentur, auctore Suetonio. Paulus Ictus de Officio præfecti vigilum: Deinde Divus Augustus maluit per se huic rei consuli. nam salutem reipublicæ tueri nulli magis credidit convenire, nec alium ei rei sufficere, quam Cæsarem. itaque septem cohortes opportunis locis constituit, ut

binas regiones urbis unaquæque cohors tueatur. Dion. lib. 55 Histor. καὶ τῶν δημάρχων τῶν τε στρατηγῶν πᾶσαν τὴν πόλιν εἰς δεκατέσσαρα μέρη νεμεθεῖσαν, κλήρῳ προσταχθέντων, ὃ καὶ νῦν γίγνεται. POPMA.

lin. 25. *Cœlio.*] Marg. Scal. *Cœle.*

lin. 27. *Post Cœlii obitum.*] Marg. Scalig. *Cœlis.*

Pagina 15.

lin. 2 sq. *Cum Cœlio conjunctæ Carinæ* &c.] Reperio etiam: *cum Cœlio conjunctim Carinæ, & inter eas quem locum Ceroliensem appellatum apparet.* Cum autem dicit, *primæ regionis quartum sacrarium*, unum ex Argeis intelligit. *Argei* porro loca erant in urbe a Numa consecrata, ubi sacra fiebant, ut auctor est Livius. TURNEB.

lin. 3. *Eas.*] Marg. Scalig. *eos.*

lin. 5 sq. *Quarticeps circa Minervium.*] Minervium templum est Minervæ, ut *Dianium*, Dianæ. Minervium quoque a Victore, vel, ut alii malunt, Rufo, ponitur in nona urbis regione. Ceterum *quarticeps* cum dicitur, & *terticeps*, si Volaterrano credimus, significatur Quatuor vel tres vertices habens. Cui expositioni non assentior, cum potius intelligatur tertius aut quartus mons, pars & caput. Itaque ad ordinem sunt ista referenda, ut in Suburana regione constat, in qua princeps erat Cœlius, deinde Cœliolus, mox Carinæ, & quarticeps Ceroliensis. Sed & ad ordinem ista referenda esse, ostendunt liquido ea, quæ Varro de Esquiliis scribit, ne pluribus id docere coner. TURNEB.

lin. 7. *Ceroliensis a carinarum junctu dictus Carinæ, postea Cerionia.*] Lego: *Ceroliensis a carinarum junctu dictus Carinæ, postea Cerolià.* Hic autem (nisi fallus, ut sæpenumero, augur sum) *Ceroliam* videtur indicare appellatam a κάρα quod ibi caput esset Sacræ viæ. TURNEB.

lin. 9. *Streniæ.*] Marg. Scalig. *Stireniæ.*

lin. 10. *Qua sacra quotquot mensibus feruntur in arcem.*] Quod hic quotquot mensibus sacra in arcem per viam Sacram dicit ferri Varro, id intelligendum crediderim de sacris Idulibus. Nam Idibus sacerdotes sacra in arcem ferebant rei divinæ causa. Ad eam fortasse consuetudinem respexit Flaccus, cum scripsit:

——— *Dum Capitolium*
Scandet cum tacita virgine pontifex. TURNEB.

Quot Idibus ſcilicet, cum mactabatur agna Jovi. Ovid. *Idibus alba Jovi grandior agna cadit.* Ab eo dicebatur agna Idulis, ex cujus lana conficiebant Flamines Diales albogaleros ſuos. Et ſacra illa, quæ hic innuit Varro, dicebantur Idulia. Feſtus de ſacra via loquens, *Quidam*, inquit, *dictam putant*, *quod eo itinere utantur ſacerdotes Idulium ſacrorum conficiendorum cauſa.* Quare non aſſentior viro erudititiſſimo A. Auguſtino, qui *Edulium* legendum putat. SCALIG.

lin. 13. *Proximo clivo.*] *Primori clivo.* Utrumque habent libri. AUGUSTIN.

lin. 19 ſq. *Nunc ſcribitur tertia litera B. non C.*] Emendo: *Nunc ſcribitur tertia litera C*, *non B*, Quinctiliani auctoritate fretus. Sic enim ſcribit lib. 1: *Et Subura cum tribus literis notatur*, *C tertiam oſtendit.* Nam cum literarum compendio ſcribebatur & tanquam notabatur, *Suc* notatum, *Suburam* ſignificabat. TURNEB.

lin. 21. *Secundæ regionis Eſquilinæ ab Eſquileis : alii has ſcripſerunt.*] Emendo: *Secundæ regionis Eſquiliæ : alii has ſcripſerunt.* TURNEB.

lin. 24. *Concinunt.*] Marg. Scalig. *conveniunt.*

lin. 25. *Quod ibi lucus fagutalis*, *& lucus Mephitis*, &c.] Lego: *Quod ibi lucus dicitur fagutalis*, *& larum Querquetulanûm ſacellum*, *& lucus Mephitis.* Dicitur autem Larum querquetulanûm, ut Larum permarinûm apud Livium, qui ſunt (ut vetus lexicon interpretatur) θεοὶ διαπόντιοι. *Lares querquetulani* dicuntur, quod ibi querquetulum fuiſſet. Cœlius enim mons, Querquetulanus a quernea ſilva vocatus fuit. Sed tamen quos Lares querquetulanos Varro appellat, prope eſt ut nymphas querquetulanas Pompejus vocare videatur. TURNEB. Al. *Quod ibi lucus Fagutalis & Larium. Querquetulanum ſacellum*, *& lucus Martis.* Puto legendum: *Quod ibi lucus Fagutalis*, *& Virarum querquetulanum ſacellum*, *& lucus Mephitis.* Feſtus: *Querquetulanæ Viræ putantur ſignificari Nymphæ præſidentes querceto vireſcenti: quod genus ſilvæ indicant intra portam*, *quæ ab eo dicta ſit querquetulana.* Ergo Viræ querquetulanæ, nihil aliud ſunt, puto, quam quæ Græce χλωρίδες καὶ ἁμαδρυάδες dicuntur. De Mephiti vero meminit Feſtus & Servius. SCALIG. Legendum: *Virarum Querquetulanum*, *& lucus Martis.* Virarum Querquetulanum ita dicitur, ut Nemorenſe Dianæ. Erat autem Querquetulanum nemus querneum in Eſquiliis, cui præerant Nymphæ Hamadryades, dictæ ex hoc Querquetulanæ Viræ. Feſtus: *Quer-*

quetulanæ Viræ putantur significari Nymphæ præsidentes querceto virescenti, quod genus silvæ indicant intra portam, quæ ab eo dicta sit Querquetulana. De qua porta meminit Plin. lib. 16. POPMA.

lin. 26. *Quorum angusti fines: non mirum.*] Taxat luxum sui temporis. Quare verba ejusdem Varronis ex libro I de vita populi Rom. huc spectant. Citantur quidem illa tribus locis dispersa apud Nonium: quæ nos conjunximus ad hunc modum: *Hæc ædis, quæ nunc est, multis annis post facta fuit: quia omnia regiis temporibus delubra parva facta, ut in cetero cultu. Quæ sunt consentanea, quod sint paupertina, sine elegantia, ac cum castimonia. Quid inter hos Joves intersit, & eos, qui ex marmore, ebore, auro, nunc fiunt, potes animo advertere & horum temporum divitias, & illorum paupertates.* Hæc ille. Ovidius: *Juppiter angusta vix totus stabat in æde.* Videntur ea, quæ ex eodem Varrone adducit Clemens Alexandrinus, non longe ab superioribus abfuisse. Τὸ παλαιὸν, inquit, δόρυ φησὶ γεγονέναι τοῦ Ἄρεως τὸ ξόανον Οὐάῤῥων ὁ ξυγγραφεὺς, οὐδέπω τῶν τεχνιτῶν ἐπὶ τὴν εὐπρόσωπον ταύτην κακοτεχνίαν ὡρμηκότων. SCALIG.

lin. 27. *Jamdiu enim late avaritia una est.*] Lego: *Jamdiu enim latæ avaritia viæ est.* atque in hac emendatione non meam, sed antiqui libri fidem obstrictam esse volo. TURNEB.

Pagina 16.

lin. 3. *Mons tercicepsos — quadricepsos.*] Modo Terticeps reperio in editionibus, modo Terticepsos, modo in Volaterrano Quarticepsis, modo in codice antiquissimo Quarticepsois. Cum autem inveniam quibusdam in locis non Quarticeps, sed Quadriceps, nec Terticeps, sed Triceps, tum apparet, non tam ordinem significari, quam collium & jugorum multitudinem. Quamquam Quarticeps & Terticeps legere malim, vel Quarticeps, is, & Terticeps, is. TURNEB.

lin. 4. *Dexterior via in tabernola est.*] Malim legere, *Dexteriore via in tabernula est*, (ut supra *sinistra* auferendi casu) quam *dexterior* nominandi. TURNEB.

lin. 6. *Septimius mons quinticepsos lucum Pœtilium. Esquilinus.*] Al. *Septimius mons quinticepsos lucum Pœtilium, ex quibus est.* Lego: *Septimius mons quinticeps lucum Pœtilium, Esquiliis est.* Et frequens mendum hic inolevit. Nam male *quinticepsos, sexticepsos* scriptum est, pro *quinticeps, sex-*

ticeps &c. Neque enim *primicepsſos* dixit, ſed *primiceps*: SCALIG. Idem pro *Pætilium* in Marg. habet *Petillium*.

lin. 10. *Viminalis a Jove Viminio, quod ibi aræ ſunt ejus, aut quod ibi vimineta fuerunt.*] Lego: *Vimina nata fuerunt.* ex libris utrumque. AUGUSTIN. Lego ſic: *Viminalis, a Jove Viminio, quod ibi aræ ſunt, qui quod ibi vimina nata.* TURNEB.

lin. 19. *Collis Salutaris quarticepſos adverſum eſt pila Naris, ædem Salutis.*] Conjicio, & fortaſſe, ut plerumque, futilis & vanus hariolus ſum: conjicio, inquam, legendum, *Adverſum eſt Apollinaris, ædem Salutis*: ut Apollinaris collis intelligatur, in quo Apollinis ædes erat. Apollinaris etiam vicus erat in urbe Roma, cujus mentio eſt apud Victorem. TURNEB. Al. *Pilonoris*, cui nonnulli ſubſtituerunt *Pila Naris*: ut eo modo dicta ſit *Pila Naris*, quomodo Pila Tiburtina. Sed quomodo reliqua cohærere apte poſſint, ipſi viderint. Alii *Pila Honoris*, alii *Honoris ædem*, majore imprudentia. Non enim, niſi fallor, antiquior fuit Honoris ædes, ea, quæ vota eſt a Cl. Marcello, bello Gallico, ad Claſtidium. Alia autem a C. Mario ex Cimbricis manubiis dedicata fuit. Tantum vero abeſt, ut utravis harum hic intelligatur, ut libri Argeorum non minus CCC annis præcedant Cl. Marcellum. Sed profecto erraverunt librarii, qui non meminerunt, cum hæc exſcriberent, in iis multa eſſe, quæ poſtea non fuerunt in uſu: ex quo factum eſt, ut *Pilonoris* corruptum fuerit ex antiquo genitivo *Apolineris*. Ita enim legendum fuerat: *Collis ſalutaris quarticeps advorſum eſt Apolineris ædem & Salutis.* In colle enim Quirinali hi particulares fuerunt, Collis Salutaris, Apollinaris, Martialis, Latiaris. Apolineris, vel Apelineris, antiquo declinatu, ut Boveris, Sueris, Joveris, regerum, lapiderum, nucerum. Sic apud Feſtum *Nec erim*, pro *Nec eum.* Sic puto Cn. Martium vatem, auctorem vetuſtiſſimum, eo declinatu uſum eſſe, cum præſertim aliter in hexametro verſu vix facile locum habere poſſit nomen Apollinis. Exſtat autem apud Livium carmen illud, ſeu vaticinum, alienis quidem verbis, & quaſi mitigatum a Livio, deterſo illo ſitu & ſqualore vetuſtatis. Veritus enim fuit, ne ſimplex illa ruſticitas verſuum inquinaret delicias illas & lucem orationis ſuæ. Non tamen ita mutavit, ut divinandi locum maxima ex parte non reliquerit illis, qui reſtituere vellent. Quæ, niſi fallor, ita ab auctore relicta fuerant:

Romulidæ, ſi perduellis expellere voltis,
Et vomicam, quæ gentium longe alienigenarum

Venit, Apolineri voveatis censeo ludos,
Quiqui Apolineri fiant commune quotannis.
Prætor ibus ludis faciundis ollu' præsto,
Qui summum poplo plebeique endo Urbe dabit jus.
Poplos poblicitus cum dederit e stipe partem,
Conferinant uti privatim pro seque suisque.
At bis quinque viri sacra Græco ritu obeunto.
Hæc si faxitis recte, gaudebiti' semper,
Atque adeo fiet melior res poblica vostra.
Nam is Dius vostros perduellis stinguet ad unum,
Qui vostros campos placide nunc ruraque pascunt. SCALIG.

Pro *Pilonoris* in nonnullis libris est *Pila naris.* An ergo *Pilomnaris* Salus cognominata fuit, quod pelleret hostes, vel quod pilis salutem daret? sicut in Saliari carmine *Pilomnæ poplæ* indigitabantur Romani, velut pilis uti adsueti, vel quia præcipue pellerent hostes, inquit Festus. An potius legendum Apollinaris? ut hujus nominis collis intelligatur, in quo Apollinis ædes erant, sicuti in Salutari colle Salutis ædes, quæ Salutis augurium vocabatur. nam collis Quirinalis hos particulatim amplectebatur, collem Apollinarem Salutarem, Martialem, Latiarem. Ex quo intelligitur locus Ciceronis ad Atticum lib. 12: *De Cæsare vicino scripseram ad te, quia cognoram ex tuis literis. eum σύνναον Quirini malo, quam Salutis.* Cum enim habitaret Atticus in colle Quirinali, haud procul templo Salutis, ibidemque Cæsar ad Quirini, festive jacit, se malle, illum contubernalem esse Quirini, quam Salutis, ut scilicet ob tyrannidem potius occidatur a suis civibus, quemadmodum Romulus, quam ut a Salute servetur. POPMA.

lin. 20. *Collis Mutialis.*] *Collis Martialis* legendum esse, auctor Dionysius lib. 9. Ἐν δὲ τῇ πόλει, inquit, τὸν νεὼν τοῦ Πιστίου Διὸς Σπόριος Πόστουμος ὁ συνύπατος αὐτοῦ καθιέρωσε, μηνὸς Ἰουνίου ταῖς καλουμέναις νώναις, ἐπὶ τοῦ Ἐνυαλίου λόφου. SCALIG.

lin. 23. *Apud Turaculum ædificium solum est.*] Cum *auraculum* reperiam in antiquo codice, unius syllabæ supplemento *auguraculum* scribo. Sic vocatur locus, unde augures auguria captabant. Auguraculum dicit esse Festus arcem, quod inde auspicarentur augures. Victor auguratorium etiam collocat in Capitolio. Sunt & qui e Carinis captata auguria tradant. Auguraculum Græce οἰωνιστήριον dicitur. Scribit Higinus in libro de Castris metandis, in castris Romanorum fuisse auguraculum, quod Tacitus augurale vocat. TURNEB.

In antiquitus excusis, qui semper aliqua veræ lectionis vestigia retinent, legitur *Auraculum.* Quod sane ostendit legendum esse *Auguraculum.* ad verbum id est τὸ οἰωνοσκοπεῖον. Festus, *Auguraculum appellabant antiqui, quam nos arcem dicimus; quod ibi augures publice auspicarentur.* SCALIG.

lin. 26. *Palantes.*] Marg. Scalig. *Palantei.*

lin. 29 sq. *Eundem hunc locum a pecore dictum putant quidam.*] Nihil deesse videtur; quia cum dicit *a pecore dictum*, forsan intelligit a pecoris balatu, ut Nævius. Videndum tamen, num ita scripserit Varro: *Eundem hunc locum Pecuscum a pecore dictum putant quidam.* Festus: *Pecuscum Palatii dicta est eo regio Urbis, quam Romulus obversam posuit ea parte, in qua plurimum erat agri Romani ad mare versus, & qua mollissime adibatur Urbs.* Equidem nil certi statuo; tamen non abs re esse putavi, indicare de ea re suspicionem meam. SCALIG.

lin. 30 sq. *Itaque Nævius Balantium appellat.*] Pergam equidem per Varronem grassari, &, si id consequi potero, quædam ejus ulcera non manu divina tractans persanabo, sed ope fortassis humana prosequar. Scribitur in eo: *Itaque Nævius Balantium appellat.* hic ego a Balatu *Balatium* legendum affirmo, præsertim libro antiquo adstipulante: quamquam sine codicis approbatione, sola posset analogia hoc obtineri adversus librorum pertinaciam. TURNEB.

Pagina 17.

lin. 1. *Et in hac regione sacriportus est, & in ea sic scriptum, Germalensis quinticepsos.*] Scribo: *Quod in hac regione scriptum est germalensis quinticeps. Sacriportus* enim a vetere libro non agnoscitur, qui in quarta erat Urbis regione, non in Palatina. TURNEB.

lin. 5. *Quod ad ficum ruminalem & hi (ibi) inventi.*] Vera lectio, *Quod ad ficum Ruminalem e Tibri invecti.* Nemo paulo doctior negabit hanc veram esse, non quæ exstat in editione Romana. SCALIG.

lin. 10. *Vellera dicuntur.*] Vetus lectio, *Vellemera.* Scribe, *Vellemena*, vel *Vellimina*, ut in libris de Re rustica. SCALIG.

lin. 13. *Tatienses — Ramnenses.*] Marg. Scalig. *Taties — Ramnes.*

lin. 19. *Sic reliquæ tribus ab iis rebus, de quibus in tribuum*

libreis dixi.] Reperio in rudectis, ut ita dicam, librorum vetustate cariosorum: *Sic reliquæ triginta tribus ab his, quibus in tribuum libris dixi.* Etsi autem scriptura, quæ celebrata est per hominum ora & librorum publicorum monumenta, non ingrata nec injucunda est: tamen pervetustam istam & rancidam exoletamque, non indignam luce judicavi, qua ad hanc ætatem caruit, in abditis bibliothecis semper sepulta. TURNEB.

lin. 25. *Hi Dei iidem, qui in Ægypto Serapis & Isis, & st Harpocrates digito significat.*] Quidquid nonnulli homines obloquantur, nimium dediti librorum publicorum perfidiæ, audebo emendare: *Hi Dei iidem, qui ab Ægyptiis Serapis & Isis, etsi Harpocrates digito significat, ut taceam.* Ait enim, Harpocratem, qui os digito premit & signat, per ænigma significare, ne ista mysteria evulgentur & enuntientur. Digitus enim ejus ori appositus silentium & taciturnitatem vel imperabat, vel indicabat. Hinc illud Catullianum:

— & patruum reddidit Harpocratem.

Eo quoque nomine Sigalion vocabatur. Ausonius:

Et tua Sigalion Ægyptius oscula signet.

Talis fere apud Romanos erat Angerona Dea, quæ simulacrum ore obligato obsignatoque habebat. In antiquo lexico explicatur Dea consilii & temporum. Ejus verba sunt: *Angeronia, ἡ θεὸς βουλῆς καὶ καιρῶν.* TURNEB. *Et st Harpocrates digito significat.* Ita emendatum est in Romana editione priore: quæ vera est lectio. ST enim nota indicentis silentium apud Plautum & Terentium. Ita etiam legendum in exemplo Pomponii, Attellanarii poetæ, adducto a Nonio:

Pater. at st. negato esse hic me: operibo caput.

Non tamen hic Varro Harpocratis injecit mentionem, tanquam tertii Dei, cum satis esset Serapis & Isis, ut alterum, eundem cum Saturno, alteram, eandem cum Iside faceret. Sed apparet, esse ex quodam poeta, qui horum trium simul mentionem faceret. Videtur autem ita scripsisse, quisquis fuit vetus ille poeta:

— Sanctu' Serapis,
Isis & Harpocrates, digito qui significat st.

Suspicorque esse Lucilii: neque longe abfuisse ab iis, quæ adducit Lactantius ex eodem poeta, de superstitioso cultu Deorum. Porro Ausonius nostras vocat eum Sigalionem, eo versu:

Aut tua Sigalion Ægyptius oscula signet.

Post hæc verba in codice Romano legitur, *Qui sunt Taautes, & Astarte apud Phœnicas.* Quæ tamen verba non hic magnopere necessaria videbantur. Quare suspicor de opinione potius addita fuisse: ut etiam addam, Taautem illum non Phœnicum, sed Ægyptiorum numen fuisse: quem alii Theuth vocant, ut Cicero in libris de Natura Deorum. Astarte vero ea est, quæ Astarot in divinis literis vocatur. Id, Phœnicum lingua sonat greges, καὶ τὰ μῆλα: tanquam suspiceris dictam a victimarum multitudine. Ea colebatur a Sidoniis, sicut Dagon a reliquis Phœnicibus & Assyriis. Græcis dicitur Δερκετὼ, καὶ Δερκῖτις: nimirum detorta voce a Syriaco Adardaga. Significatio a pisce. Apud Macrob. Saturn. lib. I, cap. XXI, *Architidis* perperam, pro *Dercitidis*, hodie vulgo legitur. SCALIG.

lin. 26. *Et st — significat.*] Marg. Scalig. *soe.* Docti viri scribendum putant, *& st*, vel potius, *sed st*, id est, Harpocrates digito ori admoto imperat mihi silentium, monetque, ne plura dicam de hisce magnis Diis. Sed hæc lectio orationem interrumpit & perturbat, neque est verisimile, Varronem, cum notissima & apertissima vocabula haberet, illa nota indicentis silentium, Comicis tantum poetis cognita, uti voluisse. Itaque magis mihi quidem probatur vetus lectio, in qua ἀποσιώπησις apta mysteriis, intelligiturque illud, ut taceam de his Ægyptiis Diis. Nam apud Ægyptios, ubicunque colebantur Serapis & Isis, ibi & Harpocrates juxta statuebatur, qui dextræ salutari digito os obsignabat: cujus mysterii causam Varro hic reticet: sed refert Augustinus lib. 18 his verbis: Et quoniam in omnibus fere templis, ubi colebantur Isis & Serapis, erat etiam simulacrum, quod, digito labiis impresso, admonere videretur, ut silentium fieret. Hoc significare idem Varro significat, ut, homines eos fuisse, taceretur. POPMA.

lin. 31. *quas Ambracia ante portas statuit.*] Sic legitur in Codice Rom. pro vulg. *Samothracia*: puto ex veteribus libris. Si enim alio consilio fecerunt, rationem certe non habent, cur hic *Ambraciam* potius legi malint, quam *Samothraciam*: cum ipsi Dii magni non in ea gente, sed in Samothracia, (ut & norunt omnes) colerentur. Quod si de suo emendarunt, non est, quod eorum conjecturis posteriorem lectionem postponamus. Sin autem ex veterum codicum auctoritate, (quod magis puto) sane legendum est *Imbrasia*. Ita enim Samothraciam dictam esse a fluvio Imbraso, tam notum est,

quam Imbrasum in Samothracia esse, qui prius Parthenius dicebatur, teste Callimacho, ita canente:

Ἀντὶ γὰρ ἐκλήθης Ἴμβρασε Παρθενίου.

Vide Stephanum. Utut autem legeris, *Imbrasiam*, aut *Samothraciam*, habes utriusque rei auctoritates. SCALIG.

Pagina 18.

lin. 2 sq. *Sed hi mas & femina.*] Dii magni, inquit, non sunt unius sexus virilis, ut qui in Samothracia visuntur ante portas duo viri ænei, aut quos vulgus existimat, Castor & Pollux: sed sunt mas & femina, ut Cælus, Tellus, Saturnus & Ops, & hi, qui in Augurum libris appellantur *Divi potes*, & in Samothracum mysteriis θεοὶ δυνατοί: de quibus meminit Orpheus hoc versu:

Κουρῆτες κορύβαντες ἀνάκτορες εὐδύνατοί τε
Ἐν Σαμοθράκῃ ἄνακτες.

Sed de Castore & Polluce vulgatam opinionem confirmat inscriptio Murtiæ in Hispania: CASTORI ET POLLUCI DIIS MAGNIS SULPITIA Q. SULPITII VOTUM OB FILIUM SALUTI RESTITUTUM. *Popma.*

lin. 4. *Divi potes.*] De his multi multa: Dionysius lib. 1, Macrob. interpres Apollonii. Dicuntur & κάβειροι. Quæ vox Phœnicia aut Syriaca est. Cabir enim ejus gentis lingua significat potem, sive potentem. Tertullianus libro de spectaculis, *Ante eas (columnas) tres aræ trinis Diis parent, Magnis, Potentibus, Valentibus. eosdem Samothracas existimant.* Hæc ille. Pausanias Castorem & Pollucem putat esse θεοὺς μεγάλους. Varroni ea opinio non placet. SCALIG.

lin. 5. *Hæc duo, Cælum & Terra.*] Cælum & Terram esse principes & magnos Deos, probat ex eo, quod sunt rerum omnium initia. nam ex his anima & corpus; hoc e terra, illa e cælo, in quo calor sive ignis, qui est anima & mens, ut ait Ennius in Epicharmo:

Istic est de sole sumtus ignis, isque totus mentis est.

& ibidem:

Quæ dedit illa, capit, neque dispendi facit hilum.

quem versum æmulatus Lucanus lib. 7:

— *capit omnia tellus*
Quæ genuit.

Pacuvius Chryse:

Mater est terra: ea parit corpus: animam æther adjugat. POPMA.

lin. 6. *Humidum & frigidum.*] Cælum & Terra, inquit, sunt principia rerum calida & sicca, quibus juncti Aer & Aqua, quæ sunt humida & frigida, omnia ex se genuerunt: quia natura, ut ait Ennius,

Frigori immiscet calorem, atque humori aritudinem.

Est autem decretum Stoicorum, τὸ πῦρ τὸ θερμὸν, τὸ δὲ ὕγρον, τόν τε ἀέρα τὸ ψυχρὸν, καὶ τὴν γῆν τὸ ξηρόν· ut est apud Laertium Zenone. POPMA.

lin. 7. *Ova parire solet.*] Sumtum ex Epicharmo:

Εὔμαιε, τὸ σοφόν ἐστιν οὐ καθ᾽ ἓν μόνον.
Ἀλλ᾽ ὅσσαπερ ζῇ, πάντα καὶ γνώμαν ἔχει.
Καὶ γὰρ τὸ θῆλυ τῶν ἀλεκτορίδων γένος,
Αἰ λῇς καταμαθεῖν τοτενὲς, οὐ τίκτει τέκνα
Ζῶντ᾽, ἀλλ᾽ ἐπωάζων ποιεῖ ψυχὴν ἔχειν.

Habentur apud Laertium in Platone. SCALIG.

lin. 8. *Et post Inde.*] Legendum forsitan est, *sed post inde.* Sic enim Epicharmus, quem & secutus & interpretatus est Ennius:

Καὶ γὰρ τὸ θῆλυ τῶν ἀλεκτορίδων γένος·
Αἰ λῇς κηταμαθεῖν τοτενὲς οὐ τίκτει τέκνα
Ζῶντ᾽, ἀλλ᾽ ἐπωάζων ποιεῖ ψυχὴν ἔχειν.

Post inde, ut exinde, deinde. POPMA.

lin. 9. *Insinuans se ipsa anima.*] Scribo, versu cogente: *Insinuans sese ipsa anima.* In libro tamen scripto, *insinuans* non reperio, sed *Divinitus pullis ipsa anima.* TURNEB.

ead. *Sive, ut Zenon Citieus, animalium semen ignis.*] Nollem accidisse præstantissimo viro, Adriano Turnebo, ut putaret, Varronem hic agere περὶ τῆς ἐκπυρώσεως, qua dicunt, universum mundum conflagraturum. Primum Zenon neque solus, neque primus περὶ ἐκπυρώσεως scripsit. Deinde ut ponamus, id verum esse, qui fieri potest, ut anima constet ex incendio, aut conflagratione? perinde id esset, ac si diceres, immortalitas animæ est ex corruptione. Sed injuriam fecerunt manibus eruditissimi & maximi viri, qui nescio quæ ejus ἀποσπασμάτια, vel potius abortiva quædam in Varronem post mortem ejus ediderunt: quibus magis traduxerunt eum, quam ejus nomen commendarunt. Nam quid opus erat ea edere, cum ipse ea more suo in Adversaria sua tumultaria opera insersisset? sane (ne quid amplius dicam) indigna sunt, quæ tanti viri titulum præferrent. Sed

ad rem. Non, inquam, hic περὶ ἐκπυρώσεως sermo est, sed de eo, quod præter quatuor elementa quintum additum est, quod ab Aristotele ἐντελέχεια vocatur, a Zenone dicitur esse ignis, ex quo mentem, animam, cogitationes, omnesque animi actiones ait esse. De quo, quia tritum est, non aliud addam, quam ejus rei a Cic. in lib. 4 de Finibus, item in Academicis, mentionem fieri. Meminit & Tertullianus, libro de Anima, Plutarchus in Decretis, Laertius in Zenone, & alii. SCALIG.

lin. 11. *Qui calor e cælo.*] In libro scripto reperio, *qui caldor e cælo.* TURNEB.

lin. 12. *Epicharmus.*] Epicharmi, poetæ Pythagorici, quædam περὶ τῆς παλιγγενεσίας interpretatus est Ennius. Ab eo opus suum Epicharmum inscripsit: in quo illam παλιγγενεσίαν sibi accidisse in somnis, testatus est hoc versu:

Nam videbar somniare ego med esse mortuum.

Huc allusit Horatius:

Ennius, & sapiens, & fortis, & alter Homerus,
Ut critici dicunt, leviter curare videtur,
Quo promissa cadant & somnia Pythagorea.

Cave autem confundas cum altero somnio ejusdem poetæ, cujus meminerat in primo Annali: in quo apparuisse sibi Homerum dicit in eo acroteleutio,

— visus Homerus adesse poeta.

Itaque scribit Lucretius:

Unde sibi exortam semper florentis Homeri
Commemorat speciem. —

In eo somnio narrabat Homerus Ennio, animam suam mutatam in pavonem, ea acroteleutide,

Commemini fieri me pavum, —

ut citat Charisius. Deinde ita mutatam in Ennii corpus insinuasse. Persius:

Cor jubet hoc Enni, postquam destertuit esse
Mæonides, Quintus pavone ex Pythagoreo.

Postquam autem Q. Ennius factus esset κατὰ μετεμψύχωσιν ex illo pavone Pythagoreo, statim factum esse poetam, dum in Parnasso ea somniaret. Propertius:

Visus eram molli recubans Heliconis in umbra, &c.

Deinde:

Unde pater sitiens Ennius ante bibit.

Quare allusit Persius ad illud somnium Ennii, in quo narra-

bat, se esse factum poetam; quod tamen pauci animadverterunt, cum scribit:

Nec fonte labra prolui Caballino:
Nec in bicipiti somniasse Parnasso
Memini, ut repente sic poeta prodirem, &c. SCALIG.

lin. 13. *Istic est de sole sumtus ignis.*] Ita distinguenda sunt hemistichia ista trochaica:

Isthic est de sole sumtus ignis,

id, est, sol est. Deinde:

— *Isque totus mentis est.*

Nam *mentis* pro *mens* dictum est: quomodo idem in eodem opere alibi:

Terra corpus est: at mentis ignis est —

id est *Mens*. Ita citat Priscianus ex Epicharmo Ennii. Puto autem ita integrum versum enuntiandum esse:

Istic est de sole sumtus ignis, isque mentis est.

De hoc autem loco sensit idem Varro libro I de Re rustica, capite 4: *Ejus principia, quæ mundi esse Ennius scribit, Aqua, Terra, Anima & Sol.* Pudet me referre, quam male acceptus sit hic locus in editione Romana: adeo ut qui antea vulgo integer legebatur, nunc totus vitiosus in ea habeatur. SCALIG.

lin. 15. *Frigidæ sunt.*] Marg. Scalig. *frigidescunt.*

ead. & sq. *Quibus juncti cælum & terra omnia ex se genuerunt.*] Invenio etiam (nec inventum supprimo celove, aut intercipio, sed communem Mercurium veneror & revereor) *quibus juncti cælum & terra omnia exgenuerunt.* TURNEB.

lin. 17. *Frigori immiscet calorem, atque humori aritudinem.*] Ita veteres libri. Al. *ariditatem.* Verba sunt Ennii. estque versus trochaicus integer. Ita etiam Varro ipse Prometheo libro I, pæne iisdem verbis:

Humanæ quandam stirpis gentem concoquit
Frigus, calori atque humori aritudinem
Miscens. —

Qui versus confusi & valde depravati vulgo leguntur apud Nonium Marcellum. SCALIG.

lin. 18 sq. *Animam æther adjungat.*] *Adjugat*, vir quidam doctus mutat. AUGUSTIN. Lego: *Animam æther adjugat*, ut clausula sit versus trochaici: & (si testis producendus est) ita etiam a Nonio, nisi hallucinor, legitur. TURNEB.

lin. 19 sq. *Et Ennius, Esse igitur corpus terram, quæ deperit ipsam, Et capit, & neque jam dispendei conficit hilum.*]

Hoc sic reperio perscriptum: *Et Ennius terram corpus, quæ deperit, ipsam capere, neque dispendi facere hilum.* Solet enim interdum sic poetarum verba proferre Varro, ut versum evertat, aut mutilet. TURNEB. Versus sunt duo: *Esse corpus terram, quæ peperit, ipsam capere, neque dispendii facere hilum.* Qui vero sunt excogitati a correctoribus Romanæ editionis, & nullius sensus sunt, & longe absunt a sententia Varronis. Quamquam non caret ratione, quod pro *peperit*, restituerint *deperit*: quod videntur suspicati esse, Ennium hic agere de conjunctione cæli & terræ, adducti illis verbis Euripidis:

Ἐρᾷ μὲν ὄμβρου γαῖ' ὅταν ξηρὸν πέδον. & quæ sequuntur. Sunt enim vulgo noti apud Athenæum. Item ex Æschylo:

Ἐρᾷ μὲν ἁγνὸς οὐρανὸς τρῶσαι χθόνα &c.

Unde illud:

Tum pater omnipotens fœcundis imbribus Æther
Coniugis in gremium lætæ descendit. —

Papinius:

— *ipsum in connubia Terræ*
Æthera, cum pluviis rarescunt nubila, solvo.

Quod est ex Scytharum opinione. Herodotus libro 4: Θεοὺς δὲ μούνους τούσδε ἱλάσκονται, Ἱστίην μὲν μάλιστα, ἐπὶ δὲ Δία τε καὶ Γῆν· νομίζοντες τὴν Γῆν τοῦ Διὸς εἶναι γυναῖκα. Est apud Pausaniam, Γῆς ἄγαλμα ἱκετευούσης ὗσαί οἱ τὸν Δία. Hæc sunt, quæ possunt nobis objicere, ut tueantur correctionem suam: quæ tota versatur in verbo *deperit*. Id vero alienissimum est mente Varronis, aut Ennii. Id enim volebat ille, animam ex æthere, corpus ex terra esse: unumquodque vero illuc, unde profectum erat, reverti: ut idem Epicharmus, forsan in eodem opere, testatus fuerat, cum ait, Συνεκρίθη, καὶ διεκρίθη, καὶ ἀπῆνθεν, ὅθεν ἦνθε, πάλιν· γᾶ μὲν ἐς γᾶν, πνεῦμα δὲ ἄνω. τί τῶνδε χαλεπόν; Id ergo concludit eleganti metaphora, sumta a fœneratoribus: Terram, quæ dederit corpus, iterum illud recipere, neque pati, ut ullum dispendium, aut intertrimentum crediti fiat, quo minus quod credidit, id ipsum recipiat. Usurpat ergo Varro non versum, servata metri lege, sed verba tantum. Nam versus ipse citatur ab eo, libro 8:

Quæ dedit illa, capit, neque dispendii facit hilum.

Quare nihil mutandum in hoc loco: hoc uno excepto, quod pro *peperit*, legendum esse *dederit*, versus ille jam a nobis productus docet. Ex quibus vides, quam ridicule illi duo

versus huc quasi obtorto collo in alienas sedes irrepserint. SCALIG.

lin. 23. *Inde omne corpus, ubi nimius ardor aut humor viget, aut interit, aut manet sterile.*] Lego: *Ubi nimius ardor, aut humor, aut interit, aut si manet, sterile.* TURNEB. Sequor correctionem doctissimi Turnebi, quam is ex vetere libro apponit. Quæ & ipsa sunt ex Epicharmo Ennii, quamquam versus ipsos nunc non citat Varro. Sunt enim omnia ad verbum Pythagorica. Pythagorei enim, sequentes principem suum, dicunt ἰσόμοιρα εἶναι ἐν τῷ κόσμῳ θερμὸν καὶ ψυχρὸν, ὑγρὸν καὶ ξηρόν. ὧν κατ' ἐπικράτειαν, θερμοῦ μὲν, θέρος γίνεσθαι· ψυχροῦ δὲ, χειμῶνα. ἐὰν δὲ ἰσομοιρῇ, τὰ κάλλιστα εἶναι τοῦ ἔτους· οὗ τὸ μὲν θάλλον, ἔαρ, ὑγιεινόν· τὸ δὲ φθίνον, φθινόπωρον, νοσερόν. SCALIG.

lin. 29. *Ideo ea in nuptiis in limine adhibentur.*] Idem Varro libr. 11 de Vita populi Romani huius rei mentionem faciebat. Cujus duo exempla citantur apud Nonium diversis locis, quæ conjungenda esse sententia ipsa indicat, ita, *Cum a nova nupta ignis in face afferretur e foco ejus sumtus, fax ex spinu allata esset, uti eam puer ingenuus afferret: contra novo marito cum item e foco in titione ex felici arbore, & in aquali aqua allata esset.* Reliqua deficiunt, in quibus, ut apparet, explicabatur februi genus, in quo torris ardens demergebatur in aquale: quod Græci vocant χέρνιβα. Idque plurimi erat apud veteres, utpote cum his constare vitam humanam crederent. Adeo ut quem vita privari vellent, ei his duobus interdiceretur: eumque vocabant extorrem, tanquam torris illius & χερνίβων exsortem. Itaque apud Hesychium, ubi hodie vulgo legitur, ἄφικτρος, ἀκάθαρτος, μιαρὸς, malo legere ἄφιτρος: quod est ad verbum extorris. φιτρὸς enim etiam torrem seu titionem significat, ut apud Lycophronem: quamquam ἄφικτρος, παλαμναῖος posset videri dictus, propter Jovem ἀφίκτορα, id est ἱκέσιον. Sed prior lectio magis placet. In verbis Varronis *spinu* correximus, cum antea *pinu* legeretur. Apud Ovidium quoque ita legendum est:

Exoptat puros spinea tæda Deos.

Hodie perperam *pinea tæda.* SCALIG.

lin. 30. *Quod conjungit hic.*] Marg. Scalig. *hinc.*

Pagina 19.

lin. 1. *Et eorum junctione sumit Venus. Hinc comicus, Vi-*

ctrix Venus videsne hæc?] Lego: *Et horum junctionis vis, Venus, comites, hinc: hinc victrix Venus.* nuptiales, ait, Veneris esse comites; ut suspicor, ignem & aquam. TURNEB. Pro *junctione*, margo Scalig. exhibet *vinctione*. Forte, *ex eorum vinctione tum fit Venus.* Varro deducit etymon Veneris a viendo, id est, vinciendo; & item Victoriæ, a vinciendo. Nam Venus, inquit, fit ex conjunctione ignis & humoris, quorum alterum e cælo, alterum e terra: & ex Telluris & Cæli vinctione nata Victoria: cui rei indicio est, quod utraque a poetis dicitur Cæligena: & quod Victoria fingitur cum corona & palma: corona, quod ea vinculum capitis; palma, quod ex utraque parte vincta habent paria folia. De Venere & Victoria Cæligena apud Latinos poetas, qui nunc quidem exstant, nulla mentio: sed Græci auctores nominant Ἀφροδίτην οὐρανίαν, id est, Venerem Cæligenam, ut Plato in Symposio & Pausanias. Ælianus hoc amplius, eam coli ab Ægyptiis. Cælestis vero non cognomen, sed nomen fuit Deæ, quam Afri Junonem, Persæ Mithram, alii Venerem intelligebant, venerabanturque summa religione. ejus meminerunt Herodotus & Dion, Augustinus lib. 2 de Civit. Dei, & Apulejus aliquoties. POPMA.

lin. 5. *Venus — cæligena.*] οὐρανία. Plato Symposio de duabus Veneribus loquens, ἡ μέν γέ που, πρεσβυτέρα, καὶ ἀμήτωρ, Οὐρανοῦ θυγάτηρ, ἣν δὴ καὶ οὐρανίαν ἐπονομάζομεν· ἡ δὲ, νεωτέρα, Διὸς καὶ Διώνης, ἣν δὴ Πάνδημον καλοῦμεν. Pausanias: ἔθετο δὲ καὶ τῇ Ἀφροδίτῃ τὰς ἐπωνυμίας ἡ Ἁρμονία, τὴν μὲν, οὐρανίαν, ἐπὶ ἔρωτι καθαρῷ καὶ ἀπηλλαγμένῳ πόθου σωμάτων· πάνδαμον δὲ, ἐπὶ ταῖς μίξεσι· τρίτην δὲ, ἀποστροφίαν, ἵνα ἐπιθυμίας τε ἀνόμου καὶ ἔργων ἀνοσίων ἀποστρέφῃ τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων. Primam ergo, hoc est, οὐρανίαν, Cæligenam interpretor, ut hic: πάνδημον vero Volgivagam. Lucretius: *Volgivagaque vagus Venere.* ἀποστροφίαν autem Vorticordiam. *Unde Venus vorso nomina corde tenet*, Ovid. Ælian. de animalib. lib. 10 ait, τὴν οὐρανίαν Ἀφροδίτην coli ab Ægyptiis. Censebatur vero inter eos Deos, quibus fiebant sacra νηφάλια, cujusmodi Romæ fuit Rumia Dea. Id puto, quod ei attribueretur divinantio, cui qui dabant operam, carebant temeto. Artemidorus de ea loquens: ἀγαθὴ δὲ καὶ μάντεσι. πάσης γὰρ μαντικῆς καὶ προγνώσεως εὑρετὶς εἶναι νενόμισται. Non immerito igitur Ennius ait, Anchisem edoctum fuisse vaticinandi scientiam a Venere; cujus hos duos versus citat Probus:

Atque Anchises doctu', Venus quem polchra Dearum
Fari donavit divinum pectus habere. SCALIG.

lin. 9. *In Asoto Ennii.*] Non Asotum scripsit Ennius, sed Cæcilius. Itaque antiquitus excusi non *Asoto*, sed *Sota* habent: quæ vera est lectio, sed decurtata. Nam *Sotadico* legendum est. Citatur a Festo Ennius in Sotadico, — *Cyprio bovi merendam.* Quod sane est comma Sotadicum. Sicut iste versus est Sotadicus ex Jonicis a majore:

Ibant malacam viere Veneriam corollam.

Apud Festum idem error inoleverat, qui & hic, *Asota*, pro *Sotadico*, ubi citat hunc versiculum:

Aliusque in mare volt magno tenere tonsam,
Alii rhetoricam tongent. —

Sed altera ἀκροστιχὶς a nobis addita est. Est & hic ex Sotadico Ennii apud eundem grammaticum:

Prope stagna, genus ubi lanigerum piscibu' pascit. SCALIG.

ead. *Ibant malam viere* &c.] *Ibant malacci.* utrumque libri. *Ibant mane viere*, quidam vir doctus. AUGUSTIN. Lego: *Ibant malaci*, ut molles significentur homines. Malacum pallium dixit Plautus, eodem modo & malacam coronam sumere: ut & scribere possemus, si ab auctoritate librorum nobis recedendum esse putaremus: quod quidem nobis minime nunc quidem faciendum esse ducimus. Ceterum quinque sunt integri solidique trochaici versus, ex Ennio prolati, quorum principium est lin. 25, *Istic est is Juppiter*: tantum, ne varii aut vatinii sint, legendum est lin. sqq. *Aera quique ventus est*: &, *isthæc propter*: &, *Qui mortales urbes atque.* TURNEB. Hic versiculus depravatior legitur apud Censorinum, *Ibant mala eluere Veneriam corollam.* In aliis legi, *malacci*, admoniti sumus ab iis, qui hunc auctorem Romæ ediderunt. Quam veram quidem lectionem, non tamen penitus a mendis vacuam Vertranius rejecit: cum parva licentia restitui in integrum possit, si legeris *malacam* pro *malacci.* Conjecturam nostram confirmat Sotadicus versus, qui citatur ab Hephæstione: & mirum, ni ex eo suum transtulerit Ennius. Eadem enim sententia, idem genus metri:

Ποίης τέρεν ἄνθος μαλακὸν ματεῦσαι.

At Vertranius ex ea corrupta voce putavit μαλάχην legendum esse: quasi vero difficile esset μαλακὸν divinare. SCALIG.

lin. 10. *Palmam dicunt, quod ex utraque parte.*] Sic legitur in Romana editione. Sed germana & legitima lectio est:

Palma, quod ex utraque parte, non quam ipsi suppofuerunt. Dixit enim, *Ideo hæc cum corona, & palma*: corona, quod vinculum capitis; palma, quod ex utraque parte natura vincta habeat paria folia. Et ita Plutarch. Sympos. lib. 8: ἔφη δὲ ἀπορεῖν τί δή ποτε τῶν ἀγώνων στέφανον ἄλλος ἄλλον ἔχει, τὸν δὲ φοίνικα κοινῇ πάντες. οὐ γὰρ ἐμὲ γοῦν, ἔφη, πείθουσιν οἱ τὴν ἰσότητα τῶν φύλλων, οἷον ἀντανισταμένων ἀεὶ καὶ συντρεχόντων, ἀγῶνι καὶ ἁμίλλῃ παραπλήσιόν τι ποιεῖν φάσκοντες. SCALIG.

lin. 14. *Quam haberet vim significantes*] Legendum: *Quam haberet vim significantes Veneris*. Significantes, inquit, vim illam, quam haberet Venus. Nihil planius hac lectione: tamen Vertranius emendavit, *Veneris res*: male sane, ut apparet. SCALIG.

lin. 15. *Vis est vita.*] Hic versus Lucilii celebris olim fuit, & in ore vulgi, ut colligitur ex Arnobio lib. 5: *Tum sancta & ferventia numina vim vomuisse Lucilium*. Vis est γονὴ, θόρος. Manilius lib. 2. Astronomic.

Per quæ humana suæ propriæ hæc est addita parti
Vis, ut connubia ac thalamos tædasque gubernet. POPMA.

lin. 16. *Quæ nos facere omnia cogit.*] Margo Scalig. *vis nos* &c.

ead. & sq. *Quare quod cælum principium, ab satu est dictus Saturnus; & quod ignis Saturnalibus, hoc est cerei superioribus.*] Quod, inquit, principium sit rerum, ab satu Saturnus dictus: & quod ignis, quem constat generationis principium esse, propterea Saturnalibus ignes, id est, cerei lucentes dabantur. Nam quod hic mutarit quædam Vertranius, valde falsus est, cum sensum Varronis assequi non quiret. Porro Saturni nomen Tuscum esse, omnes mihi concedent, qui sciunt Syriace, & pro certo habent, olim Tuscorum linguam Aramæam fuisse. Saturnus enim lingua Syriaca significat latentem. Unde in agro Latino quasi interpretantes vocarunt eum Latium, & ejus uxorem Opem, Latiam. Et in Pontificalibus indigitamentis dicebatur, LATIA SATURNI. Gellius libro 13, capite 21: Et ab eo Latium. SCALIG.

lin. 18. *Cerei superioribus mittuntur.*] Saturnalibus cereos proceribus mittebant pauperes clientes. quod vulgatissimum est, vel ex uno Macrobio, ut alios taceam. Sic intelligendum epigramma Antipatri ex sexto Anthologiæ:

Λαμπάδα κηροχίτωνα, Κρόνου τυφήρεα λύχνον,
Σχοίνῳ καὶ λεπτῇ σφιγγόμενον παπύρῳ.

. Ἀντίπατρος Πείσωνι φέρει γέρας. ἣν δέ μ' ἀνάψας
Εὔξηται, λάμψω φέγγος ἀκουσίθεον.

Nam λαμπὰς κηροχίτων est cereus. Κρόνου dicit esse, quia Saturnalibus mittebatur. Deinde γέρας vocat, quod honorarium cliens debebat patrono. Quod addit, ἣν δέ μ' ἀνάψας εὔξηται, hoc vocabant *Lucem facere Saturno*. Cereis enim accensis illi preces concipiebantur. quamquam Paulus Diaconus mutilator Festi dicit, *Lucem facere Saturno*, esse, *caput detegere Saturno*. Cujus quidem ritus ne nos quoque ignari sumus, cum sciamus etiam causam ejus superstitionis. Non dubitamus tamen, quod cerei accendebantur Saturno, propterea potius dixisse veteres, *Lucem facere Saturno*, quam quia caput detegerent. Reliquis enim Diis caput obnubebant, cum concipiebant preces. SCALIG.

lin. 21. *Hæc enim terreis genteis.*] Usurpat verba ex Epicharmo Ennii, nulla religione metricæ legis, ut supra fecisse demonstravimus. Ita enim concinnandi sunt:

Isthæc terris gentes omnes peperit, & resumit denuo:
Isthæc dat cibaria: isthæc omnibus fruges gerit. SCALIG.

lin. 23. *Quæ quod gerit fruges, Ceres.*] Cicero quoque eidem etymo assentitur. Sed nos putamus dictam esse a Cereo antiquo verbo, quod est Creo. Nisi fortasse prius dicta fuerit Geres, ut volunt ipsi. At ne nunc quidem a gerendo erit, sed a Græco Γῆρυς. ita enim prius vocabatur. Hesychius: Ἀχερὼ, καὶ Ὦπις, καὶ Ἑλλὴ, καὶ Γῆρυς, καὶ Γῆ, καὶ Δημήτηρ, ἡ αὐτή. Ex quibus etiam videas, Opem Consivam, non ab ope, ut vult Varro, dictam, sed veteribus quoque Græcis eam dictam Ὦπιν. a quo Latine Ops. SCALIG. Idem in marg. *quæque gerit.*

lin. 25 sq. *Istic est is Juppiter* &c.] Vid. Turneb. ad lin. 9. Trochaici sunt ex Epicharmo Ennii. Itaque omnes distinguendi sunt, unusquisque ordine suo. Quod tamen adeo negligenter præstiterunt auctores editionis Romanæ, ut plurima ultro huc interserint inutilia, & aliena a lege metrica. Nihil enim mutandum in vulgata lectione, in qua constat ratio versuum, modo unumquemque versum ordini suo reddas. SCALIG.

lin. 26. *Quem Græci vocant aera* —] Æschylus apud Clementem Stromate 5:

Ζεύς ἐστιν αἰθὴρ, ζεὺς δὲ γῆ, ζεὺς δ' οὐρανός·
Ζεύς τοι τὰ πάντα, χ' ὅ, τι τῶνδ' ὑπέρτερον.

Item Democritus apud eundem in Protreptico: ἐνταῦθα, ὃ νῦν ἠέρα καλέομεν οἱ Ἕλληνες, πάντα διαμυθέεται, καὶ

πάντα αὐτὸς οἶδεν, καὶ δίδοῖ, καὶ ἀφαιρέεται, καὶ βασιλεὺς αὐτὸς τῶν πάντων. Plato Comicus:

'Αὴρ, ὅν ἄν τις ὀνομάσειε καὶ Δία.

Pacuvius Chryse:

Hoc vide, circum supraque quod complexu continet
Terram, quod nostri Cælum memorant, Græci perhibent Æthera.
Quidquid est hoc, omnia is animat, format, auget, alit, serat,
Sepelit, recipitque in sese omnia, omniumque idem est pater.
Indidemque eadem, quæ oriuntur, de integro æque eodem occidunt.

Primus versus adducitur a Varrone, secundus a Cicerone; reliqui ab eodem Cicerone. Itaque tria illa membra diversis locis distracta ita connectenda esse non dubitamus. Lucretius imitatus est Pacuvium, cum ita canit:

Denique tam tuere hoc, circum supraque quod omnem
Continet amplexu terram,

& quæ sequuntur. Huc pertinent etiam verba Ennii:

At densis Aquila pinnis obnixa volabat
Vento, Grajugenum perhibet quemne Æthera lingua.

Nam ventus ἄνεμος, pro aere, unde Animus. Citantur autem a Probo grammatico. SCALIG.

Pagina 20.

lin. 3. *Et inde cum exit, quod oritur.*] Lege: *Et idem tum exit, quom oritur.* Vetus scriptura decepit Vertranium, *Quom*, pro *Cum.* Ex quo imperiti librarii infinitis locis formarunt *Quod.* SCALIG.

lin. 7. *Et dies, & dius, & divus. Unde Sub dio & Dius Fidius.*] Lego: *Et dies, & divum, id est, cælum, unde sub divo: Dius Fidius.* Dius autem fidius explicatur in antiquo libro Διὸς υἱὸς Ἡρακλῆς, ut & a Varrone, cum qui jurabat, sub dium prodibat. Cato apud Nonium: *Itaque domi ritu nostro, qui per Dium Fidium jurare vult, prodire solet in compluvium.* Idem de quadam Dea Plinius dicit (quam tamen non nominat) his verbis: *Sejamque a serendo, Segestam a segetibus appellabant, quarum simulacra in Circo videmus. tertiam ex iis nominare sub tecto religio est.* Plinius manuscriptus *Seriam* exhibet, quam Tertullianus *Sessiam* vocat, Macrobius *Sajam*, ut *Segestam*, *Segetiam*: aitque, *Si quis nominasset Salutem Semoniam, Sajam, Segetiam, Tutilinam, ei ferias observandas fuisse.* Tertia autem illa Dea, quam religiosum erat

ſub tecto nominare, Tutilina, ut reor, erát. Adſcribam & illud Tertulliani de Circo: *Delphines Neptuno vomunt. columnas Seſſias a ſementationibus, Meſſias a meſſibus, Tutilinas a tutelis fructuum ſuſtinent.* TURNEB.

lin. 9 ſq. *Quidam negant ſub tecto per hunc dejerare oportere.*] Meminit Plutarch. Quæſtionibus Romanis cap. 28. item idem Varro de liberis educandis: *Itaque domi rituis noſtri, qui per Dium Fidium jurare volt, prodire ſolet in publicum.* SCALIG.

lin. 12. *Sanctum.*] Al. *Sangum.* Qui res Romanas Græce ſcripſerunt, vocant Σάγκτον. Tamen Sanqualis porta dicta ab eo Deo, oſtendit *Sancum* dicendum eſſe. Propertius etymon aperit:

Hunc, quoniam manibus purgatum ſanxerat orbem,
Sic Sancum Tatiæ compoſuere manus.

Dionyſius πίστιον Græce reddit, quod *Fidius* Latine: in quo multi errarunt, qui id non animadverterant. Apud Ovidium:

Quærebam, Nonas, Sanco Fidione referrem,
An tibi Semipater. —

mendum eſt poſtremo verſu, cum ſit legendum *Semo Pater.* Semonem eundem cum Sanco facit T. Livius lib. 8. Tamen in veteri inſcriptione Reatina legitur SEMIPATRI SANCO. *Scalig.*

lin. 15 ſq. *Quorum quod finis ortus, Orcus dictus.*] Exponitur a Varrone cauſa, cur Orcus dicatur; ſed neſcio quomodo ad ejus verba obſurdeſcimus: utique ego, qui ea non ſatis (ut ingenue confitear) percipio, dumtaxat ut editiones loquuntur, quarum vocem recitabo: *Quorum quod finis ortus, Orcus dictus.* non ſatis hic animadverto, cur ab ortu potius orcus dicatur, quam ortus ab orco: niſi violenta illa antiphraſis, & in paucis admodum probanda, hic recipiatur: qua ſuſcepta, finis & modus non erit ex adverſario originis ducendæ. Proponam ſcripturam antiquam, quæ etſi ne ipſa quidem ſatis dilucida eſt, tamen neſcio, quomodo ad verum propius accedit, *Quorum quod finis orcum, Orcus dictus.* quem dicimus Orcum genere virili, inferorum loca intelligentes, Varro in genere neutro Orcum appellat, ab eoque Orcum, id eſt, Plutonem, nominatum putat. Orcum autem finem ſignificare quod ait, niſi fallor, aut eo reſpexit, quod eo hominum finis tendit, aut quod Græcis ὀρκάνη ſeptum & ambitum ſignificat, & ὅρκος inter cetera vincu-

lum. TURNEB. Al. *Quorum, quod finis ortus, ortus dictus.* Posterior vox perperam repetita est. Itaque hæc vera lectio: *Quorum quod finis, orcus dictus.* Quia, inquit, finis omnium rerum, propterea orcus dictus: quem orcum finem esse rerum jam omnes sciunt. Sic Amphiaraus in Thebaide Statii, de orco loquens:

— o cunctis finitor maxime rerum.

Sane Diespitrem eundem esse cum Dite nemo ignorat. SCALIG. Vetus lectio: *Quorum quod finis orcum, orcus dictus.* Videtur locus inferorum neutro genere a veteribus dictus; Deus vero, masculino. Sic Cælum pro loco, Cælus pro Deo. Ennius:

Saturno, quem Cælu' genit —

Orcum vero Romani sine dubio a Græcis acceperunt: nam ὄρκον vocabant conditorium mortuorum. Menander:

Οὔ πώποτ' ἐζήλωσα πολυτελῆ νεκρὸν,
Εἰς τὸν ἴσον ὄρκον τῷ σφόδρ' ἔρχετ' εὐτελεῖ. IDEM.

lin. 22. *Noctiluca*] Quod noctilucam ait dictam esse Lunam, ex eo dicit, quod eo cognomine Luna in Palatio colebatur, & noctu in ejus templo lampades lucebant. Unde & libro 5 scribit: *Noctiluca lucere, ab luce, quod propter lucem amissam is cultus institutus.* Scripsit quoque eodem cognomine Horatius: *Rite crescentem face noctilucam.* Erat, ut conjicio, etiam apud Varronem in Marcipore *noctiluca*, fax vel lucerna, cum scribebat: *Noctilucam tollo, ad focum fero, inflo, anima revivifcit.* TURNEB. Horatius quoque eandem cum Luna facit: *Rite crescentem face noctilucam.* Levinus vero vetustissimus auctor videtur eam Venerem nominare: *Venerem igitur almam adorans, sive femina, sive mas est, ita uti alma Noctiluca est.* Quare ab eadem ratione dicitur Noctuvigila a Plauto Curculione, hoc est νυκτιλαμπής. Dicitur etiam hoc nomine lucerna. Varro Bimarco: *Noctilucam tollo, ad focum fero, inflo, anima revivifcit.* SCALIG.

lin. 24. *Dianam vocant — vocabulum Græcum alterum, Latinum alterum &c.*] Diana, ut ait, a duplici via nomen adepta est, quod in altitudinem & latitudinem feratur, quasi Divia & Diviana. Nigidius tamen Dianam tanquam Ianam interpretabatur. TURNEB. Omnino legendum: *Apollinis vocabulum Græcum, alterum Latinum.* Apollinis vocabulum Græcum est, ἀπὸ τοῦ πάλλειν τὰς ἀκτῖνας, hoc est, a jaculando radios, ut Plato scribit: Dianæ Latinum, quæ primum Diviana, quasi Biviana dicta, quod duplici in cælo via movetur, in altitudinem, propter apsidem quam vocant, & in

latitudinem, Eclipticæ videlicet, circa quam planetæ evagantur. Cornificius tamen Dianam tanquam Ianam, eo quod iret, apposita D litera, dictam putavit, auctore Macrobio: & ipse Varro de Re rustica lib. 1 Ianam Lunam appellavit. POPMA.

lin. 25. *Et hinc quod in altitudinem & latitudinem simul, Diviana appellata.*] Vulg. *Et hic, quod Luna in altitudinem & latitudinem simul, Diviana appellata.* Scio, hunc locum aliter in Romana editione legi: sed qui eum emendare conati sunt, veram lectionem assecuti non sunt. Ea autem talis est: *Et hæc quod divia in altitudinem, &c.* Satis patet, cur ita legendum sit: rationibus supersedebo. SCALIG.

Pagina. 21.

lin. 2. *Vel quod terra, ut Physici dicunt,*] Lego: *vel quod est altera terra, ut Physici dicunt.* Nam, ut scribit Cicero, Xenophanes habitari in Luna putavit, eamque terram multarum urbium esse & montium. Hic igitur Varro Lunam, terram esse quandam dicit, eamque lucentem. TURNEB. Vetus lectio: *vel quod est terra, ut Physici dicunt, & juvat, lucet:* quæ vera est. Luna, inquit, est terra quædam juvans & lucens. hoc autem dixit Xenophanes Colophonius physicus, Lunam esse terram multarum urbium ac montium, eamque inhabitari, ut auctor est Cicero. POPMA.

lin. 11. *Ignis a nascendo, quod hic nascitur; & omne* &c.] Hic facta est verborum transpositio pro, *Quod hinc nascitur omne, & quod nascitur,* &c. SCALIG.

lin. 12. *Omne quod nascitur, ignis scindit.* &c.] *Ignescit; ideo calet.* vir quidam doctus. AUGUSTIN. *Scindere* valet penetrare, ingredi, penitus subire. TURNEB. Alii *ignescit:* non male. Fortasse melius, *Ignis indit.* SCALIG. Idem in marg. *ignis gignit.*

lin. 13. *Ut qui denascitur.*] *Denasci* in Varrone est mori & interire. TURNEB. Appositissimo verbo usus est, imitatione Græcorum, qui eodem modo dicunt *ἀπογίνεσθαι.* Usurparat & Cassius Hemina, vetus auctor. *Quæ nata sunt,* inquit, *ea denasci ajunt.* Nimirum extulit proverbium Græcum, Πᾶν τοι γενόμενον κατθανεῖν ὀφείλεται. SCALIG.

lin. 14. *Majore vi.*] Marg. Scalig. *valore vique.*

lin. 16. *Et Fulgur: quod fulmine ictus* &c.] Lego: *Fulgur & fulguritum.* Plautus Trinummo: *Nam fulguritæ sunt hic al-*

ternæ arbores. TURNEB. Repone: *Et Fulguritum, quod fulmine ictum contrariis Diis.* Nam quomodo legit Romana editio, sive ex veteribus libris ea lectio, sive de opinione reposita fuerit, ineptissima est: quam tamen Vertranius veritus est rejicere, adeo ut illam conatus sit emendare. Fulgurita igitur loca, fulgure icta, quæ & bidentalia. Ab eadem ratione fulguritæ arbores: ad quas qui sacrificia commovebant, dicebantur strufertarii, a strue, & ferto, sacrificii genere, ut docet Cato. Dicebantur & obstita loca, de cælo tacta, & fanatica. SCALIG.

lin. 17. *Contrariis Diis. Ab aquæ lapsu lubrico Lympha. Nympha Juturna.*] Lego: *Contrariis Diis, ab aquæ lapsu lubrico Lympha: Lympha Juturna.* Nam Varro Latine, non Græce, loquitur. nec in Nympha lapsus apparet, primo dissimili elemento. TURNEB.

lin. 22. *Nymphæ Commotiæ ad lacum Cutiliensem.*] Lego: *Lymphæ Comitiæ.* In lacu porro Cutiliensi insulam esse, commemorat Macrobius, quæ huc & illuc moveatur: nec tacet Dionysius, *περὶ Κοτύλην Ἀβοριγενέων αὐλισάμενοι πλησίον τῆς ἱερᾶς λίμνης, ὡς τήν τε νησίδα τὴν ἐν αὐτῇ περιδινουμένην κατέμαθον.* Sed & oraculum idem loquitur: Ἠδ' Ἀβοριγενέων Κοτύλην, οὗ νᾶσος ὀχεῖται. Meminit & breviculum Sotionis. TURNEB. Quod de Juturnensis aquæ salubritate Varro supra dixit, idem Strabo de Cutiliensi lacu: *καὶ τὰ ἐν Κωτιλίαις ψυχρὰ ὕδατα, ἀφ' ὧν καὶ πίνουσι, καὶ ἐγκαθίζοντες θεραπεύουσι νόσους.* Siquidem oppidum, quod ad eam paludem erat, dicebatur numero plurali *Cutiliæ*: & fortasse apud Catonem cap. 135, ubi hodie legitur, *Vomeris indutilis optumus erit, trapeti Pompejis: Romæ ad Rufi maceriam claves*: fortasse, inquam, legendum, *Vomeris Cutiliis optumus erit.* De quo ad eruditos referendum puto. SCALIG. Idem in marg. pro *Commotiæ* adnotavit *Commotis.*

lin. 25 sq. *A quo Nuptiæ, Nuptusque dictus.*] Lego: *A quo nuptiæ Neptunus dictus*: ut infra p. 23, l. 30, *fiber dictus.* TURNEB. *A quo nuptu, nuptiæ dictæ,* vel *nupta dicta. Lutea demissos velarunt flammea vultus.* In Romana editione minus recte. SCALIG.

lin. 26 sq. *Salacia. — Venilia.*] *Venilia*, est accessus, seu exæstuatio maris: *Salacia*, recessus. Varro, ut citatum reperi: *Venilia, unda, quæ ad litus venit: Salatia, quæ ad salum redit.* Atque ita quidem Romani vocabant maris reciproca incrementa, aut decrementa. Sed postquam in oceanum Ger-

manicum penetrarunt, (quod primus Drusus Germanicus fecit) Germanicis nominibus veterum Saxonum ea vocarunt, pro Venilia Malinam, pro Salacia Lidunam dicentes. atque ita quidem scriptum reperi in veteri libro Bedæ Anglosaxonis. Quare apud Marcellum Empiricum, qui floruit temporibus Valentiniani Imp. aliquando id legitur, nec sine admiratione olim a me subinde repetitum: ut in illo, *Colligitur die Jovis, luna vetere, liduna, ante prandium.* Item, *Colliges herbam, quæ dicitur Britannice, die Jovis, vetere luna, liduna.* Item, *Conficitur vetere luna, & liduna, a mense Martio.* De malina vero idem: *Conficitur XII Kal. Julias: non interest quo die, vel luna, vel malina, dummodo supra scriptus dies observetur.* quamquam plenius esset, si legeretur: *Quo die, vel luna, liduna, vel malina.* In quibus præterea vides superstitiosam observationem legendi herbas, ut alias vires videantur habere æstuatione maris, alias, cum non patitur incrementa. Sed *Venilia* & *Salacia* significant accessus & recessus maris quotidianos: *Malina* & *Liduna* etiam lunaria oceani incrementa & decrementa. nam alioqui semper bis in die intumere & detumere solet oceanus. SCALIG. Fuit veteribus usitata locutio, *Ventum gaudeo*, qua sibi ipsis gratulabantur, cum perfuncti molestias & pericula maris, venerant in portum, vel ad litus. Plautus Cistellaria:

Quod ille dixit, qui secundo vento vectus est tranquillo mari,
Ventum gaudeo.

Idem Curculione:

Obsecro hercle facite ventum, ut gaudeam.

Ergo ait Varro, *Venilia* dicta a vento illo, id est, accessu ad litus, ut alibi scripsit, *Venilia unda, quæ ad litus venit: Salacia, quæ ad salum redit.* Sed oblique & nimis coacte huc refert versum Plauti, quem similiter Charisius bis in testimonium adducit, ut hoc inter Varronis μνημονικὰ ἁμαρτήματα non sit referendum, quod hodieque paulo diversius legitur hoc modo:

Quod ille dixit, qui secundo vectus est mari,
Ventum gaudeo ad te.

Vento, pro adventu, ut Virgil. Georg. 4:

Atque Ixionei vento rotæ constitit orbis:

in quem versum Junius Philargyrius, Vento pro adventu significat, inquit, ut sit sextus casus, aut vento verbum gerundi est. nam intelligi debet adventu. POPMA.

lin. 27. *Ac vento illo, quem Plautus dicit.*] Etymon *Ve-*

nilia deducit Varro ab eo genere loquendi, quo advenientem aliquem excipiebant, cum dicebant, *Ventum gaudeo:* quod usurpavit Plautus in versu modo a Varrone adducto. Ad quod idem allusit facetissime in Curculione his verbis:

CU. *Obsecro hercle facite ventum, ut gaudeam.*
PH. *Maxime.* CU. *Quid facitis, quæso?* PH. *Ventum.*
CU. *Nolo equidem mihi*
Fieri ventulum. PH. *Quid igitur vis?* CU. *Esse, ut ventum gaudeam.*

Nam τὸ ῥιπίζειν dicebant *facere ventum.* C. Licinius Imbrex, vetus comicus:

Resupina, obstito capitulo, sibi ventum facere tunicula.

Quamquam melius & frequentius dicerent *Facere ventulum:* ut parasitus correxerit imperitum juvenem, ob insolentiam loquendi. Terentius Eunucho:

Cape hoc flabellum, & ventulum huic sic facito.

Vertranius putavit hic agi de vento secundo. In quo insigniter lapsus est. Nam quod Varro non poterat satis exprimere genus illud loquendi, idcirco adduxit versum Plauti. Si enim de vento secundo intellexisset, non opus erat versum Plauti laudare. SCALIG.

lin. 28. *Quod ille dixit.*] Plaut. in Cistell. AUGUSTIN.

Pagina 22.

lin. 1. *Mamers.*] Novit & hoc nomen Martis Lycophron, cum ait:

Κανδάον', ἢ Μαμερτὸν ὁπλίτην λύκον. Item:
Πολλῶν δ' ἐναλλὰξ πημάτων ἀπάρξεται
Κανδαῖος, ἢ Μαμερτός. SCALIG.

ead. & sq. *Vinus, ut viri vis, a virilitate.*] Suspicor: *Virtus, ut viritus, a virilitate.* SCALIG.

lin. 3 sq. *Et dictum Honus est honos.*] Proverbialis senarius hactenus non animadversus:

Honus est honos, qui sustinet rempublicam. SCALIG.

lin. 9 sq. *Ab eisdem dicimus Laram, Vestam.*] Vulg. *Ab eisdem dicimus Herculem, Vestam.* Quomodo Herculem, si Græce Ἡρακλῆς? Quare merito confodienda est hæc lectio, legendumque, *Herem.* Imperitus scilicet librarius, cum hæc exscriberet, putavit, contractum nomen Herculis esse, scripsitque *Herculem.* Romana editio videtur huic meæ conjecturæ suffragari: habet enim *Laram.* Quæ lectionis varietas merito

hunc locum suspectum reddit. Herem Marteam colebant veteres, postquam creverant hereditatem. SCALIG. Vetus scriptura: *Dicimus heccalem.* Fortasse: *Dicimus hæc: Palem*, &c. IDEM.

lin. 10 sq. *Fortem Fortunam, Fidem. Ea re Sabinorum linguam olent.*] Lege: *Fortunam, Fortem, Fidem, Lares. Sabinorum linguam*, &c. Hujus voti Tatii regis meminit Augustinus ex monumentis Varronis. SCALIG.

lin. 25. *Primum nominem Alites ab aleis: Volucres alii a volatu.*] Ita Turnebus hunc locum legi volebat. Al. *Primum nominem nominatim Alites ab alis, Volucres a volatu.*

lin. 30. *Lusciola.*] Marg. Scalig. *Luscinia.*

Pagina 23.

lin. 1. *Galeritus.*] Ita a Varrone nominatur avis, quæ ab aliis *galerita* dicitur, κόρυδος a Græcis & κορυδαλὶς, a Theocrito ἐπιτυμβὶς cognominata, quod in capite tanquam tumulum gerere videatur. Etiam in antiquo lexico lego *bardalam* vocatam fuisse. TURNEB.

lin. 5. *Ut quidam Græci τὰ γέργερα*] Lego: *Ut quædam Græca, ut grues, γέρανοι.* Quod si quis editionis est pertinax vindex & assertor, γέργερα multa significant: & γέργερος est βρόγχος, id est guttur: γεγέρμος druppa, id est, olea pulla vel nigra. sed de avibus hic loquitur, non de gregibus: & crex avis nomen Aristoteli & Herodoto, hic potius quam grego scribi deberet. *Grues* tamen, ut principio dixi, Varronem suspicor scripsisse. TURNEB. Vulg. *Ut quidam Græci greges Gergera.* Suspicor legendum γάργαρα: quod nomen Græcis pro quavis multitudine sumitur. De quo satis multa Macrobius in Saturnalibus, itemque interpres Aristophanis 'Αχαρνεῦσι. Apud Hesychium legitur γέργερα, τὰ πάντα. Fortasse & illud quoque hic locum habere possit. SCALIG.

lin. 11. *Uræon.*] Græci grammatici, τὰ οὐραῖα, μέρη τῶν ἰχθύων, sed proprie thunnorum. Persius:

— rubrumque amplexa catinum
Cauda natat thunni. —

At vero ὡραῖον aliud est Athenæo, ex thunno quoque & illud. Item ὡραῖα, quæ ad verbum bellaria dicimus. SCALIG.

lin. 13. *Lingulaca.*] Marg. Scalig. *nebulaca.*

lin. 17. *Vernacula ad similitudinem: ut Surenæ, Pectunculi,*

Ungues.] Cum in omnibus vitæ partibus laudem meretur ingenua verecundia, tum in tractatione literarum vel maxime, ne impudenter, quod nescias, scire te affirmes & ostentes, & inverecundo mendacio & te & alios in errorem præcipites. Ego sine tormentis & fidiculis hic verum proloquar: *Surena* quid sit, nescio. Est Varroni nomen conchylii, nunquam tamen mihi antea fando auditi. nunc tandem licet, ut opinor, fasque est post ingenuam confessionem conjecturas suas perscribere. Judicavi *Veneræ* aliquando scribendum esse, sed frustra, cum similitudo nulla rei sit: magis probarem *mures*, vel *murices*. Sed cum ab Isidoro ita scribatur, *Suris tribus modis dicitur, ut testudo, ac peloris, & coclea. Nam & quæ edimus, & ubi caro inest, & utrumque dicitur peloris; Surenem* a suri & surruli similitudine interpretemur, nisi *striatæ* legamus. TURNEB. Surus est fustis, vel palus: a quo ὑποκοριστικῶς surculus. Ennius:

Unus Surus surum ferret, tamen defendere possent.

Ab hujus similitudine, opinor, dictæ *surenæ*, genus conchylii, quod *urenas* vocat Plinius lib. 33, ubi piscium & conchyliorum nomina recenset, observato literarum ordine, *Urenæ, uva, xiphiæ.* ibidem: *Sunt præterea a nullo auctore nominati Sudis Latine appellata:* quo loco memoria lapsus Plinius, cum hic a Varrone nominetur Sudis. POPMA.

lin. 20. *Hippopotamus.*] Dicebatur & *Hippocampa*, aliud sane ab *Hippocampo:* quippe ἱππόκαμπος animalculum apud Dioscoridem: at *Hippocampa*, quod *Campas* equos marinos dicerent, auctore Festo; vel potius quod καμπὰς omnia cetacea: unde finxit vocem καμπτίκητος Epicharmus. Menander tamen *hippocampum* non *hippocampam* dixit pro *Hippopotamo*, aut potius equo marino. Nonius: *Hippocampi, equi marini, a flexu caudarum, quæ piscosæ sunt: & est Græcum. Menander, Vehitos hippocampos in æternæ usus, scire nocitur Delphino cinctis vehiculis, hippocampisque asperis.* Quæ verba si pristinæ integritati suæ restituero, putabo, me studiosorum gratiam eo nomine non parum demereri posse. Videamus igitur, num ita scripserit ille grammaticus. Menander:

Οὐχ οὗτος ἱππόκαμπος ἐν αἰθέρι.

Nam & Centauri & Hippocampi & multa eiusmodi apparent in aere, ut est in Nebulis Aristophanis. Deinde Nævius:

—sirenes citis
Delphino junctis vehiculis, hippocampisque asperis.

Videntur esse ex Ægistho Nævii: ex qua hos versus, quos

mox adducturi sumus, citat idem Nonius; & cum superioribus conjungendi sunt ad hunc modum:

— Tum autem lascivum Nerei simum pecus
Ludens ad cantum classium lustratur: sirenes citis
Delphino junctis vehiculis, hippocampisque asperis.

Ridiculum est, junctos dicere currus immanes Nereidum iis pisciculis, qui dicuntur *Hippocampi.* Sed nimirum hic *Hippopotami*, vel alia quædam immania monstra ex genere cetaceo. Nam καμπὰς Cete vocabant, ut supra admonuimus. Sane hippopotamis vehi Neptunum indicat Statius in Thebaide:

Illic Ægeo Neptunus gurgite fessos
In portum deducit equos: prior haurit habenas
Ungula, postremi solvuntur in æquora Pisces.

Ex quibus apparet, non intelligi ἱππόκαμπον Dioscordis, sed longe majus animal ex cetaceis: quod tamen commentitium putem, sicuti pleraque alia veterum. Plinius quoque lib. 36, cap. 5, cum ait, *In maxima dignatione Cn. Domitii delubro in Circo Flaminio Neptunus ipse, Thetis, atque Achilles, Nereides, supra Delphinos & cete & Hippocampos sedentes*: aperte recenset eos inter cete, aut monstra potius marina; ne quis putet esse ἱππόκαμπον Dioscoridis & Galeni. Quod tamen quidam putarunt. At nos vidimus apud patrem nostrum σκελετὸν hippocampi admodum elegantem: neque is excedebat trientalem magnitudinem, cum ad dodrantalem pervenire velint quidam. SCALIG.

lin. 25 sq. *Ut Querquedula, Cerceris.*] In Varrone (nam, ut instituimus & cœpimus, eum pervolitamus potius, quam pervolutamus) in Varrone igitur cum ita scribitur, in libris non prelo, sed manu scriptis reperio (quod pro meo non vendito, nec alioqui ostento) *ceteris*. Est Græcis avis κερκὶς, est & κερκιθαλλὶς, quæ an ad hanc notationem pertineant, potius aliorum prudentiæ committendum putavi, quam meæ temeritati arbitrium judiciumque arrogandum. TURNEB. Illud κερκουρὶς, quod a duabus caudis confectum est, putamus adulterinum esse, & temere in alienam possessionem irrepsisse. Videtur enim potius κερκιθαλλὶς reponendum esse. Illud enim ἐρωδιὸν veteres grammatici interpretantur: quamvis discrimen esse scio inter querquedulam & erodium. Certe hæc aliquando confundunt boni auctores. Nam cum attribuat Aratus ἐρωδιῷ προγνωστικὰ pluviæ, Virgilius item illam Ardeam

interpretetur; Varro contra ejus similem querquedulam id faceret, canit his versibus:

Aut frigidos nimbos aquæ caduciter ruentis
Præinnuere aquatiles querquedulæ natantes.

Quamquam & aliæ quoque aves futuram tempestatem prædicunt, ut cornix, & milvius, de quo ita idem Varro Sesquiulysse: *Jugere volitans milvos visus, aquam e nubibus tortam indicat fore, ut tegillum sibi pastor sumat.* Apud Nonium hodie legitur, *Vigere volitans mulsus.* Nos de conjectura ita correximus, cum sciremus ex Festo milvios jugere dici, cum vocem emittunt. SCALIG.

lin. 29 sq. *Sic in Latio nominati Lytra & Fiber.*] Ego *lutra* scribendum existimo de Varronis sententia. Nam quod ei placeat, hoc tempore videndum est, non quod alii censeant. Existimat enim, a *luo*, quod est *solvo*, *lutræ* nomen inditum esse: quamquam si quis per y Græcum scribat, a λύω deducet eodem sensu. Sed Varro non tam ad Græcam etymologiam, quam Latinam notationem videtur attendisse. In libro veteri *lira* scribitur, quasi librarius *lua* scribere voluerit: *lutra* tamen probo. TURNEB.

lin. 31. *Atque eas dissolvere; unde Lytra.*] *Atque eas dissolvere, ab luere.* At Romana editio, item vulgata, corrupte habebat, *ab lytra.* Vertranius, ἀπὸ τῆς λύσεως, haud scio quam bene. SCALIG.

Pagina 24.

lin. 3. *Antiqui Fibrum dicebant extremum.*] Ut a cerno cribrum: a facio, faber: a tumeo, tuber: a luo, liber; deglubitur enim: a cresco, creber: a glubo, glaber: a scarreo (unde scarrosus Lucilio, λεπρὸς) scaber: a suo, suber (insuitur enim solo calceamenti: unde ea dicuntur καττύματα Græcis) a craceo, craber, qui postea crabro, σφήξ· (cracere significat gracilem esse Ennio, & σφηκώδεις graciles dicuntur apud veteres comicos.) sic a finio, Fiber, extremus. Ab eadem mente Mulciber, a mulcendo, non a mulcendo ferro. Nam Mulciber apud vetustissimos Latinos est proprie μειλίχος θεός: qualis colebatur Athenis, qui & μαιμάκτης. Plutarchus περὶ ἀοργησίας. SCALIG.

lin. 9. *Qui recte consulat, consul fiat.*] *Consul fuat.* AUGUSTIN. In antiquo libro reperio *consulciat*: quod genus verbi si probum est, significabit idem fere, quod consulere: sin dis-

plicet, *consul fuat*, ne claudicans sit jambicus, scribendum erit. Omnino legere malim *consulciat*, ut sit, rempublicam cum civibus aliisque magistratibus fulciat. Erit fortasse, qui vocem dirimendam censeat, & *consul ciat*, legat, ut sit consul nos impellat & cieat ad rempubl. defendendam, cui equidem argutiæ non multum tribuendum puto. TURNEB. Pro *consulat* marg. Scalig. *consat.*

lin. 10. *Jure & exercitu.*] Libenter, *juri & exercitui*, potius scriberem, quam *jure & exercitu.* Nam infra in dandi casu loquitur, quem & sententia postulat. TURNEB.

lin. 11. *Ergo prætorum est ante præire.*] Lego: *Ergo prætorum est præire.* TURNEB.

lin. 19. *Tatiensium.*] Pro *Tatiensium* (quod equidem probo) reperio *Tacium*; ut aqud Propertium:

Hinc Tacies, Ramnesque viri, Luceresque coloni. IDEM. Marg. Scalig. *Tatium.*

lin. 29 sq. *Pontifices (ut Q. Scævola Pontifex maximus dicebat) a posse & facere. pontifices* &c.] In hoc loco a prelo manus discrepat, cujus hic ego scripturam proponam: *Pontifices Scævola Quintus pontifex maximus dicebat a posse & facere, ut pontifices.* quam quidem verissimam esse, certum habeo. Prænomen hic postponitur, ut & apud Catullum:

Meus est sodalis Cinna Cajus.

& apud Ciceronem lib. 3 de Legibus, *Stolo Cajus.* TURNEB.

Pagina 25.

lin. 1. *Cum ideo.*] Marg. Scalig. *Quod eo.*

lin. 4. *Flamines, quod in Latio capite velato erant semper.*] Illud *in Latio*, quidam suspectum habuerunt, non immerito. Quis enim non videt illud παρέλκειν? At quod pro eo *in sacro* reposuerunt, nihil præter suspicionem afferre possunt. Nos hanc veram lectionem esse putamus: *Flamines, quod licio in apice velati erant.* De apicibus vide quæ annotavimus lib. 6. Velati dicebantur, qui caput cinctum licio laneo habebant. Livius libro 1: *Legatus ubi ad fines eorum venit, unde res repetuntur, capite velato (filum lanæ velamen erat) audi Juppiter, inquit, audite fines, &c.* Virgil. lib. 12:

Velati lino, & verbenis tempora vincti.

Sic supplica & velamenta dicebant τὴν ἱκετηρίαν, quod nimirum filo laneo velatum erat caduceum. Itaque ab eo dixit

Plautus, *Orare velatis manibus.* Hoc etiam vocabant *velamina*, & *velatam colum.* Græci dicunt *στέμματα.* Eurip. Oreste, ὦ *στέμματα ξήνασ' ἐπέκλωσε θεὰ* Ἔριν, id est, vellera. Varro De re rustica: *Quam* (lanam) *demtam, ac conglobatam, alii vellera, alii velamina appellant.* Quamquam apud Varronem pro *velamina* vulgo legatur *vellimina.* SCALIG.

lin. 16 sq. *Fratres arvales dicti sunt; quia fratria dixerunt. Fatria est Græcum vocabulum partis hominum; ut Apollini etiam nunc.*] Lego: *Sunt qui a fratria dixerunt. Fratria est Græcum vocabulum partis hominum, ut Neapoli etiam nunc.* Erant & judices, qui de agrorum finibus cognoscebant, mutuatitio nomine, de fratrum arvalium vocabulo, arvales sodales appellati. Quod ita in antiquo lexico scribitur, *arbares scodales*, οἱ *περὶ ὅρων διαγινώσκοντες δικασταί.* Sed cum ista Sphinx ænigmata sic balbutiret, ut intelligi non posset, exstitit Ludovicus Rusardus, jurisconsultorum elegantissimus, qui istam ejus infantiam & balbutiem perciperet, & mihi indicaret. TURNEB. Vera lectio est, *ut Neapoli etiam nunc.* Strabo lib. 5, loquens de Neapoli: *πλεῖστα δὲ ἴχνη τῆς* Ἑλληνικῆς *ἀγωγῆς ἐνταῦθα σώζεται, γυμνάσιά τε καὶ ἐφήβεια, καὶ φρατρίαι, καὶ ὀνόματα* Ἑλληνικὰ, *καί περ ὄντα* Ῥωμαίων. Satis hoc uno Strabonis loco hæc emendatio confirmatur. SCALIG. Idem in marg. notavit *Appuli.*

lin. 19. *Sodales Titii dicti ab Titiis avibus.*] *Sodales Titios* Varro dictos ait esse *a Titiis avibus:* sed illæ aves cui hodie aucupi notæ sunt? Equidem esse neminem puto, qui eas magis cognoscat, quam spinturnicem, hominibus ignotam, ut censet Plinius: sed diversam utique ab bisturnicia Marcellini, quæ in quadrupedibus numeranda est, ut & capreolus & bubalus: a qua & bisturnicios equos, ut opinor, appellavit Vegetius in libro de Re veterinaria. Ubi tamen melius Bistrutitii edi multi censent, me non improbante. Vetus interpres Persii in illum locum: *Ingentes trepidare Titos*, a *titis titos* vocatos dicit. Servius dicit, *palumbes* vulgo appellari *tetas.* Isidorus, *Palumbes*, inquit, *eo quod sunt fartæ pabulo, quas vulgus tetos vocat.* An hæ sint *titiæ aves*, intelligentioribus & doctioribus judicandum relinquo. TURNEB.

ibid. *Quas in auguriis* &c.] Ita legit Vertranius. Neque tamen id commisisset, nisi editione Romana motus. Tamen falsus est, ut puto. Nam in auguriis certis observari aves Titias dixit, quod non in omnibus observarentur, ut ex hoc loco apparet. SCALIG. Idem margini adscripsit lect. *tuguriis.*

lin. 21 sq. *Nam per hos fiebat, ut justum conciperetur bellum, & inde desitum.*] Locus mendosus, litura fortasse emendandus. AUGUSTIN. In fecialibus, ait, *desitum esse* per eos bella indici, cum ipsius ætate ad res repetendas jam non mitterentur, sed tantum fœderibus faciendis intervenirent. Res autem repetere, erat clarigare. Sed quoniam homines eruditissimi negant, clarigationem esse hominum prehensionem & pignerationem, (quod ἀνδροληψιον Græci vocant) jusque hominis prehendendi & abducendi, placuit istum errorem eripere. Nam Livius hoc sensu ita locutus videtur lib. 8: *Ut ejus, qui cis Tiberim deprehensus esset, usque ad mille passuum pondo clarigatio esset.* In antiquo quoque lexico sic clarigatio exponitur, ἐνεχυρασία, ὁμηρία, ἐνεχυριασμὸς, ἁρπαγή. TURNEB. Postremas duas voces putarunt vacare, cum tamen dicat Varro, hoc jam obsolevisse temporibus suis. Quod etiam idem ait apud Nonium. Itaque inde petat lector. SCALIG. Rectius arbitror legas: *Etsi desitum, ut.* Feciales ritu solemni bella indicebant, & cum pugnare desitum, fœdere fidem pacis constituebant. Varro de Vita populi Rom. lib. 1: *Bella & tarde, & nulla licentia suscipiebant, quod bellum nullum nisi pium putabant geri oportere, & priusquam indicerent bellum iis, a quibus injurias factas sciebant, feciales legatos res repetitum mittebant.* Desitum bellum, ut Sallustius Jugurtha: *Omne bellum sumi facile, ceterum ægerrume desinere.* Livius lib. 44: *Non ante desitum bellari.* Silius lib. 10:

—*positum tum fœdere bellum.* POPMA.

lin. 30. *Quive nuntii senatus essent.*] Ita leg. pro vulg. *Qui vere nuntii* &c. SCALIG.

Pagina. 26.

lin. 6. *Tametsi cohortem in villa Isicrates dicit esse Græce χαύρθον apud poetas dictam.*] Lego: *Tametsi cohortem in villa Hypsicrates dicit esse Græce* χόρτον *apud poetas dictam.* Hypsicratis historici Amiseni mentio est apud Lucianum in Macrobiis, qui & aliquid hisce de rebus scribere potuit. Hypsicratis etiam grammatici libro decimo sexto Gellius meminit, qui de vocibus Latinis e Græco ortis scripserat. Ceterum grammatici Græci illud Homericum αὐλῆς ἐνὶ χόρτῳ, de septo & ambitu chortis interpretantur. a qua etiam significatione illud Euripidis videtur manasse, σύγχορτα ναίω πεδία, id est, vicinos & finitimos agros. TURNEB. Vulg. *Dicit esse Græce co-*

korton apud poetas dictum. Certissimum est, una litera demta *Chorton* legendum. χόρτος, ὁ περίβολος apud poetas. Ἰλιάδος λ,

Πίονα μηρί᾽ ἔκηε βοὸς Διὶ τερπικεραύνῳ,
Αὐλῆς ἐν χόρτῳ. Item Ἰλιάδος ω,
Αὐλῆς ἐν χόρτοισι κυλινδόμενος κατὰ κόπρον.

Inde Euripidi σύγχορτα πεδία. In editione Romana emendarunt κοῦρθον. Miror, cur non novas aures quærerent, quibus talia persuaderent, qui nova vocabula commenti sunt. Est enim hæc vox plane apud omnes auctores inaudita. SCALIG. Pro *Iscrates* idem in margine habet *Iphicrates.*

lin. 7. *Manipulos exercitus minimas manus.*] Vulg. *Manipulos exercitus nova manus. Manipulos*, pro *manipulus*, more antiquo, ut maritos apud Catullum. Quare facile noris, qua temeritate hæc lectio mutata sit in editione Romana. SCALIG.

lin. 17. *Extremeis subsidio.*] *Extremi subsidio*, placet viri cujusdam docti conjectura. AUGUSTIN.

lin. 23. *Obsidium dictum ab obsidendo.*] Videtur M. Varro censuisse, *obsidium* scribi & *obscidium*, ut dissidium & discidium. Nam vel ab *obsidendo* ait dici, vel ab *obscindendo*. Quod enim scribitur *ab abscindendo*, ipso statim refellitur literarum sono, nec tam rationis intelligentia, quam auris perceptione ejus mendacium tenetur. TURNEB.

lin. 26. *Duplicarii dicti*, &c.] Uti Varro *duplicarios* vocat, *quibus ob virtutem duplicia cibaria dabantur:* ita armaturas duplares Vegetius appellat, quæ consequebantur duplas annonas: simplares, quæ simplas. *Duplicarii* etiam explicantur in vetusto lexico διμοιρῖται. TURNEB.

Pagina 27.

lin. 5 sq. *Classicos a classe: qui item cornu canunt, ut tum, cum classes comitiis ad comitatum vocant.*] Lego: *Classicines a classe, qui tum cornu utuntur, cum classes comitiis ad comitatum vocant.* Quin & sine præpositione, *comitatum vocant*, in optimo libro scriptum erat, supini significatione, a *comitare*, quod esset *simul ire.* Ciceroni quoque & Gellio *comitatus* significat *comitia.* Qui *classicos* hic legunt, eo falli videntur, quod lib. 5 Varro scribit, *classicus canat.* Sed tum *classicus* pro *classicum* ab eo usurpari videtur. Signa enim & classica & cornua canere dicuntur. *Classicines* etiam *classiarii* vocantur, & a vetere grammatico σαλπισταὶ explicantur: attamen si *classicus* cui placet, non repugnabo. TURNEB.

lin. 12 sq. *Opulentus ab ope, cui ea opima.*] *Cui ea opima,* ex conjectura. AUGUSTIN. Lego: *Cui est opime.* TURNEB.

lin. 14. *Ab eodem fonte Copiæ.*] Lego: *Ab eodem fonte copis.* TURNEB.

lin. 18. *Non a medendo, ac suendo, quæ omnia ultima. Huic rei earum rerum radices.*] Lego: *Quæ omnia ultima huic rei.* TURNEB. Lege & interpunge: *Quæ omnino ultima huic rei.* Deinde, quæ sequuntur, transposita sunt; quæ ita suo loco restituenda sunt: *Earum rerum radices in proximo libro aperientur: nec multa in eo obscura relinquam. Quare quod ab arte artifex dicitur: similis caussa, quæ ab scientia vocatur aliqua,* &c. SCALIG.

lin. 29. *Vinum legere.*] *Vinum legere* in Varrone est *uvas legere.* TURNEB.

lin. 31. *Quas indagatur.*] *Quasi indagator.* utrumque ex libris. AUGUSTIN.

ead. *Venator a venatu* &c.] In explicando venatoris vocabulo, quod *inventum & adventum* ait, significat in eo inesse notationem inveniendi & adveniendi. TURNEB.

Pagina 28.

lin. 1. *Quod sequitur verbum adventum & inventum.*] Sunt, qui ita scribendum putent: *Venator a vento, quod sequitur feram ad ventum, & in ventum.* Legitur etiam: *Venator a venatu, quod,* &c. AUGUSTIN. Diverse castigatur, vel potius cruciatur, hic locus ab aliis. At hæc erat vera lectio: *Quod sequitur cervum ad ventum.* Error natus, ut solet, ex ignoratione veteris scripturæ, quam non animadverterant imperiti librarii. *Cerbum* enim scriptum erat, pro quo *verbum* legerunt. Idem error mirum quam frequens sit in Nonianis codicibus: ut in exemplo Sisennæ, *Ferabite*, pro *fera vite. Et partim fera vite, partim lauro & arbusto ac multa pinu ac murtetis abundat.* Nec defuerunt, qui in suis magnificis Thesauris tanto labore consarcinatis *Ferabitem* pro agresti sumi apud veteres auctores admonuerint. Itidem simile erratum apud eundem grammaticum in exemplo Varronis ab eo citato, verbo *satullare.* Nam cum vetus librarius scripsisset *poluuro*, pro *polubro*: ex eo factum, ut *poluere* hodie legatur in codicibus Nonii: sed perperam, ut dixi, pro *polubro:*

Nec in polubro mystico coquam carnes,
Quibus satullem corpora, & famem ventris.

Item eodem modo depravate leguntur verba Lucilii apud eundem: *Maximus si argento in verbi androgyni barbati mæcho cinædi.* Ubi tantum abest, ut in scriptura solum peccatum sit, ut etiam verba Lucilii manca sint. Nam ita scripserat Lucilius:

Maximu', si argenti sexcentum ac mille reliquit
Imberbi androgyni barbato mæchocinædo.

In verbi ergo pro *Imberbi.* Et volebat ostendere Nonius, *imberbem*, non *imberbum*, usurpatum esse a Lucilio. Ceterum Vertranius *in ventum.* Forsan, *Hinc venatus.* SCALIG. Forte legi posset *versum. Venator* dicitur *a venatu*, inquit, *quod sequitur feram undique versum, ad ventum & in ventum.* nimis argute. *Venari* a *venis*, sicut *vestigare* a *vestigiis*, *rimari* a *rima.* Ex eo *venatus*, & *venator*, & *venox*, canis *venatica.* Ennius Annali 10:

Veluti si quando vinclis venatica venox
Apta, silet: si forte feram ex nare sagaci
Sensit, voce sua nictit, ululatque ibi acute. POPMA.

lin. 3. *Pecus ab eo, quod perpascat, a quo pecora universa* &c.] Lego: *Pecus ab eo, quod pascebant, a quo pecora universa.* Videtur Varro dicere, *Pecus pecoris* a pascendo nomen habere; *pecus pecudis*, a pede. TURNEB. *Pecus ab eo, quod pascebant: a quo pecora universa. Et quod in pecore pecunia tum consistebat pastoribus, & standi fundamentum pes (a quo in ædificiis dicitur area pes magnus, & qui negotium instituit, pedem posuit) a pede pecudem appellarunt, ut ab eodem pedicam & pedisequam.*] Ex his, quæ satis per se clara sunt, & Varronis mentem aperte demonstrant, satis constat, immerito hæc in editione Romana mutata fuisse. Quod qui fecerunt, non videbant sane, quo spectabat mens Varronis, cum pecudis etymon explanaret, quamquam nimis anxie & exiliter. Quod enim veteres pastores essent, id est, pecuariam exercerent, & omnis eorum copia in pecore consisteret; consistendi autem fundamentum pes; a pede, inquit, pecudes appellarunt. Quia ut pes in homine, standi, sic pecus in re familiari pecuniæ fundamentum erat apud veteres. In quo vides Varronis λεπτολογίαν in disquirendis verborum etymologiis: cum dubium non sit, pecudes, quod tonderentur, ποκάδας dictas. Unde πόκος apud Græcos, vellus apud nos remansit. Latini vero pecudes potius, quam pocudes dixerunt, more suo: cum & Apellinem pro Apolline dicerent: item temperis, & pigneris, & elera, pro olera. Unde Elvela, olera minuta, & Elveola vitis, quæ

herbacei coloris esset. Titinnius: *Lenti calido elvela, ravula, rumices.* Sic etiam *hemonem* pro homine. SCALIG. Idem pro *pecora* in marg. habet *pecunia.*

lin. 6. *Pes magnus.*] *Pes magnus*, id est, constratus. Ita vocabant veteres ἐπίπεδον τὸ ἐπὶ μῆκος καὶ πλάτος. Sic in libris de limitibus agrorum legitur: *Planum est, quod Græci ἐπίπεδον appellant, nos constratos pedes: in quo longitudinem & latitudinem habeamus: per quem etiam agros, ædificiorum sola, & quibus altitudo & crassitudo ponitur: & opera tectoria, inauraturas tabularum intelligimus*, &c. Plani nomine hic intelligitur, quod apud Varronem pes magnus. SCALIG.

ead. *Fundamentum instituit.*] *Negotium instituit.* ex libris utrumque. AUGUSTIN. *Et qui negotium instituit, pedem posuit*] Romani correctores castigarunt de suo, *& qui fundamentum instituit*, &c. male: quamquam in musica qui πόδα instituit, dicitur βάσιν τιθέναι. Atqui non necessario de ædificiis loquitur Varro: sed de iis tantum, quæ μεταφορικῶς deducuntur a pede. Itaque allusit Plautus Asinaria:

Ego caput huic argento fui hodie reperiundo. LIB. *Ego pes fui.* Ergo pes quodvis fundamentum. Hinc puto Nepotes dictos. Est enim vocabulum Græcum νέποδες, nepotes: quod πούς ipse, id est, fundamentum generis, non essent, sed tantum ἀπόγονοι. Theocritus enim & Apollonius usurparunt νέποδας pro nepotibus, ἀντὶ τῶν ἀπογόνων. Quod & Festus annotarat, ut cognoscimus ex ejus reliquiis, in quibus etiam apparet citasse Callimachi auctoritatem. Itaque puto me incidisse in eum locum Callimachi, quem Festus laudarat. Nam cum ita citatum repererim apud grammaticos, οὐ γὰρ ἐργάτιν τρέφω τὴν μοῦσαν, ὡς ὁ Χῖος ὑλλικοῦν ἔπους, equidem non dubito ita legere:

— οὐ γὰρ ἐργάτιν τρέφω
Τὴν μοῦσαν, ὡς ὁ Κεῖος Ὑλλίχου νέπους.

Intelligit de Simonide. SCALIG.

lin. 8. *Pedisequum.*] Ὀπάων, ὀπαδός. Ab eadem ratione vocabant *a pedibus*, & *pedes.* Plaut. Menæchmis: *Asservatote hoc sultis navales pedes.* Qui & pueri dicuntur, & Græce παῖδες. Antiquitus παῖς por dicebatur, unde Puer factum: quod Laconice & plerisque Doriensibus pes πὸρ diceretur. Hinc Marcipor, Publipor, Quintipor. Varro: *Quintiporis Clodiani foria ac poemata gargaridians dices, O fortuna, o Fors Fortuna.* SCALIG.

ead. & sq. *Peculatoriæ oves, aliudve quid.*] Arbitror scri-

pisse Varronem, *peculia a pecore, oves, aliudve quid.* Plautus confirmabit nostram scripturam, qui in Aulularia ait:

Etiam opilio, qui pascit, mater, alienas oves,
Aliquam habet peculiarem, qui spem soletur suam. TURNEB.

Pro *peculatoriæ* marg. Scalig. exhibet *peculatur.*

lin. 9. *Id enim peculium primum.*] *Indidem peculium primo: hinc peculatum, publicum furtum, & peculatoriæ oves, aliudve quid.* Hæc enim inversa erant. SCALIG.

lin. 10. *Primo ut cum pecore diceretur multa.*] Nimium præceps fuit Vertranius in hoc loco transponendo. Dicit enim Varro, peculatum esse proprie, cum aversa pecunia esset ex multa publica, quæ fiebat pecore: a quo pecore peculatum vult dictum, cum ea multa avertebatur. Nihil igitur mutandum. SCALIG.

lin. 12. *Ex qua fructus major.*] Hoc sane corrigere operosum fuerit, cum cetera desiderentur. Neque solum ea deficiunt, quibus de multa agebatur, sed etiam totum principium sequentium, in quibus animalium etymologias persequebatur. Tamen legerim, *Ex qua fructus de malo.* Nam facile fuit *l* in *i* mutari, ut alibi sæpe id accidit. Quod cum factum esset, ex *majo*, *major* fecerunt. Deinde addita præpositio, ut infinitis locis in his libris commissum est. Æs, fructum, lucrum de malo habere dicebantur, qui intervertendo aliquem lucrabantur. Ita loquuntur Plautus & Apulejus. Hoc est, quod ait Aristophanes,

Οὐκ ἐκ δικαίου τὸν βίον κεκτημένοι. SCALIG.

ead. & sq. *Hinc est, quod Græcis Bos, βοῦς*] Lego: *Hinc est, qui Græcis ὗς sus, quod σὺς: bos, quod βοῦς.* TURNEB. Vulg. *Hinc est, quod Græcis illis usus, quod βοῦς bos.* Manifesto huic tractatui deest principium, quod miror in neutra editione animadversum esse. Neque tamen in eo solum errarunt: sed etiam cum vocem illam *usus* sustulerunt, quam putarent vacare. Atqui ex ea faciundum erat plane, & diserte, *ὗς*, sus. *Quod Græcis ὗς, sus, quod βοῦς, bos.* SCALIG.

lin. 19. *Vitulus quod Græce antiquitus ἰτοῦλος.*] Lego: *Vitulus quod Græce antiquitus ἰταλὸς*, quæ vox, ut ait Hesychius, taurum significat. Apud Gellium Varro lingua veteri Græca *ἰταλοὺς* boves significasse dicit. TURNEB.

lin. 21. *Capra, carpa.*] Turrenum sive Etruscum vocabulum. Hesych. SCALIG.

lin. 22. *Omnicarpæ capræ.*] Quisquis fuit is poeta, qui hoc dixerit, senserat capras *ποικιλοφάγους* esse: propter quod Ar-

chelaus semper febre laborare eas putaverat. Eupolis quoque comicus idem sentiebat, cum ita capras loquentes introduxerat, *βόσκόμεσθα ὕλης παντοδαπῆς ἄπο, ἐλάτης κομάρου τε πτόρθους ἀποτρώγουσαι*, & quæ sequuntur. Valde enim manca & corrupta sunt apud Plutarchum, & ejus simiam Macrobium. SCALIG. Idem in marg. *omi carpe capre.*

lin. 24 sq. *Porcus, quod Sabini dicunt de aprino porco poridus, inde porcus.*] Reperio: *Porcus, quod Sabini dictq, a primo porcopor, inde porcus*, hoc sensu, Sabinus dicere solet, id est Sabini, *porcopor*, id est, porci puer & fœtus. Alii legunt oppido quàm eleganter, *quod Sabini dicunt de aprino porco porcus, inde porcus.* ut a Sabinis catulum apri porcum fuisse appellatum intelligamus, si *aprunum* legas, nihil intererit. TURNEB. Vulg. *Porcus, quod Sabini dicunt a primo porco, poride porcus.* Alii inferciunt pro animi sententia quidquid in buccam, ut ajunt. Hoc igitur, quod in manu est, agamus. Nam hæc est, quam veram putamus, lectio: *Porcus, quod Sabini dicunt aprum porcum: proinde Porcus.* Qui meliorem attulerit, caussam non dico, quin merito nostra explodatur. SCALIG. Antiqua lectio: *Dicunt a primo porro poride porcus.* unde apparet legendum: *Dicunt a primo porcum por, inde porcus.* Sabini fortasse nomina præciderunt in extrema syllaba, quemadmodum Osci, quorum sunt *capital, famul, facul*, & alia: quæ imitatus Ennius dixit, *endo suam do*, & *altisonum cæl.* & Lucilius, *proras despoliate, & detundite guberna*, pro *domum, cælum, gubernacula.* Sic ergo *porcum* dixerunt *por:* quæ vox Romanis vetustissimis denotavit *puerum*, ut *Marcipor, Lucipor, Caipor;* de quibus alibi. POPMA.

lin. 27. *Κάπρῳ καὶ πόρκῳ.*] Idem de re rustica lib. 2: *Porcus Græcum nomen est antiquum, sed obscuratum: quod eum nunc vocant χοῖρον.* Utrumque verum est. nam & Græca est vox, & ita obscurata, ut neminem veterum, quod sciam, qui quidem hodie exstent, ea usum esse putem, præter unum Lycophronem. Cujus adscribam versus ex Alexandra:

Στένω σὲ πάτρα, καὶ τάφους Ἀτλαντίδος
Δύπτου κέλωρος, ὅς πότ' ἐν ῥαπτῷ κύτει,
Ὁποῖα πόρκος ἰστριεὺς τετρασκελὴς
Ἀσκῷ μονήρης, ἀμφελυτρώσας δέμας,
Ῥειθυμνιάτης κέπφος ὥς, ἐνήξατο.

Nam quod interpres fratris simillimus, homo gloriæ & vanitatis Græcanicæ plenus, commentus est de nescio quo animali, quis non videt fabulosum esse? Non enim vult poeta Darda-

num natasse, ut porcum, aut potius ut animal illud, quod excogitavit Tzetzes: sed vocat μονήρη, ut aprum. Nam apri μονιοὶ dicuntur, ut & apud Latinos posteros, *singulares*. Ælianus, καλοῦνται δὲ καὶ τῶν ὑῶν μονιοί τινες. Stulte enim facit, cum putat, duas comparationes eidem rei attribui: prima enim tantum, quod solus natarit; altera, quod ut κάπρος. Quæ est de Homero sumta, cum idem de Mercurio canit. Deinde quam ridiculus est in interpretatione illius vocis ἀσκῷ, quasi non potius utribus natarit. Quod dictum est per appositionem ῥαπτῷ κύτει. Et cum vocat ἰστριέα, manifesto Ercynium aprum intelligit. Ergo qui postea κάπρος, primo apud veteres dictus est πόρκος. SCALIG.

lin. 28. *Nostri arviga.*] Scribendum puto, *Aringa*. Hesychius, ἄριχα, ἄρρεν πρόβατον. Quæ scriptura reponenda in Festo & Donato: apud quos mendose *Aruga* & *Haruga* legitur. SCALIG.

lin. 31. *Et in pontificalibus libreis videmus.*] Al. *Pontificiis*. Interpungendum autem post verbum *videmus*. Quod cum in editione Romana factum non sit, tantum sibi permiserunt, ut alterum verbum deleverint: quod viderent, hæc duo commata aliter apte hærere non posse. Ceterum ita sensus perfectus est, nihil ut præterea ad sententiam desiderari videatur. Putarim tamen ita melius legi posse, *Et in Pontificalibus libris bidentes*. Nam hic quoque idem error nocuerat, de quo sæpe jam admonuimus: quia scriptum esset *videnteis*. Certe bidentes erant hostiæ, quæ & cornigeræ essent, & duos dentes eminulos haberent: in qua sententia est Festus, etiamsi aliter disputetur apud Gellium. Hesychius: Κεραΐδες, τῶν προβάτων τὰ θήλεα τὰ ἔνδον ὀδόντας ἔχοντα. Aliter, ut puto, si carerent illis, ἀτελεῖς erant, & ad sacrificia ineptæ. Nam si bidens dicta est, quasi biens, cur bidentis, non bidennis, aut biennis, dicitur? Atqui magis aperit etymon, quod & ambidentes apud veteres vocarentur. Sed id requirebatur in hostia, ut duos dentes haberet ceteris longiores: quemadmodum & in tauro τελείῳ, ut diversa cornua haberet, & patentia. Ab eo dicebantur *patales boves*. Plautus Truculento: *Ego ruri hamaxari me mavelim patalem bovem.* De hoc loco intelligit Festus, cum scribit, *patalem bovem* dici a Plauto, qui diversa cornua habeat, & patentia. Meminit & dictione *Propatulum*. Itaque & Græci quoque ab eadem mente ejusmodi boves vocarunt πεταλεῖς. Athenæus libro 9: Πεταλίδων δὲ συῶν μνημονεύει Ἀχαιὸς ὁ Ἐρετριεὺς ἐν Αἴθωνι Σα-

τυρικῷ. deinde: Πεδαλίδας δὲ αὐτὰς εἴρηκε, μεταφέρων ἀπὸ τῶν μόσχων. οὗτοι γὰρ πεταλοὶ λέγονται ἀπὸ τῶν κεράτων, ὅταν αὐτὰ ἐκπέταλα ἔχωσι. Item & πετηνοί. Hesychius: Βοῦς πετηνὸς, ὁ ἔχων ἀναπεπταμένα κέρατα. SCALIG.

Pagina 29.

lin. 3. *Agnus.*] Ἀμνός. Item *Canis* lin. sq. κύων, κυνὸς. υ in α. ut κύλιξ calix. SCALIG.

lin. 4 sq. *Nisi quod tuba, & cornu, signum cum dant, canere dicuntur. quod hic item, & nocticulus.*] Lego: *Nisi quod ut tuba & cornua signum cum dant, canere dicuntur: quod hic item & noctulucus*, id est, *interdiu* & *noctu*. Nomen est fictum compositumque e duobus adverbiis *noctu* & *lucu*, ut e *per* & *diu*, *perdius*. Erit fortasse, qui *noctu lucu* legendum censeat. Cui liberum esse jubebo hac conditione, modo *noctulucus* legendi aliis potestatem non eripiat. Quoddam vocabulum suscitavit redivivum in Apulejo & Petronio Petrus Pithœus, omni liberali eruditione ornatus, & antiquitatis ignoratæ quasi Pythius alter, oraculis suis enarrator & illustrator maximus: quod vocabulum propter soni vicinitatem animo incessit meo. Est autem *internuculus*. Apulejus: *At enim internuculos recens cognitos.* Petronius: *Video quosdam internuculos nudasque meretrices furtim conspatiantes.* Censeam potius duabus vocibus *inter nuculos* legendum, & *meritorios* significari *pueros*, *concubinos*, qui nondum reliquere nuces, sed etiamnum inter eas versantur. Nam a Catullo scribitur: *Concubine, nuces da.* TURNEB. Miror, correctores non vidisse, vocem *nocticulus*, quia nihil significaret, corrigendam fuisse: præsertim cum etiam locos integros attentare conati sint. Hic enim opus est eo epitheto, quod juvet Varronis sententiam, qui a voce *canis* vult deduci nomen ipsius animalis; ut ita legendum esse appareat: *Quod hic item nictaculus in custodia, & in venando signum voce dat, canis dictus.* Est enim elegantissima vox a *nictando* detorta, quod Græci dicunt σκυζᾷν: quod solent facere canes in venatu, & in custodia. Ab illa ergo nictatione, qua signum dat (signa vero canere dicuntur) anxie nimis & putidiuscule Varro *canis* etymon deducit. In libro P. Victorii scriptum *Noctulucus*: an perperam pro *Noctulugus*? Hanc etiam vocem usurpavit Lucilius pro obicœno, id est, mali ominis, quales sunt bubones, aut similes aves noctu lugentes. An quod in somnis noctu σκυζᾷν solent? de quo

elegantissimi versus Lucretii exstant, & scripsit Æschylus in Diris:

"Οναρ διώκεις θῆρα, κλαγγαίνεις θ' ἅπερ
Κύων, μέριμναν οὔποτ' ἐκλιπὼν πόνου. SCALIG.

lin. 6. *In custodia.*] Veteres *canes* vocabant *custodes*: & contra, qui custodiæ præfecti erant, *canes*. Æschylus Agamemnone:

Γυναῖκα πιστὴν δ' ἐν δόμοις εὕροι μολὼν,
Οἵανπερ οὖν ἔλειπε, δωμάτων κύνα.

Item ibidem:

Λέγοιμ' ἂν ἄνδρα τόνδε, τῶν σταθμῶν κύνα,
Σωτῆρα ναός.

Columella: *Nunc, uti exordio sum priore pollicitus, de mutis custodibus loquar: quamquam canis dicitur falso mutus custos.* In carmine obscœno:

Ne, dum me colitis, meumque numen,
Custodes habeatis irrumatos.

id est, *canes*. Plautus quoque in Milite αἰνιγματικῶς huc allusit. Cujus hæc verba:

Nam os columnatum poetæ inesse audivi barbaro,
Cui bini custodes semper totis horis accubant.

Nævium sentit poetam illum conjectum esse in vincula. Canem vero genus esse vinculi, nemo paulo humanior ignorat. Itaque *custodes* vocavit, quia ita *canes* quoque vocabantur. SCALIG.

lin. 15. *Camelus suo nomine Syriaco in Latium venit.*] Reperio: *Camelus suo nomine Syriaco in Latinum venit.* Tamen *Latium*, quod editur, egregie placet. Hujus animalis nomen movet me, ne ita *camelariam* amplectar, ut *camelasiam* ejiciam, præsertim cum nobilissimus jurisconsultus Ludovicus Rusardus certiorem me fecerit, apud Marcellinum lib. 17 *camelasium* reperiri: ut *camelasia* sit munus, *camelasium* indictum eo nomine tributum. Ego ideo *camelariam* probare non poteram, quod istam declinationem deducere non poteram, ut nec Budæus, sine controversia omnium doctissimus, potuerat. Nunc vero, ut ab ἵππος ἱππάζειν, & ἱππασία deducitur, ita, quasi a κάμηλος καμηλάζειν declinetur, καμηλασίαν recte derivari censeo. TURNEB.

lin. 16. *Alexandria Camelopardalis nuper adducta.*] Vulg. *nuper advecta.* C. Plinius lib. 8, cap. 18: *Camelopardalis Dictatoris Cæsaris Circensibus ludis primum visa Romæ.* Dion lib. 43: Περὶ δὲ δὴ τῆς καμηλοπαρδάλεως ὀνομασμένης λέ-

γεται, ὅτι τότε πρῶτον εἴς τε Ῥώμην εἰσήχθη, καὶ πᾶσιν ὑπεδείχθη, & quæ sequuntur. graphice enim eam describit. SCALIG.

lin. 20. *Cervi, quod magna cornua gerunt —— quasi gerui.*] Cur non κεραοὶ potius? Item *Volpes*, quod volat pedibus: quasi non sit ex ἀλώπηξ. Item *Virgultum* a viridi: non autem, quod prius, virguletum. Virgulæ. θάμνοι. SCALIG.

lin. 25 sq. *Proxima animalibus* &c.] Ex vestigiis priscæ scripturæ legendum: *Proxime animal sunt ea.* ἐγγυτάτω τοῦ ζώου. SCALIG.

lin. 30. *Pinus.*] Marg. Scalig. *nux.*

Pagina 30.

lin. 2. *Nux.*] Alii a *nocendo*, quomodo & Græce quoque κάρυον, παρὰ τὸ καροῦν. Est autem vox Syriaca Luz. Sed *l* in *n* abiit, ut Lympha, Nympha. SCALIG.

lin. 5. *Ruta ——— Radix.*] Plerique admiratione quadam obstupescunt, defixique hærent in vestigio, velut amentes inopesque consilii, incredibile censentes, quod a Varrone scribitur, *rutam* & *radicem* verba esse origine & domo Græca: sed profecto mirari desinent, & ad se redibunt, si ῥύτην a Nicandro usurpari intellexerint & ῥάδικα. quamquam posterius hoc verbum baculum & virgam in Nicandro significat. TURNEB. Interpres Theriacorum Nicandri: Ἰόλαος ἐν τῷ περὶ Πελοποννησιακῶν πόλεων, τὸ πήγανον ὑπὸ Πελοποννησίων ῥυτὴν καλεῖσθαί φησι. Hesychius: ῥυτὰ, τὰ στέμφυλα, καὶ πήγανον λευκόν. SCALIG.

lin. 13. *Brassica, ut præseca: quod ex hujus scapo minutatim præsecatur.*] Lego: *Brasica, ut præsica, quod* &c. Veteres *præsicare* pro *præsecare* dicebant: quam scripturam flagitat analogia *brasicæ*. Sic in Rudente a Plauto scriptum est, *Exsicasque arundinem.* TURNEB.

lin. 17. *Cucumeres.*] Cucumis, κικυὸς apud veteres dicebatur. Inde nostrum Latinum: ne putes Varroni de hac re assentiendum. SCALIG.

lin. 18 sq. *Fructus a ferendo res: & hæ, quas fundus, & hæ, quæ in fundo feruntur, ut fruamur.*] *Fructum* a *ferendo* deducit: ante videbatur a *fruendo*, nisi quis locum e loco castigandum putet: aut Varro libera quadam interpretandi licentia utatur, & unde commodum est, natales verborum repe-

tat. Locum hunc tamen non sine labe & vitio esse credo; huncque in modum lego: *Fructus a ferendo: res hæ, quas fundus, & hæ, quæ in fundo ferunt, ut fruamur.* TURNEB. Scribe: *Fructus a ferendo, res, & hæ, quas fundus, & hæ, quæ in fundo ferunt, ut fruantur.* Ut, inquit, res fruantur, tam quæ ferunt in fundo, quam quæ feruntur. Nam frui etiam passive dixisse veteres, auctores sunt grammatici. Hæc, quam apposui, est vetus scriptura, nisi quod non *fruantur*, sed *fruamur*, habebat. SCALIG.

lin. 20 sq. *Sed hæ e terra, etiam Frumentum, quod exta loco quo solent addi ex mola, id est ex sale & farre molito.*] Sic in veteri libro Achillis Masei, quo multum usi sumus. In alio libro est, *exta ollica.* Scribendum forsitan est: *Exta olla coqui solent addita mola: ea est ex sale & farre molito.* Valerius Maximus libro 2, cap. 1, ita scribit: *In sacrificiis mola quæ vocabatur, ex farre & sale constat: exta farre sparguntur.* AUGUSTIN. Locus hic in excusis exemplis saniosus est, & Chironio ulcere fœdatus; quem tamen sic persanari posse librorum, non istorum formulariorum, sed priscorum, medicina credo: *Etiam frumentum, quod ad exta ollicoqua solet addi ex mola, id est, sale & farre molito.* Ulcus fere sanatum esse, e Festo docere possumus. is enim, *Aulicoqua*, inquit, *exta dicebant, quæ in aulis coquebantur, id est, elixa.* Nam sæpenumero torrebant. Maro:

Pinguiaque in verubus torrebimus exta colurnis.

In arvige hostia elixabant. Varro: *Hæ sunt, quarum in sacrificiis exta in olla, non in veru coquuntur.* Hinc & *olla extaris* apud Plautum in Rudente. & in antiquo lexico *extar* exponitur *olla*, ubi exta coquebantur: ut *extalis*, ἀρχός, ut & hoc interea inseram. TURNEB. Vulg. *Exta ollica, quo* &c. *Ollicoqua* ex Festo. Inde *extaris olla* Plauto. SCALIG. Vetus scriptura: *Sed ea terra etiam.* Unde totus hic locus ita forsitan legendus & distinguendus est; *Sed ea extaria etiam. Frumentum, quod ad exta aulicoqua solet addi, Mola, id est, ex sale & farre molito. Fruges* & *frumentum*, inquit, adhibentur etiam ad exta in sacris, ut quod ad exta elixa, vocatur *mola.* Extaria frumenta, quibus exta in sacrificiis spargebantur, ut Plauti Rudente *olla extaris*, in qua exta coquebantur; & *aulicoqua exta*, quæ in olla, non in veru, coquebantur. Festus: *Aulicoqua exta dicebant, quæ in aulis coquebantur, id est, elixa.* Idem: *Mola vocatur etiam far tostum & sale sparsum, quod ea molita hostiæ adspergantur.* Valerius Maximus lib. 2: *In sa-*

crificiis mola quæ vocabatur, ex farre & sale constat, quia exta farre sparguntur. Eandem intelligit Virgilius lib. 12:

Dant fruges manibus salsas. POPMA.

lin. 25 sq. *Puls appellata, vel quod ita Græci.*] Al. *Puls ita appellata, quod ita Græci.* Πόλτος. vide Athenæum. SCALIG.

lin. 27. *Quod ita sonet, cum aqua ferventi insipitur.*] Lego: *Cum aquæ ferventi insipitur.* In vetere tamen libro *insipatur* reperio, ut *dissipatur* & *obsipatur.* Sed *insipiat* Cato dicit, & Festus *insipere* interpretatur *farinam jacere pulti.* TURNEB. *Obsipare* tamen & *insipare* farinam, non *Insipere*, dicebant veteres; tametsi eodem modo Pomponius Attellanarum scriptor usurpavit:

Facite ut ignis fervat, ligna insipite, far concidite.

Quod vero dixit de sono ferventis pultis, simile Nævii — *bilbit amphora.* Item Eubuli comici apud Athenæum lib. 6:

Λοπὰς παφλάζει βαρβάρῳ λαλήματι.

Patina cachinnat bulliente murmure. SCALIG. Idem pro *insipitur* in marg. *inspergitur.*

lin. 28. *Panis, quod primo figuras faciebant mulieres in panificio Panis: posteaque figuras facere instituerunt alias. A pane & faciendo Panificium cœptum dici.*] Lego: *Panis, quod primo figura faciebant, ut mulieres in lanificio panus: posteaquam ei figuras facere instituerunt alias, a pane & faciendo panificium cœptum dici.* *Panus* in lanificio est tramæ involucrum, quod tumet rotundumque est: a qua similitudine *panis* est appellatus. Sed & *panus* tumor est inguinum. TURNEB. Athenæus lib. 3: Πανὸς, ἄρτος, Μεσσάπειοι. καὶ τὴν πλησμονὴν πανίαν, καὶ πάνια, τὰ πλήσματα. Deinde: Καὶ Ῥωμαῖοι δὲ πᾶνα τὸν ἄρτον καλοῦσι. Tamen non caret ratione, quod ait Varro. *Panus* enim τολύπη, glomus. Unde quædam placentæ, quod ad eum modum confictæ essent, τολύπαι dicebantur. Meminit Athen. lib. 3. Clemens Alexand. Protrept. οὐ σησαμαῖ ταῦτα, καὶ πυραμίδες, καὶ τολύπαι, καὶ πόπανα πολυόμφαλα. *Glomus* vocabatur Latine, quod τολύπη glomus. auctor Festus. Vel est quod Pollux lib. 6: Ὠνομάζετο δέ τινα καὶ πηνία, ἃ καὶ τοῖς πλακοῦσιν ἐπετίθετο, προσεοικότα πηνίοις· λευκὰ δὲ ἦν τὴν χρόαν. quod Varro videtur innuere. Alioqui scio, πηνίον, & Dorice πανίον, ἀντὶ τῆς ἀτρακτυλλίδος sumi: cum hic ἀντὶ τῆς τολύπης. Unde & tumor inguinum (qui morbus pueros infestare solet) vocatur *panus*: & paniculæ Plinio τὰ τολυποειδῆ. At *panicæ* in milio aliud est; id enim a Græco etiam manavit. πηνίκη enim

αἱ τρίχες, καὶ ἡ κόμη. Theophrastus φόβην vocat. Τὰ μὲν, inquit, ἔχει στάχυν· τὰ δὲ χεδροπὰ, λοβόν. τὰ δὲ κεγχρώδη, φόβην. ἡ γὰρ καλαμώδης ἀπόφυσις, φόβη. Unde apud eundem, ἀποχεῖται δὲ οὐκ εἰς στάχυν, ἀλλ' οἷον φόρβην, ὥσπερ ὁ κέγχρος, καὶ ἔλυμος. in illis, inquam, verbis perperam φόρβην legitur pro φόβην. Apud Plinium quoque libro 18, cap. 7, mendum insigne, vix paucis animadversum, inolevit, in illis verbis: *Milium*, inquit, *inter hos X annos ex India in Italiam invectum est, nigrum colore, amplum grano, arundineum culmo. Adolescit ad pedes altitudine VII prægrandibus culmis: lobas vocant: omnium frugum fertilissimum.* Nam *phobas* pro *lobas*, ex Theophrasto. SCALIG.

Pagina 31.

lin. 2. *Unde id dictum. Nisi ab eo, quod Græci κόκκον.*] Reperio in veteribus libris, quod lectoribus dijudicandum relinquo: *Nisi ab eo, quod Græci κρόκην.* TURNEB. *Unde id dictum; ab eo, quod Græcis κοκκών. a quo Græcis κόκκος granum dictum.* Potest ita legi, ut posuimus. SCALIG.

lin. 4. *Horreum ab horrendo.*] *Ab horrido.* ex conjectura. AUGUSTIN.

lin. 5. *Quod tritum est spiceis.*] Reperio, *tritum ex spicis.* TURNEB. *E spicis.* SCALIG.

lin. 6. *Nam id prius μέλιν.*] Lego: *Nam id μελίνη*: est tamen aliis μελίνη, panicum, milium, κέγχρος. nonnulli μελίνην genus milii censent, quos sequitur Varro. TURNEB.

lin. 7. *Libum, quod libaretur priusquam esset, ut erat, coctum.*] Lego: *Libum, quod ut libaretur, priusquam essetur, erat coctum.* Ait, libi partem primum solitos esse veteres libare, reliquum deinde comesse, atque ex eo a libatione nomen adeptum esse. *Essetur* autem est *comederetur.* TURNEB. Forsan, *quod libaretur, priusquam essent, coctum.* Quod id libaretur coctum, priusquam essent, id est, comederent. Et fortasse illa vera est lectio. SCALIG.

lin. 8. *Testu caldo.*] Marg. Scalig. *testa calda.*

lin. 11. *Circuitum æquabiliter fundebant.*] Vulg. *æqualiter.* Hic *fundere*, ἐλαύνειν. unde νεήλατοι genus libi. SCALIG.

lin. 14. *A globo farinæ dilatato. Item in oleo cocti, dicti a globo Globuli.*] Lego: *A globo farinæ dilatato item in oleo cocti, dicti a globo, globi.* TURNEB.

lin. 18. Θρύλλον, καὶ τρύφον, *& placenta, quod edebant cum*

pulte.] *Et placenta. Quod edebant* &c. rectius est. AUGUSTIN. Lego, antiquitatem secutus, non istorum recentium exemplarium novitatem, *Ut thrion & placenta. thrion* ab Atheniensibus jucundum quoddam edulium vocabatur, quod frondibus ficulnis (quæ θρία Græce vocantur) involvebatur. Sunt & ἴτρια Græcis lagana, si quis forte hoc loco ita legendum putet. TURNEB. Vulg. *Triton & placenta.* Poterat legi *Itrion*, ἴτριον, ut aliquando putavimus: postea tamen vera visa est lectio, *intritum*: præsertim cum apud Latinos *Itrion* nunquam reperiatur. Est enim ἔνθρυπτον, καὶ πλακοῦς. Athen. interpretatur πεμμάτιον λεπτὸν διὰ σησάμου καὶ μέλιτος. Demosthenes, μισθὸν λαμβάνων τούτων ἔνθρυπτα, καὶ στρεπτοὺς, καὶ νεήλατα. Hesychius, ἔνθρυπτα, τὰ ἐκπέμματα, ἢ τὰ ἐντριβόμενα βρώματα. Melius tamen alibi legitur, ἔντριτον, τὸ Διονυσίου ἔμβρωμα, ὃ Γαλάται ἔκβρεκτόν φασιν. Apud Apitium libro 9 Embractum Bajanum legitur: quod est genus intriti: ut non dubitem legere *intritum*, καὶ πλακοῦντα. Tamen *interere* est verbum culinarium apud Terentium: *Tute hoc intristi*: unde *intritum* potius deducendum erat. Aliorum ridicula commenta nihil moramur, qui cum hic inepta vocabula τρύφον καὶ θρύλλον induxerint, facile indicant, ea ex sua culina, non ex Græcorum munumentis, produxisse. SCALIG.

ead. *Quod edebant cum pulte — Pulmentum*] Charisius legit: *Pulmentum, quod id cum pulte essent, ut Plautus. inde pulmentarium dictum*: longe melius sane. Locus vero Plauti, quem intelligit, exstat in Aulularia:

Pulmentum quin ei pridem eripuit milvius.

ut Vertranium defecerit memoria, aut diligentia, qui in nulla comœdia Plauti exstare putaverit. SCALIG.

lin. 19. *Ab eo Pulmentum, ut Plautus: hinc Pulmentarium dictum* &c.] Reperio in veteribus libris: *Ab eo quod pulmentum, ut Plautus, hinc pulmentarium dictum. Hoc primum,* inquit, *debuit pastoribus caseus.* Pereleganter ait, caseum hoc pastoribus debuisse, ut eorum esset *Pulmentarium*, id est, obsonium, quod cum pulte vel pulmento comessent, ut cum pane obsonium edimus. TURNEB. *Hoc primum debuit pastoribus.*] Vulg. *tepuit*: facete. Hoc enim vult, Antea pastores crudis tantum vescebantur: cum autem cocta cœperunt esse, hic fuit primus cibus inter illa cocta: maxime cum puls, a quo pulmentum, sit primum coctorum edulium. Romana editio & Vertranius hæc valde corrupta habent. SCALIG. Pro *debuit* marg. Scalig. *fuit.* Est Græcum loquendi genus, pro pulmentarii usum

præbuit. ita enim illi dicunt ὀφλισκάνειν γέλωτα, ὀφλισκάνειν μωρίαν. Euripides Alcestide: Αἰνῶ μὲν αἰνῶ, μωρίαν δ' ὀφλισκάνει. Juvenal. Sat. 10: *Quæcunque maritis iratis debent.* Paulo ante leg. *Thrion*, *& Placenta.* Græci vocant θρῖον genus edulii, quod frondibus ficulnis involvebatur: de quo Athenæus, Hesychius, & alii. hinc *Atharathrium*, Plautus Pseudolo. POPMA.

lin. 24. *Quæ nimis cruda esse poterant, decoquebant in olla. Ab olla olera dicta.*] *Quæ minus cruda.* Ex conjectura. AUGUSTIN. Lego: *Quæ minus cruda esse poterant, decoquebant in olla: ab olla olera dicta.* Dicit autem, quæ non poterant comesse cruda. TURNEB.

lin. 26. *Quod rueret e rure, Ruapa: unde Rapa.*] Lego: *Quod e terra erueretur, ruapa, unde rapa.* TURNEB. Vulg. *Quod terræ rure Ruapa, unde Rapa.* Romana editio, & Vertranius, οὐδὲν ὑγιές. Ita legendum erat: *Quod e terra ruerent, Ruapa. unde Rapa.* sane inepte e terra hæc etymologia eruitur a Varrone, quæ adeo terrestris sit & plena ruris. Græcum enim est ῥάπυς: unde etiam ῥάφανος. Athenæus lib. 9: Σπεύσιππος δὲ ἐν δευτέρῳ ὁμοίων, ῥαφανὶς, φησὶ, γογγυλὶς, ἀνάῤῥινος, ὅμοια. τὴν δὲ ῥάφυν Γλαῦκος ἐν τῷ ὀψαρτυτικῷ διὰ τοῦ π ψιλῶς καλεῖ ῥάπυν. Etiam supra, ubi ait, *Caulis, lapathium, radix.* Sic enim antiqui Græci, quam nunc ῥάφανον. puto legendum, καυλὸς, λαπάθιον, ῥάπυς. Nam ῥάδιξ aliud est. SCALIG.

lin. 27. *Olea grandis, Orchitis: quod ea antiquitus Orchemora*] Legendum: *Olea grandis orchitis, quod ea Attico orche minor.* Nam orchitis etsi magna est, est tamen minor orche, olea quadam Attica. *Orchas* etiam vocatur hæc, ejusque mentio est apud Maronem & Festum, his verbis: *Orchitis genus oleæ, ex Græco dictum* ὄρχεις, *quod sit magnitudine instar testiculorum.* In antiquo lexico scribitur: *Orchæ,* ἐλαῖαι ἐπιμήκεις. Quidam hic *antiquitus* legunt. TURNEB. Forte: *Quod ea, ac testiculus, Orchis major.* Festus: *Orchitis genus oleæ ex Græco dictum, quod sit magnitudine instar testiculorum.* *Glossarium: Orchæ*, ἐλαῖαι ἐπιμήκεις. POPMA.

lin. 29. *Suilla sic ab illeis generibus cognominata.*] Melius legeretur, *a suillis generibus.* SCALIG.

Pagina 32.

lin. 3 sq. *Ut crudum nimium habet humoris.*] Non desinam

Varroni molestus esse, ejusque vulnera ulcerare, aut cicatrices obductas rumpere & aperire: invitus tamen, qui sanandi potius animo malum ejus attingam, quam lædendi. Emendo igitur, *Et ut crudum nimium habet humoris.* TURNEB.

lin. 8. *Et ut servarent, salere.*] Diomedes ita scripsisse Varronem existimat, non *salire*, lib. 1, cap. 4. AUGUSTIN.

lin. 9. *Tergus suis, ab eo, quod eo tegitur. Perna a pede suis, a nomine ejus. Offula dicta, ut offa minima in sue.*] Lego: *Tegus suis, ab eo, quod tegit, ut perna a pede sueris, a nomine ejus: offula, ab offa minimæ sueræ.* Apparet e derivatione Varronis, veteres non tantum *tergus*, sed etiam *tegus* dixisse. Certe apud Plautum in Captivis hic versus trochaicus *tegoribus* postulat:

Dii immortales, ut ego callos detruncabo tegoribus.

Attamen si in Varrone *tergus* placet, detracta litera deductio ejus fiet. Jam *sueris* pro *suis* dixerunt veteres, & *boverum* pro *boum*. Cato: *Quod juga boverum? Suera* quoque est *suilla* caro, prisca voce. TURNEB. In antiquitus excusis (apud quos semper certior lectio) ita legitur: *Perna a pede: Sueris a nomine ejus.* Legerem: *Perna a pede sueris;* si verisimile esset, Varronem ita locutum esse, sicut temporibus Catonis, in quibus boveris, & Joveris, & similia dicebant. Sed neque, ut mihi persuadeo, ita Varro locutus est: neque, si ita legas, cetera, quæ sequunrur, cohærent. Quid enim erit illud, *a nomine ejus?* Quare videtur recte legi in antiquitus excusis, ut sit, *Perna a pede. Sueres a nomine ejusdem*, nempe suis; de quo paulo ante dixerat. *Sueres* vero inter suillæ partes annumerat Plautus Carbonaria, citante Festo, dictione *Spetile:*

Edo pernam, sumen, sueres, spetile, callum, glandia.

Est autem *spetile*, pars carnosa infra umbilicum suis. auctor Festus. Græce ἦτρον, τὸ ὑποκάτω τοῦ ὀμφαλοῦ μέρος. Vel dicamus, Varronem veterem casum usurpasse, *Perna a pede sueris*, ex verbis veteris grammatici, puta Sisennæ, aut Ælii. Deinde, *A nomine ejus Offa.* SCALIG. Variant antiqui libri in voce *sue:* alii *suilla*, alii *sueræ;* sed videtur totus hic locus ita legendus & distinguendus: *Perna a pede. Sueres a nomine ejus. Offula ab offa minima suilla. Offula* dicitur, inquit, quasi *offa suilla.* nimis putide, cum sit ὑποκοριστικὸν ab offa, nisi hanc quoque vult dictam, ut os suis. *Sueres* sunt suillæ partes carnosæ. Plautus Carbonaria:

Edo pernam, sumen, sueres, spetile, callum, glandia. POPMA.

lin. 11. *Inficia, ab eo, quod infecta caro.*] Ut *inficium* est idem, quod insectum, id est, insecta caro: sic *proficium*, profectum. Sed & *proficias* dicebant. Arnobius: *Quod si omnes has partes, quas proficias dicimus, accipere Dii amant. Præficias* enim, quod in eo scribitur, vitiosum & improbandum puto. TURNEB.

lin. 13. *Murtatum a myrto, quod eo large fartum intestinum crassum. Lucanicam dicunt.*] Quiddam ex antiquo codice subscribam, quod haud scio quam vendibile futurum sit: ejus æstimationem & indicaturam arbitrio lectoris relinquo: *Murtatum a murta, quod ea large fartis. Quod fartum intestinum crassum Lucanicam dicunt.* Exponi commode posset, quod murta large & affatim fartis & farciminibus solet addi. Nam multa farta vel farcimina mox enumerat: *Lucanicam, fundulum, longanonem. Lucanica* porro est, ut in antiquo reperio lexico, ἀλλάντιον. Libet & locum Arnobii de his farciminibus apponere: *Quid*, inquam, *sibi volunt apexabo, inficia, filicernium, longavo? quæ sunt nomina & farciminum genera, hirquino alia sanguine, comminutis alia inculcata pulmonibus.* TURNEB. Vulg. *quod ea. Murta* genere feminino apud veteres, ut apud Catonem. Quare non mutandum erat: neque ego muto. De *murtato* Plin. lib. 15 de murto loquens, *Et alius bacæ usus fuit apud antiquos, antequam piper reperiretur, illam obtinens vicem: quodam etiam generosi obsonii nomine inde tracto, quod etiamnum Murtatum vocatur.* SCALIG.

lin. 18. Τυφλὸν ἔντερον.] Reperio τυφλοέντερον, uno verbo, & licet sic jungere, vel dividere in duas voces τυφλὸν ἔντερον. TURNEB. Marg. Scalig. δύπλον.

lin. 25. *Longabo, quod longius, quam duo hila.*] Reperio: *Longano, quod longius quam duo illa.* Scribitur varie hoc nomen, *Longano, longabo, longavo, longao* etiam sæpe apud Cœlium Aurelianum. TURNEB. Pro *hila* marg. Scalig. *illa.*

ead. *Agumentum, quod ex immolata hostia.*] Lego: *Augmentum quod* &c. TURNEB. Meminit Arnobius lib. 7. SCALIG.

lin. 26. *In jecore imponendo agendei causa.*] Lego: *Augendi causa.* Ita enim loquuntur libri certissimæ fidei, & Arnobius appellat, inficium solum, omentum solum, augmentorum adjiciatur in causam. TURNEB.

lin. 27. *Magmentum.*] Meminit idem eruditus scriptor, libro 7. Erat autem daps, quæ profanabatur a rusticis, Ja-

no, Silvano, Marti, Jovi dapali &c. quamvis id non interpretatus sit Arnobius. SCALIG.

lin. 28. *Quod ad religionem magis pertinet.*] Videtur legendum: *Quod ad regionem magis pertinet.* Subjicit enim: *Itaque propter hoc montana fana constituta certis locis.* Nam ad id tantum constituta erant, ut Jano, Marti (ut est apud Catonem) & Jovi dapali, item Silvano, res divina susciperetur a quodam rustico, sive ingenuo, sive servo: cui sacro non interessent mulieres. Cato: *Mulier ad eam rem divinam ne adsit, nive videat quomodo fiat.* Itaque dixit Juvenalis:

Nam quæ docta nimis cupit & facunda videri,
Crure tenus medio tunicas substringere debet,
Cædere Silvano porcum, quadrante lavari. SCALIG.

ead. *Itaque propter hoc montana fana constituta loceis certeis* &c.] Hoc incorruptum sincerumque non est. nos ejus vitium sarcire conabimur, ubi antiquitatem scripturæ repræsentaverimus: *Itaque propter hoc mentareç fana constituta sunt certis locis, quo id imponeretur.* Ego *magmentaria* legendum puto. Sunt autem *magmentaria fana*, vasa sacra, quibus magmenta & exta sacra imposita aræ inferebantur. itaque libentissime *magmentaria* vasa legerem. Vetus lexicon: *magmentarium*, ἐφ' οὗ τὰ σπλάγχνα ἀνατιθέμενα τοῖς βωμοῖς προσφέρονται. Ceterum in vetere inscriptione *magnetum* scribitur, ut in multis editionibus Varronis, Festo *magmenti* auctoritatem tuente. Verba inscriptionis: SI QUIS HIC HOSTIA SACRUM FAXIT, QUOD MAGNETUM NE PROTOLLET, IDCIRCO TAMEN PROBE FACTUM ESTO. In Arnobio etiam *magmentum* scribitur: *Non magmenta, non augmina, non mille species.* TURNEB.

lin. 29. *Quod id imponeretur matæ; ab eo quod Græci μάτιαι καὶ μάπιαι.*] Lego: *Mactea, ab eo, quod Græci μακτύαι. Macteæ* etiam a Suetonio vocantur, scribente in Caligula: *Et multis venenatas macteas misit.* Ab Arnobio, *Frustilla hæc parvula pro suavibus macteolis sumunt.* Mactya in Martiale scribitur Græcorum more. hoc nomine, ut ait Athenæus, omne scitamentum, & omnis cupedia, jucundumque & pretiosum edulium censetur, cum tamen initio esset quædam maza. Itaque utriusque est eadem origo. TURNEB. Vulg. *Quod imponeretur macte, ab eo, quod Græci μᾶλλον.* Hæc est lectio veterum excusorum. Omnes enim illi *macte* habent: quæ vera est lectio. Quod autem illud *macte* putant quidam Græce exponere vel-

le, hoc frustra est. illud enim peccatum est propter ea, quæ statim sequuntur, *Item Græci sigillatim, &c.* cum ita, nisi fallor, scriptum reliquerit Varro: *Vel ab eo, quod, cum imponeretur, macte dicerent.* Ipsi vero putarunt, verbum *Dicerent* sine nomine, vacare. Exstiterunt deinde, qui illud *Macte* a Græco deduci sibi persuaserint. Itaque nonnullis visum est substituere μᾶλλον: aliis, μάπυς. Quidam etiam μάγδαν supposuerunt. Et quem lapidem non moverunt, ut Græcam vocem, quam putarent desiderari, supponerent? Nec defuerunt, qui *mactre* legerent: quod ita μάκτραν dici Græce scirent. Quæ omnia magis eorum negligentiam, quam Varronis mentem, aperiunt. Namque *Magmenti* duo etyma posuit Varro: vel quod magis ad regionem faceret; vel quod, cum id Deo pollucerent, MACTE dicerent. Quod enim ita dicerent in pollucenda dape, diserte legitur apud Catonem: *Macte hoce vino inferio esto: Macte hoce fercto esto: Macte hace dape pollucenda esto.* Est ergo illa vera lectio, quam conjectavimus, nisi valde nos fallit augurium nostrum. Non tamen alibi usquam corruptior est, quam in editione Romana: quod cum bona venia eorum, qui ejus correctionis auctores fuerunt, dictum velim. Ceterum *imponere*, verbum sacrorum est. Ovidius:

— Cereale sacerdos
Imponit libum. —

Juvenalis:

— Et farra imponite cultris.

Aristophanes:

Οὐδ' ἂν θύσαιμ', οὐδ' ἂν σπείσαιμ', οὐδ' ἐπιθείην λιβανωτόν. SCALIG.

Puto legendum: *Mattea ab eo, quod Græci idem, sic in Latium ut.* ματτύα dicunt Græci omne scitamentum, lautumque ac pretiosum edulium; & idem usurpavit Martialis:

Dives & ex omni posita est instructa macello
Cœna tibi; sed te mattya sola juvant.

Matteas dixit Suetonius Caligula: *Multis venenatas matteas misit.* & Arnobius lib. 7: *Frustilla hæc parvula pro suavibus matteolis sumunt.* Est ergo omnino Græcum, ut *ovum*, *bulbum*, ᾠὸν, βολβόν. POPMA.

lin. 31. *Item Græci sigillatim, ut ovum, bulbum.*] Puto, *Item Græca fingit Latium, ut ovum, bulbum*, ᾠὸν, βολβόν. Neque multum ab hoc sensu mens Varronis abfuisse videtur. SCALIG.

Pagina 33.

lin. 1. *Lana Græcum*] Posset putare quispiam, hic intelligi λάχνη, & extrita media, factum *lana*, ut ab ἀράχνης, *araneus*. Sed non ita est. λῆνος enim prius dicebatur, & Doribus λᾶνος. Apollonius lib. 4:

Βεβρίθει λήνεσσιν ἐπηρεφές. —

Et λανισταὶ, οἱ κτενισταὶ apud veteres dicebantur, qui carebant (hoc est, carminabant) lanam. Nec sine causa ad hoc testimonio Callimachi utitur Varro, cum & Æschylus ipse, cum hanc vocem usurparet, eam, ut a vulgi opinione paulo remotiorem, interpretatus sit. Cujus hæc verba ex Diris:

Λήνει μεγίστῳ σωφρόνως ἐστεμμένον,
Ἀργῆτι μαλλῷ· τῇδε γὰρ τρανῶς ἐρῶ.

Solet enim interdum ille poeta, cùm quædam insolentia verba aut duriuscula ponit, eorum interpretamentum subjicere; ut in ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις:

Ἅλῳ δὲ πολλὴν (ἀσπίδος κύκλον λέγω)
Ἔφριξα δινήσαντος. οὐκ ἄλλως ἐρῶ.

Porro ante hæc quædam deesse, sensus ipse satis docet. SCALIG.

lin. 5. *Subtemen, quod subit stamini.*] Lego: *Subtemen, quod subsit stamini.* TURNEB.

ead. & sq. *Trama, quod tranat frigus id genus vestimenti.*] *Trama, quod trameat filum.* Sic docto cuidam viro placet. Et postea: *Genus vestimenti densum.* AUGUSTIN. Lego: *Trama, quod trameat frigus id genus vestimenti. Trameat* enim ad originem propter soni affinitatem existimo, quam *tranat*, accommodatius. TURNEB. Vulg. *Trama, quod trameat frigus, genus vestimenti.* Omnino legendum: *Quod trameat frugionis vestimentum.* Frugionia vestimenta sunt ea, quæ *ricamata* vocant Itali dictione Syriaca: in quibus tramæ diversis modis retortæ, & perplexi mæandri sunt. De Phrygione Varro κοσμοφθορύνῃ, *Phrygio, qui polvinar poterat pingere, soliar lævigabat.* Ita legendum in Nonio. Trameat vero stamen & subtemen. Persius metaphoricῶs:

— *mihi trama figuræ*
Sit reliqua: ast illi tremat omento popa venter.

Ex Euripid.

Τρίβωνες ἐκλιπόντες οἴχονται κρόκας.

Unde defloccati senes dicuntur, metaphora sumta a vestibus, quæ fratillos suos, id est, villos, amiserunt. Quæ & decoies dicebantur. SCALIG. Al. *Trameat Phrygium id ge-*

nus. Mallem: *Trameat, Phrygium cum sit genus vestimenti. Trama* enim, id est, *filum*, trameat & currit intra stamen & subtemen, cum texitur Phrygium genus vestimenti, distinctum filis aureis, & variis mæandris retortum. *Tramæ* meminit Nonius Marcellus: *Panus tramæ involucrum.* Persius μεταφορικῶς pro tenui ductu & filo usurpavit Sat. 6:

——— *mihi trama figuræ sit reliqua.*

Phrygiæ togæ usum celebrat Plinius lib. 8: *Togas rasas Phrygianasque divi Augusti novissimis temporibus cœpisse scribit Fenestella.* eandem intelligit Virgilius lib. 9:

Vobis picta croco, & fulgenti murice vestis. POPMA.

lin. 9. *Pannus, Græcum: Panvelum dictum a panno, & volvendo filo.*] Lego: *Ubi ea fecit, panvellium, dictum a panno & volvendo filo.* Est igitur *panvellium*, ut declaratur in antiquo lexico, πηνίον, radius scilicet aut fusus, cui filum involvitur. TURNEB. Apud Isidorum, non prorsus malum auctorem, legitur *pænvelium*: item Hesychium, qui in Græca voce explicanda usus est vocabulo Romano. Πηνίον inquit, πανούκλιον, ἢ ἄτρακτος, εἰς ὃν εἰλεῖται ἡ κρόκη. Quæ si vera est lectio, videtur a pano luendo Panvelium dictum. Unde hodie *dividere* dicunt. Francæ mulieres, a dividendo, hoc est, luendo filo. Nisi sit quasi a deviduando. Aristoteles libro 5 Historiæ animalium, ἐκ δὲ τούτων βομβύκια ἀναλύουσι τῶν γυναικῶν τινες ἀναπηνιζόμεναι. Nonius *Panulam* vocat. SCALIG. Legendum ex veteri scriptura: *Panus Græcum. ubi ea facit Panvelium, dictum a pano, & volvendo filo. Panus* πηνίον, & Dorice πανίον, est glomus in lanificio: *Panvelium* autem est radius vel fusus, cui filum involvitur, qui Græce dicitur ἄτρακτος. Nam *panus* Varroni idem, quod τολύπη, sive glomus, ut supra: *Panis quod primo figuras faciebant, ut mulieres in lanificio, panus.* Aliis eadem sunt *panus* & *panvelium*, radius textorius scilicet aut fusus, quo revolvitur subtemen. Lucilius lib. 4:

—*foris subteminis panus est:*
Intus vero stat rectus subtemine panus.

Nonius: *Panus tramæ involucrum, quam diminutive panulam vocamus.* Hesychius: πηνίον πανούκλιον, ἢ ἄτρακτος, εἰς ὃν εἰλεῖται ἡ κρόκη. POPMA.

lin. 15. *Conum, quod cogitur in cacumen versus.*] *In acumen.* utrumque habent libri. AUGUSTIN. At ego credo, quod Græce κῶνος. SCALIG.

ead. & sq. *Hasta, quod stans* (vulg. *astans*) *solet ferri.*] Antiquitus enim sine aspiratione scribebatur: & *astare*, pro *adstare* dicebant: ut Plautus *assum*, pro *adsum*. SCALIG.

lin. 17. *Scutum a sectura, ut secutum, quod minute consectum sit tabellis.*] *Consecteis sit.* ex audaci emendatione. AUGUSTIN. Scribo: *Scutum a sectura, ut sectum, quod a minutie consectum sit tabellis.* Hæc profecto scriptura est aliquanto enodatior, quam vulgaris & promiscua, TURNEB. Fallitur Varro. est enim σκύτος, quod esset ὠμοβόειον. SCALIG.

lin. 18 sq. *Umbones, aut a Græco, vel quod ambones.*] Lego: *Umbones, a Græco videlicet, quod ambones.* Sic emendavi, quod *aut* in exemplari veteri non reperissem, neque desiderari sensissem. TURNEB. Lego, *Umbones a Græco, quod ἄμβωνες.* Græci ἄμβωνας vocant, quidquid extumidum est & prominet, ut ventrem ampullarum Plutarchus Lycurgo. In montibus quoque ὑψηλοὺς τόπους ita vocant. Itaque quidam poeta vetus sic scripserat, — ἐπ' οὔρεος ἀμβώνεσσι. Sic quoque Latini umbonem in eam significationem usurparunt. Statius Achilleide:

— undisonæ quos circuit umbo Maleæ.

Id est, quod poetis Græcis πρών. Idem in Thebaide:

Stant juga, & objectus geminis umbonibus agger
Campum exire vetat. —

Idem in via Domitiana:

Tunc umbonibus hinc & hinc coactis.

In Thebaide:

— vasto metuenda umbone ferarum
Excutiens stabula —

Idem in Hercule Surrentino:

— quod solidus contra riget umbo maligni
Montis. —

Satis apparet, cur postea umbones in clupeis appellarunt: quos vocat ὀμφαλοὺς Polybius lib. 6; qui & plura addit de forma clupei Romani. SCALIG.

lin. 19. *Gladius ——— a clade.*] Clades dicebatur surculorum detritio. Κλάδος, ramus. Sic Calamitas, calamorum: Strages, stratorum arborum: deinde ad homines translata. SCALIG.

lin. 21. *Similiter ab omine Pilum, quod hostis feriret, ut perilum.*] Nisi fallor, egregie scriptum est in libris, qui publico carent: *Similiter quod sit ab homine pilum, qui ho-*

ſtem feriret, ut pilum. Dici *pilum* cenſet, quod, ut pilo in mortario aliquid feritur & tunditur, ita hoſtis feriatur. Non deeſt, qui, *ab omine*, ſcribat. TURNEB. Pro *feriret* margi Scalig. *periret.*

lin. 22. *Lorica, a loreis.*] In hac enucleatione *loricæ*, quæ tanquam *lorita* dicta eſt, ut *lingulaca* tanquam *lingulata*, ſcriptura vetus partim plena eſt, partim confuſa. vid. ſqq. TURNEB.

lin. 23. *Poſtea ſuccuderunt Galli e ferro ſub id vocabulum ex anuleis ferream tunicam.*] Aperte ſcribitur: *Poſtea ſubcidit.* Vox proxima eſt obſcurior. Ceterum, *Galli e ferro*, nullo modo mihi probatur. Quo enim pacto togatorum doctiſſimus ignorare potuit, priſcos Gallos nudo fere corpore & inermi prœlia ſolitos inire? & multis ante ſeculis in Græcia loricas ferreas fuiſſe, cum tam ſæpe Græcos χαλκοχίτωνας Homerus appellet? Lego igitur: *Poſtea ſuccidit, quod alia e ferro ſubiit vocabulum ex anulis ferrea tunica.* TURNEB. Ἁλυσιδωτὸν, Diodorus Siculus lib. 5. Etiam hodie loricam vocant *Hallecret*, quaſi ἁλύκροτον pro ἁλυσίκροτον. SCALIG.

lin. 26. *Ocrea, quod opponebatur ob crus.*] *Ocrem* antiqui vocabant aſperum montem & confragoſum, ut etiam docet Feſtus. Inde *ocreas* dictas, quod inæqualiter tuberatæ eſſent, ut idem ait. Uſurpavit eam vocem Livius Andronicus in Odyſſea:

Celſoſque ocris, arvaque petrita, & mare magnum.

Ita putamus legendum ex Homero in Odyſſea:

Ἔκτοσθεν μὲν γὰρ πάγοι ὀξέες, ἀμφὶ δὲ κῦμα
Βέβρυχε ῥόθιον, λισσὴ δ' ἀναδέδρομε πέτρη. SCALIG.

lin. 27. *Galea ab galero.*] Olim galeæ ex diverſorum animalium pellibus conficiebantur. Quod patet ex ipſis nominibus apud poetas. Sunt enim apud illos κυνέαι, λυκέαι. Sic etiam, quod ex felina pelle fiunt, γαλέαι dictæ. γαλῆ enim feles, vel ſimile animal ei, quod vocant Græci ἴκτιν. Quare & Homerus quoque ἰκτιδέην galeam vocavit. Ex quibus apparet, Varronem non recte ſenſiſſe, qui a galero deduxerit. SCALIG.

lin. 28. *Quos etiam nunc ita appellant tubicines ſacrorum.*] Significat, a ſacrorum tubicinibus *tubas* appellari *tubos.* TURNEB.

lin. 31. *Vallum, vel quod ea varicare nemo poſſit.*] i. e. quod nemo poſſit tranſire & tranſcendere. Vetus lexicon,

varicat, ὑπερβαίνει exponit. *Varicari* alii legunt, eodem sensu. TURNEB. Quid certi afferam de hujus loci lectione, nihil habeo. nam vulgarem recipere, sane religio est. Fortasse non inepte legi posset: *Quod ea vari, ac ærumnæ essent.* Erant vari proprie bacula furcillata, ut interpretatur Varro, & informia. Alii scribunt *Varri.* Unde Varrones, duri καὶ σκληροὶ homines, quos Aristophanes πρινίνους vocat. Lucilius:

Varronum ac rupicum scarrosa, incondita rostra.

Hinc Varronum cognomen Romæ. Erant & furcillæ, quibus tolluntur retia, quæ σκάνδαληθρα καὶ σκάμβυκες Græce dicuntur. Lucanus:

— *Dispositis attollat retia varis.*

Ex varo igitur Vallus fit. Hinc vallum, quod ex iis fieret. Ærumnas vero furcillas quoque esse nemo dubitat, qui saltem legerit Festum. Ceterum de veritate lectionis præstare non possum.: mihi sufficit, quod in animo haberem, indicasse. SCALIG. *Vallum* a *varicando*, vel quod illud *varicare* & transcendere nemo possit; quod singuli bacilli, qui in vallo destituuntur, sunt *divaricati* & furcillati in speciem literæ V. unde & ipsi dicuntur *valli*, quasi *vari*, iidemque Sudes. Virg. lib. 2 Georg.

Quadrifidasque sudes & acuto robore vallos.

Ubi Servius: *Bis idem dixit. nam & valli & sudes idem sunt.* Isidorus: *Dictum vallum a vallis. nam valli fustes sunt, quibus vallum munitur. & valli dicti, quod figantur & evellantur.* POPMA.

Pagina 34.

lin. 2. *Cervi.*] In vallo castrensi per spatia ponebantur *cervi.* A quo interstitium illud inter cervos dictum Intervallum. Id quod ex Cæsare novimus, item ex Silio Italico libro. 10:

Cervorum ambustis imitantes cornua ramis.

Brachia vocat Lucanus:

— *crudaque extraxit brachia terra.*

Item:

Aut circum largos curvari brachia fontes.

Utrumque a similitudine. SCALIG.

lin. 4. *Mensam escariam cibillam appellabant.*] Vetus liber: *Mensam escariam cillibam appellabant.* Pompejus: *cillibæ men-*

sæ erant rotundæ. hic tamen *cibilam* edunt, quod eam a cibo dictam Varro autumet: quasi vero non literæ & syllabæ tractentur & trajiciantur sæpenumero, ut ante ipsemet dixit. Erant & mensæ triangulæ, quas *anglones* Nævius vocabat. Vetus lexicon: *Anglones*, τράπεζαι τρίγωνοι, ὡς Ναίβιος. Sunt & apud Græcos κιλλίβαντες, velut mensæ tripedes & machinæ, unde *cilliba* potius deducta videretur. TURNEB.

lin. 7. *A Græcis μέσα, Mensa.*] Charisius lib. 1 videtur hunc locum aliter legisse, aut intellexisse: *Mensam*, inquit, *sine N litera dictam, Varro ait, quod media poneretur: sed auctores cum N litera protulerunt. Virgilius sæpe. Sed & Mensam cum N posse dici idem Varro ait, quod & mensa ἄβρωτα edulia & esculenta ponerentur.* Plutarch. lib. 8. Sympos. primum etymon approbat, μένσαμ μὲν τὴν τράπεζαν τ' ἐν μέσῳ θέσεως. & satis constat, veteres solitos mensam ponere in medio cœnaculi, mediam inter convivas, ut apud Virg. lib. 1 Æneid.

——— *mediisque parant convivia tectis.*

& lib. 3:

Aulai in medio libabant pocula Bacchi. POPMA.

lin. 9. *Trulla a similitudine truæ.*] *Trulla* dicitur a *trua*, quasi *truola*, per diminutionem. *Trulla* vas potorium erat, *trua* vas aquarium, quo e culina aquam calefactam in lavatrinam, id est, domesticum balneum, fundebant. TURNEB.

lin. 10. *Ut truula. Hinc Græci τρυβλίον, nos trullam. Truæ, quæ e culina* &c.] Lego: *Ut truola, hinc trulla: truæ, quæ è culina.* TURNEB. Vulg. *ut troulla. Hinc Græci trullam.* Inversum est, pro *Torulla. Hinc Græci τορύνην.* Aristophanes Avibus:

Ἔτνους δ' ἐπιθυμεῖ, δεῖ τορύνης καὶ χύτρας.

Interpretantur, τὸ κινητήριον τῆς χύτρας. *Truam* vero τὸ κινητήριον τῆς χύτρας, esse, unde & *truare*, τὸ κινεῖν apud veteres, indicio sunt hi versiculi Titinii, poetæ comici:

Sapientia gubernator navim torquet, non valentia.
Cocus magnum ahenum, quando fervit, paula confutat trua.

Cui simile illud Aristophanis ex Equitibus:

Ἀνὴρ παφλάζει. παῦε, παῦ'
Ὑπερζέων. ὑφελκτέον
Δὲ τῶν ξύλων, ἀπαρυστέον τε
Τῶν ἀπειλῶν ταυτηί.

Quæ Titinii sententia tracta ex Homero:

Μήτι τοι δρυτόμος μέγ' ἀμείνων ἠὲ βίηφι.
Μήτι δ' αὖτε κυβερνήτης ἐνὶ οἴνοπι πόντῳ
Νῆα θοὴν ἰθύνει ἐρεχθομένην ἀνέμοισι.

Hinc Græci Trullam.] Romana editio τρυβλίον. At neque τρυβλίον, *trulla*: neque si esset, bis eam Varro nominasset. Aliquid esset, si reposuissent τρυπήλην. eam enim etiam τορύνην interpretatur Hesychius. SCALIG. Libri veteres: *Hinc Græci trullam.* forte: *Hinc brevius trulla*, scilicet una syllaba extrita, quasi *trivola*. nam illud τρυβλίον non significat *trulleum*, & infra a Varrone nominatur. POPMA.

lin. 12 sq. *Ab eodem est appellatum Trulleum. simile enim figura, nisi quod latius concipit aquam, & quod manubrium cavum non est, nisi vinaria trulla accessit. Matellio.*] Lego: *Ab eodem est appellatum trulleum. simile enim figura, nisi quod latius est, quod concipit aquam, & quod manubrium cavum non est, nisi in vinaria trulla. accessit matellio.* Hic distinguit *trulleum* a *trulla*, quod quamvis trulleum simile sit trullæ, tamen sit latius & capacius, & vas aquarium, trulla vinaria: distinguit & manubrio. TURNEB.

lin. 16. *A matula dictus; & dictus posteaquam longius* &c.] Lego: *A matula dictus, qui posteaquam longius a figura matulæ discessit, est ab aqua aqualis dictus.* Ex hac scriptura est facile intellectu, quod vas apud antiquos *matellio* fuerit, cui rei servierit. Est & aquimanile vel aquiminale vas, quod, ut reperio, Græci χέρνιβον vocant. TURNEB.

lin. 18. *Vas aquarium vocant Futum.*] Reperio & laudo: *Vas aquarium vocant futim.* IDEM.

lin. 19. *Quo postea accessit μάγινος cum Græco nomine, & cum Latino nomine Græca figura barbatus.*] Lego e Pompejo: *Quo postea accessit nanus cum Græco nomine, & cum Latina figura barbatus.* Nam Pompejus ait, *nanum* a Græcis vas aquarium appellari humile, & concavum, quod a Latinis vulgo diceretur *situlus barbatus.* Et in antiquo lexico ita scribitur: *Barbatus*, νάννος τὸ σκεῦος. TURNEB. Vulg. *Quo postea accessit Magnus cum Græco nomine, & cum Latino nomine, Græca figura Barbatos.* Legendum: *Quo postea accessit Nanus cum Græco nomine*, &c. Festus: *Nanum Græci vas aquarium dicunt, humile & concavum, quod vulgo vocant situlum barbatum. Unde Nani pumiliones vocantur.* Nam de μάγινος, quod alii reposuerunt, ipse viderint. Mihi certe nihil temere persuadebunt. SCALIG.

lin. 21. *Pelvis —— ut pedelvis.*] Vulg. *Pelvis — pedela-*

vis. Est autem a Græco πέλυς. De quo vide Pollucem, itemque alios veteres Grammaticos. SCALIG.

lin. 27. *Quod Siculi dicunt κάτινον.*] Scribe κάτανον. IDEM.

ead. & sq. *Ubi assa ponebant. Magidam aut Langulam.*] Lego: *Ubi assa ponebant, magidam aut langulam. Magis* a Polluce nominatur ita scribente: Αἱ δὲ ἐπιτιθέμεναι καὶ αἰρόμεναι τράπεζαι, ἃς νῦν μαγίδας καλοῦσιν. In catino igitur ponebantur jurulenta, & pulmenta, in lance assa. TURNEB.

lin. 29. *Patinas a patulo.*] Satis notum, a Græcis originem trahere. Nam ut a κάτανος, catinus: sic a πατάνη, patina. Eubulus Comicus apud Pollucem & Athenæum:

Καὶ πνικτὰ Σικελικὰ πατάνεια σωρεύματα.

Plautus Menæchmis ad verbum videtur eum versiculum transtulisse:

Tantas struices concinnat patinarias.

Tamen in nonnullis legitur βατάνια. Unde etiam Latini batillum fecerunt. SCALIG.

lin. 31. *Cœnas. — Tryblia.*] Marg. Scalig. *Cœneis — Tryplia.*

Pagina 35.

lin. 3. *Mensam vinariam rotundam nominabant Cylibathum.*] Lego: *Mensa vinaria rotunda nominabatur cilibantum.* In vetere tamen libro exstat *cilibanum.* Deducerem a Græco libentius, quod, ut dixi, κιλλίβαντας vocent tripodes, in quibus milites fatigati reponebant scuta. Aristophanes: Τοὺς κιλλίβαντας οἶσε παῖ τῆς ἀσπίδος. Sed & mensæ tripedes sic vocabantur. Cum autem Varro a *cyliceo* dicit, eo nomine intelligo repositorium poculorum, quod Græce κυλικεῖον dicitur, ut scribit Athenæus: vetus lexicon vasarium κυλικεῖον exponit. TURNEB.

lin. 5. Ἀπὸ τοῦ κύλικος. *qui illa capit, & minores Capulæ a capiendo.*] Lego: *A poculo cylice: a quo illa capis & minores capulæ, a capiendo.* Illam enim mensam a *poculo cylice* nomen habuisse dicit: deinde, unde *capis* dicatur, exponit. TURNEB. Vulg. *A quo illa Capit, & Capulæ.* In omnibus editionibus locus hic depravatus est, qui ita legi debet: *Mensa rotunda nominabatur Cilibantum, ut etiamnum in castris. Id videtur declinatum a Græco,* ἀπὸ τοῦ κύλικος. *A quo illa Capis, & minores Capulæ, a capiendo.* De Capidibus notum est Festo. Capedines aliter dicebantur, & Capedunculæ Ciceroni. De Capedunculis vel Capulis meminerat & ipse Varro libro

1 de Vita populi Romani: *Etiamnum pocula, quæ vocant capulas, ac capides, quod est poculi genus: item armillum, quod est urceoli genus vinarii.* Puto tamen capidem Græcum esse: quod id genus vasis *καπίδη* dicatur a Græcis. Κιλίβαντες Græcum est: ne forte putes legendum esse *Cilibathum*, ut alii. SCALIG. Legendum: *In illa Capis.* In illa mensa vinaria rotunda, quæ dicitur *cylibantum* ponebantur *capides* & *capulæ*, quarum mentio lib. 1 de Vita populi Rom. *Etiamnum pocula, quæ vocant capulas ac capides. Cylibantum* appellat Varro τὸ κυλικεῖον, id est, repositorium poculorum, a quo diversum genus κιλλίβαντες, mensæ tripodes scilicet, in quibus milites fatigati reponebant scuta, ut meminit Aristophanes. POPMA.

lin. 11. *Cum magistri fiunt.*] Iidem & modiperatores dicebantur. Sic Catullus legem συμποτικὴν vocavit magistram: *Ut lex Postumiæ jubet magistræ. Lex Postumiæ*, pro, *Lex Postumia*: ut Urbs Romæ. & Horatio, *Herba lapathi.* Plinius lib. 14: *Numæ Regis Postumia lex est:* VINO ROGUM NE RESPERGITO. Cur id Numa vetat, cum ex veteribus auctoribus satis constet, vino rogum respergi? Apparet, eas leges Numæ συμποτικὰς fuisse, non πολιτικάς. Itaque allusum esse ad voluptariorum dicteria, cujusmodi sunt hæc in epigrammatis Græcis:

Μὴ μύρα, μὴ στεφάνους λιθίναις στήλαισι χαρίζου,
Μηδὲ τὸ πῦρ βρέξῃς. εἰς κενὸν ἡ δαπάνη.
Ζῶντί μοι, εἴ τι θέλεις, χάρισαι. τέφρην δὲ μεθύσκων,
Πηλὸν ποιήσεις, οὐχ ὁ θανὼν πίεται.

Quamquam in duodecim scriptum fuit: *Murrinam mortuo ne indito.* SCALIG.

lin. 20. *Depesta.*] In veteribus excusis, *Flepesta.* Quæ lectio, quamvis corrupta, tamen veræ lectionis nobis index fuit. Perperam enim *Depesta* pro *Lepesta*, quæ a Græco λεπαστή. Cujus præter quod veteres grammatici, Athenæus & Pollux, meminerunt, ipse quoque Varro eadem pæne, quæ hic, monuerat libro 1 de Vita populi Romani. *Lepestæ*, inquit, *etiamnum Sabinorum fanis pauperioribus plerisque aut fictiles sunt aut æneæ.* Nam Varronem δέπαστρον scripsisse, non facile mihi persuaserim. SCALIG.

lin. 23. *Poculi genus δεπέσκαν.*] Δέπαστρον ex Polluce libro 11. AUGUSTIN.

lin. 27. *A sumendo Simpulum.*] Id est, bibendo. *Unde sumi pote, puteus*, id est, unde bibi potest. Cicero, *Si sumserit mera-*

cius, id eſt, *biberit*. Apud eundem: *Fluctus in ſimpulo excitare*, τὸ πομφολυγεῖν. proverbium. Eſt autem Syriacum. Nam ut *Abub*, *Ambub*, αὐλός: ambubajarum collegia: a *copher*, *camphora*: a *ſadon*, *ſindon*: a *ſabeca*, quod eſt apud Danielem, *ſambuca*: ſic a *ſephel*, *ſempel* & inde *ſimpulum* fecerunt. Scio ego, me dicere hoc cum magno odio eorum, qui non ſolum literas Hebraicas & Syriacas ignorant, verum etiam oderunt. At tam mihi facile eſt eos contemnere, quam ipſis proclive eſt eas odiſſe. SCALIG. Alii *Simpuvium*. Scio, quid ante dixerim de etymo hujus vocis: quæ omnia, ut incerta, rejicimus. Nam, *ſimponem*, prius dixiſſe, non dubito: unde diminutivum *ſimpulum*. *Simpo* autem a Græco σίφων. utrumque enim ſignificat vaſculum cum tenui fiſtula, vel anguſto collo, ad pitiſſandum vinum. Hoc uno differunt, quod Latini ſuo *ſimpulo* ad ſacra tantum uterentur; Græci τῷ σίφωνι ad guſtandum in caupona vinum, quod genus vocabant *merariam*. Vetus gloſſarium: *Meraria*, γευστρίς. dicebatur & *guſtatorium*. Idem gloſſarium: *Guſtatorium*, γευστρίδιον. Hipponax de eo, qui vinum furtim ex cado pitiſſarat, ſeu guſtarat, dixit:

Σίφωνι λεπτῷ τοὐπίθημα τετρήνας.

Inde verbum σιφωνίζειν, eſt furtim vinum pitiſſare. Apud Ciceronem de Finibus 2, hæc verba ita leguntur in melioribus tam ſcriptis, quam antiquitus excuſis exemplaribus: *Quibus vinum defuſum e pleno ſit, hir, ſiphon, ut ait Lucilius; cui nihil demſit.* Nam vinum, cui ſiphon aliquid demſerit, ſi diu ita deintegratum maneat, ut loquebantur veteres, aceſcit. Propterea Lucilius, ex cujus verbis hæc ſcribit Cicero, proponit vinum integerrimum, & nulla parte periclitans aceſcere: id quod ſiphone depletum non eſt, neque vola manus pitiſſatum. nam *hir*, eſt vola manus, & qui vinum furtim deplent, ut guſtent, ſolent id vola manus haurire. Hæc ſane eſt vera ſententia Lucilii, quæ elegantiſſima eſt: quam Ciceronis præpoſteri æmuli cur mutarent, cauſa non erat. Si enim Ciceroni putabant injuriam fieri, quod priſco verbo *hir* uteretur, ſaltem hoc cogitare debebant, ipſum Ciceronem verbis Lucilii, non ſuis, loqui. Quod ſequitur apud eundem Ciceronem, *vis & ſacculos abſtulerit*, (nam ita habebant antiquæ editiores) lego: *vires ſaculus abſtulerit*. Firmiſſima vina olim ſaculis vinariis caſtrari ſolita notiſſimum eſt ex Plinio. Itaque delicatiſſimum vinum eſſe proponit Lucilius, tum quod de pleno defuſum ſit, (nam quod de dimi-

nuto & σεσιφωνισμένῳ haustum est, id acescit) tum quod sacco castratum contumaciam illam (ut ita loquar post Plinium) exuit. Hæc obiter volui monere. IDEM.

lin. 28. *Epichysis.*] Apud Pollucem est genus coquinarii vasis: idque probatur ex Aristophane δαιταλεῦσι. Ego vero inveni etiam pro poculi genere, ex Menandri Philadelphis, apud Athenæum, loquentem περὶ τῆς λαβρωνίας,

Ἤδη δ' ἐπίχυσις, διάλιθοι λαβρώνιοι,
Πέρσαι δ' ἔχοντες_μυιοσόβας ἑστήκεσαν.

Meminit & Plautus. SCALIG.

Pagina 36.

lin. 2. *Et in ea, & cum ea ænea vasa.*] Omnino legendum, *Et tina, & cum ea ænea vasa.* Meminerat hujusce rei lib. 1 de Vita populi Romani. *Antiquissimi*, inquit, *in conviviis utres vini primo, postea tinas ponebant.* SCALIG. Reponunt docti viri, *Et tina cum ea;* quod genus vasis nominat Varro lib. 1 de Vita populi Romani: *Antiquissimi in conviviis utres vini primo, postea tinas ponebant.* Sed etsi *tinæ* usus in conviviis, non tamen ad compluvium. Melius, meo quidem judicio, legi posset: *Et in ea congesta ænea vasa.* nam dictum *Cartibulum*, ab eo, quod gerebat vasa ænea, ut aquales, matulas, situlas, quas ponebant in ædibus ad compluvium. Isidorus in Glossis: *Castibulum mensa quadrata, pro Cartibulum.* POPMA.

lin. 5. *Urnarium.*] Varro ταφῇ Μενίππου: *Sed quæ necessitas te jubet aquam effundere domi tuæ? Si vasa habes pertusa, plumbum non habes? Ad quam rem nobis confluvium? ad quam urnarium? In pavimento non audes facere lacunam, at humi facis calceos elixos? Antiqui nostri domibus lateritiis paululum modo lapiditus suffundatis, ut humorem effugerent, habitabant. Non vides in magnis peristyliis, qui cryptas domi non habent, sabulum jacere a pariete, aut e xystis, ubi habitare possint? Non vides in publica nostra taberna, qua populus ambulando, perinde ut in arato, porcas reddit?* Quæ testimonia quinquè ita connecti debere, sententia ipsa satis demonstrat. Ad quorum interpretationem vide Vitruvium lib. 6, cap. 4, in fine: Palladium lib. 1, cap. 9, item in fine. SCALIG.

lin. 10. *Imburum fictum ab urbo.*] Varro cum ab urinando Urnæ veriverbium deduceret, *urinare* quoque, unde esset,

declarabat. In quibus postremis verbis peccatum est ab imperito librario. Quæ ita restituenda sunt: *Urinare, est mergi in aquam in urbum: fictum ab urbo, quod ita flexum, ut redeat sursum versus: ut in aratro, quod est urvum.* Quod enim *in urbum* scriptum esset, non *in urvum*, causa fuit erroris indocto librario, ut sæpe accidisse alias admonuimus. Est autem *urvum*, sive *urbum*, (utrumque enim invenimus) *τὸ ἀνάσιμον*, sursum versus reflexum. Qui in aquam mergitur, ut iterum sursum versus exsistat, dicitur *urinare*. Quod etymon Varronis, mihi & eruditum valde & verum esse videtur. *Urvare* ergo, ita se jactare, ut sursum denuo excitet se. Unde *Amburvare* apud Lucilium dicuntur Salii, qui eo modo corpora saltu reciprocabant,

Præsul ut amburvat, sic volgu' redandruat inde.

At in Festo & Nonio mendosissime ille versus legitur hodie. Græce dicitur *κυβιστᾶν*, id est *κολυμβᾶν*, interprete Suida: quod Curetes (qui iidem Latine Salii) faciebant. Id aliter dicitur *reciprocare*. Plautus Astraba:

Quasi tolleno, vel pilum Græcum reciproces plana via.

Tollenones enim, & pila ruderaria, modo sursum, modo deorsum in opere ipso aguntur. Itaque eleganter & venuste apud Aristophanem, citante Polluce:

Ὥστε κηλώνειον, ἀνακύπτων, καὶ κατακύπτων.

Apud Plautum Pœnolo:

— sunt Græca celonea: sustolli solent.

Eodem modo dictum, quo in Astraba, *pilum aut tollenonem Græcum reciprocare.* Quod a nobis ita restitutum est ex veteri scriptura. Ita enim legitur in manuscripto, *Trecæ sunt celonnæ.* SCALIG. Prior vox suppostitia est, & conficta ab hominibus imperitis, qui non videbant, hæc pertinere ad etymon verbi *urinare*, quod deducit ab *urvo*, quia urinatores se flectunt, ut redeant sursum versus, & caput efferant undis: sicut aratri curvatura dicitur *urvum.* Infra: *Alii hoc a curvo Urvum appellant.* POPMA.

lin. 12. *Urbum.*] Marg. Scalig. *bura.*

lin. 13. *Calidum.*] *Caldum.* AUGUSTIN.

lin. 14. *Cacabum.*] *Κακάβου* meminere Pollux & Athenæus lib. 13. Non enim Latinum est, quod putat Varro. Itidem ineptit de calice, a caldo, non a *κύλιξ*. SCALIG.

lin. 16. *Sedum.*] Solum, vel solium. SCALIG.

lin. 19. *Arca, quod arceantur fures ab ea clausa.*] Sic Græ-

ci φωριαμὸν, παρὰ τὸ τοὺς φῶρας εἴργειν. Cum tamen Eratosthenes ex commentitia fabula deducat originem, in hymno εἰς Ἑρμῆν:

Φωριαμὸν δ' ὀνόμηναν, ὅμιν κῦδε φώριον ἄγρην.
Ἐκ τοῦ φωριαμὸς κικλήσκεται ἀνθρώποισι.

At potius *Arca* ab *arcendo*: quod *arcere* apud veteres significaret *continere*. Unde *arcus* in fornicato opere παρὰ τὸ ἀρκεῖν. SCALIG.

lin. 20. *Armamentarium*] Marg. Scalig. *armamentum.*

lin. 29. *Vestis* &c.] Potest & ita legi: *Vestis a velis: vel ab eo, quod vellus lana tonsa universæ ovis: id dictum, quod lanam vellebant: ex lana autem facta vestis.* Certe ea mens est Varronis. Tamen quis *Vestem* a Græco deduci dubitarit? At Varro, quod vestis ex lana, lana autem vellus diceretur, idcirco *vestem* vocatam ait. φεῦ τῆς δεινότητος. SCALIG.

Pagina 37.

lin. 1. *Contineret.*] Marg. Scalig. *retineret.*

lin. 5. *Rica.*] *Ricam* Festus ex Granii sententia ait esse *muliebre cingulum capitis*, quo pro vitta Flaminica redimeretur. Apud Gellium lib. 10, cap. 15, ubi de Flaminica loquitur, *Et quod virica surculum de arbore felici habet*, scribendum, *Et quod in rica surculum de arbore felici habet.* Surculum autem eum intelligit, quem vocabant *Inarculum.* Is erat e Punico malo, ut ait Festus. Ego vero puto, ex omni felici arbore. Non referam hic, quæ perperam ad hujus loci emendationem attulit Cælius Rhodiginus. SCALIG. *Rica* est proprie *virgineum flameum.* Turpilius: *Interea aspexi virginem in capite gestantem riculam indutam ostrinam.* Græci poetæ καλύπτρην. Apud Germanicum, ubi loquitur de Erigone,

——— *ore*
Velato tristique genas abscondita ripa.

lege *rica*, non *ripa.* IDEM.

lin. 8. *Capitium — quod capit pectus.*] Idem Varro de Vita populi Rom. lib. 4: *Neque id ab orbita matrum familias instituti: quod eæ pectore ac lacertis erant apertis, nec capitia habebant.* Plane hic capitia pectori tegendo, non capiti, ut voluit Nonius: videturque esse, quem Græci μασχαλιστῆρα vocabant. Erant & ad vinciendum pectus strophia, & fasciæ, de quibus Terentius intellexit, de puellis loquens, quas matres student esse

Demissis humeris, vincto pectore, ut graciles sient,
Si qua est habitior paulo, pugilem esse ajunt, deducunt cibum.

Nam fasciis illis ὁμαλοὺς & æquos humeros reddebant, cum contra in pugilibus sint torosi. Xenophon: ὥσπερ οἱ πύκται τοὺς μὲν ὤμους παχύνονται, τὰ δὲ σκέλη λεπτύνονται. Ergo strophio tumorem papillarum cohibebant, fasciis illis humerorum castigabant superfluum, & quasi luxuriantem καὶ σφριγῶντα habitum. Itaque apud Ovidium,

Conveniunt humeris tenues ameletides altis,

ego lego *omaletides*. ὁμαλήτιδες enim videntur vocatæ esse, quod iis æquabantur humeri & complanabantur. SCALIG.

lin. 15. *Caltulam, ac crocotulam.*] *Aut.* Plaut. in Epidico. AUGUSTIN.

lin. 16 sq. *Vocabula apparent esse Græca, ut ἄσβεστον.*] Vulg. *Vocabula apparet esse Græca, ut asbyston.* Hic non melior editio Romana, quam vulgata prior: quin etiam vetus melior. in ea legitur *abaston.* Ex quo isti interpolatores mirifici fecerunt *asbyston*, *asbestum.* Quasi vero id lini genus inter vestimenta annumerandum sit: & non potius ex eo mappæ conficerentur, non vestes. ne mihi interim obtrudant, quæ de eo Plinius, Pausanias, & Stephanus scripserunt. Ego mehercule illam lectionem supposititiam rejicio; hanc autem, quam ponam, germanam esse quovis pignore contenderim: *Ut ambustum Amictus dictum, quod amjectum, id est circumjectum.* Accedit ejusdem Varronis auctoritas ex libro 6: *Ambagio,* inquit, *dicta, ut Ambustum, quod circum ustum est.* Festus: *Amiternini, qui circa terminos provinciæ manent: unde Amiciri, Amburbium, &c.* Dictionem vero Græcam hic desiderari qui putarunt, moti sunt præcedentibus verbis, ubi dicit Varro, vocabula vestium multa esse Græca, &c. SCALIG.

lin. 19. *Quod vestes*] Marg. Scalig. *quo.*

lin. 21. *Antiquissimi amictui ricinium*] Legendum *amictuis.* SCALIG.

lin. 24. *Paria.*] ἡ διπλοΐς. In vita Aureliani imperatoris, *Mantelia duo Cypria, paria duo.* Ab eo, quod pares olim dicebantur duo. Festus: *Paribus equis, id est, duobus, Romani utebantur in prœlio.* Intelligit enim ἀμφίππους equites. Unde *pararium* illud æs dicebatur, quod duplex equiti dabatur pro duobus equis: Græce κατάστασις. vide Suidam. Ab eadem mente *Pararius* Senecæ, προξενητής, quod inter duos stipulantes esset μεσεγγυητής. SCALIG.

lin. 25. Παραπλεκεία.] Vulg. *Parapechy*. Hesych. παράπηχυ, τὸ ἱμάτιον τὸ παρ' ἑκάτερον μέρος ἔχον πορφύραν. Pollux lib. 7: τὸ δὲ παράπηχυ, ἱμάτιον ἦν λευκὸν, πῆχυν πορφυροῦν ἔχον παρυφασμένον. Et lib. 4 ita lege: συρτὸς πορφυροῦς, παράπηχυ λευκὸν τῆς βασιλευούσης. In eodem: τοῖς δὲ παρασίτοις πρόσεστι καὶ στλεγγὶς, καὶ λήκυθος, ὡς τοῖς ἀγροίκοις λαγωβόλον. ἐνίαις δὲ γυναιξὶ καὶ παράπηχυ, καὶ συμμετρία. In quibus etiam verbis Pollucis, quod attribuitur parasito στλεγγὶς καὶ λήκυθος, ita est accipiendus locus Plauti ex Sticho:

Aut perjuratiunculas parasiticas,
Rubiginosam strigilem, ampullam rubidam,
Parasitum inanem, quo recondas reliquias.

Ex his igitur potes videre, inepte mutatam esse lectionem in editione Romana, in qua παραπλεκεία pro *parapechy* suppositum est. SCALIG.

lin. 26. *Lana, quod de lana.*] *Lanam* Varro censet dictionem esse puram putam Latinam. Strabo Gallicam lib. 4. ubi sic de Galliæ populis: Ἀφ' ἧς τοὺς δασεῖς σάγους ἐξυφαίνουσιν οὓς λαίνας καλοῦσιν. Festus Tuscam, vel Græcam: quod postremum verisimilius est. *Lana* enim nihil est aliud, quam Græcorum χλαῖνα, id est, παχὺ ἱμάτιον καὶ χλιαίνον. POPMA.

lin. 29. *Aut colendi.*] *Aut colligendi.* ex conjectura. AUGUST.

lin. 30. *Sarculum a serendo ac sarriendo.*] Lege, *serando.* ut lib. 6 Sarrire a serare, id est, operire, dictum. Serare significat claudere, operire. SCALIG.

Pagina 38.

lin. 2. *Rutrum.*] Hic significat, quod Græce κρωπίον. Varro apud Nonium: *Rutro caput displanavit.* Imitatus est Pherecydem, qui dixerat, τῷ κρωπίῳ παίσας ἀπέκτεινε. Significat & hostorium: quod Græce ῥόχανον. Lucilius:

Frumentarius est, modium secum atque rutellum
Unum adfert —

Ruere enim est, modio cumulum adæquare. Cicero Attico, lib. 16: *De laudibus Dolabellæ deruam cumulum.* Plautus: — *æris acervos ruit.* ἐπιμετρεῖ scilicet. Horatius idem intellexit: *Ut metiretur nummos*, id est, Etiamsi modiis metiretur & rueret acervos nummorum. Est enim proverbium, ἀργύριον μεδίμνῳ ἀπομετρεῖν. Xenoph. Ἑλλην. γ'. SCALIG.

lin. 3. *Aratrum, quod aravit.*] Marg. Scalig. *eruit.* Vetus editio *aruit:* quæ scriptura recta est. *Ruere* est accumulare & colligere, unde *rutrum.* Lucilius lib. 30:

Ruis hæc, & colligis omnia furtim.

Hinc *aruere*, ruere a se & amovere: contra *adruere.* Varro lib. 1 de Re rust. *Ideo quod necesse est terra adruenda pulvinos fieri.* POPMA.

lin. 10. *Appellatur.*] Marg. Scalig. *oppilatur.*

lin. 11. *Irpices.*] Cato vocat *Urpices*, vel Hurpices cap. 10, ab ἅρπαξ καὶ ἁρπαγὴ Græco. Eurip. Cyclope:

Σαίρειν σιδηρῷ τῇδέ μ' ἁρπαγῇ δόμους.

Quare errat Varro, qui a *serpendo.* Ita enim videtur legendum: *Irpices, regula cum pluribus dentibus, quam itidem ut plaustrum boves trahunt, ut eruant, quæ in terra serpunt, Sirpices: postea, S detrita, a quibusdam dicti.* Hesychius: ὀξῖναι, ἐργαλεῖόν τι γεωργικὸν, σιδηροῦς γόμφους ἔχον, ἑλκόμενον ὑπὸ βοῶν. Manifesto vocat ὀξίνας *Sirpices.* SCALIG.

lin. 13. *Ut eruant, quæ in terra sunt: Sirpices.*] *Quæ in terra serpunt:* ut infra, *Spinæ quæ in agris serpunt.* A quo verbo deducit *sirpices.* SCALIG.

lin. 14. *Rastelli.*] *Rastelli, ut Irpices, serræ læves: ita quia homo in pratis per fœnisicia festucas abradit, ab eo rasu, Rastelli dicti.* SCALIG.

lin. 17. *Atque eruunt, a quo & Rutabri dicti.*] Vulg. *Atque eruunt, a quo rutubatri dicti.*] In Romana editione *Rutabri.* Fortasse *Runcastri.* Aliter de veritate lectionis mihi non constat. Forsan apud Gellium pro *Rumigestri* reponendum *Runcastri*, lib. 10, cap. 25, vel *rumicestri.* Rumices, Lucil. *Tum spara, tum rumices*, &c. SCALIG. Lego: *A quo rutu Rastri dicti.* IDEM.

lin. 18. *Falces a farre.*] Purum putum Syriacum est. *Pheleq*, a quo πέλεκυς: & in statu absoluto (ut ejus gentis grammatici vocant) *Phalqa.* unde *Falx.* Itaque sæpe labitur Varro ignoratione peregrinarum linguarum. SCALIG.

lin. 21. *Adoreæ.*] Alii *arboreæ.* Cato, *Falces fœnarias III, stramentarias VI, arborarias V.* SCALIG.

lin. 24. *Solvunt, id est, luunt.*] Scribe: *Luunt, id est, solvunt.* AUGUSTIN.

lin. 28. *Has phancillas Chersonesice dicunt.*] Vulg. *has phancillas chermonesice dicunt.* Scripsissem, *Zanculas.* Ζάγκλη enim δρέπανον Syracusia lingua. Sed quid faciemus illa voce nihili, *Chermonesice?* Esset aliquid *Chersonesitæ.* Sed quinam Cher-

ſoneſitæ ita vocant falcem? aut quinam Cherſoneſitæ *κατ' ἐξοχὴν* dicuntur? Nam, num & alii præterea Cherſoneſitæ? Niſi in ultima Italia ea pars Cherſoneſi nomine intelligitur, quæ pertinet ad Leucopetram. Quod ſi verum eſſet, facile inducerer, ut hic legendum putarem *Zanculas:* quod ſciam, eam partem Italiæ cum Sicilia ita vocaſſe *falcem.* Nihil autem affirmare poſſum. Fortaſſe legendum: *Has ſalcillas chermes Pœnice dicunt.* Scio enim, *Chermes falces* vocatas olim a Syris & Phœnicibus, quorum colonia ſunt Pœni in Africa. Et fieri poteſt, ut hoc dixerit Varro ex Magonis libris, qui Pœnice ſcripti erant de re Ruſtica. Hæc vero aſſeverare ut vera noluimus. Scimus tamen, ex ejuſmodi conjecturis ſæpenumero veritatem erutam fuiſſe. SCALIG. Suſpicor legendum: *Has faſcillas germinificæ dicunt*, vel potius, *phancillas. Falces* ſirpiculæ ſunt, quarum uſus in vinea ad præcidenda ligamenta, quibus alligantur faſces, inciſi fuſtes, faculæ. Cato de Re ruſt. *Falces vineaticas ſex, ſirpiculas quinque.* has falces germiniſeces vocabant *faſcillas*, a *faſce*, vel *phancillas*, detorta voce, ut ego arbitror, a Græco *φάκελος*, quod faſcem vel manipulum ſignificat. *Germiniſica*, qui germina & ſurculos arborum deſicat, ut *fœniſica*, qui fœnum. Varro de Re ruſt. *Falcibus conſectanda, quæ fœniſicæ præterierunt.* POPMA.

lin. 30. *Piſtrinum. L & S* &c.] Locus ita legendus, ejecto gloſſemate: *Piſtrinum, & Lucilii piſtrina & piſtrix.* Nam in margine primum fuit notatum, *L & S inter ſe ſæpe commutant.* vide poſt in 6 de R & S: quod poſtea in contextum orationis irrepſit, & varie fuit interpolatum. *Piſo* & *pinſo* veteres dixerunt: inde *Pilum, in quo far pinſunt*, mutato S in L. Pomponius: *Neque molis molui, neque pilis pinſui. Piſtrina* & *Piſtrix* dixit Lucilius, ut conſtat ex Chariſio lib. 1, & Feſto in dictione *Mamphula.* POPMA.

ead. & ſq. *Inde poſt in urbe Lucili* &c.] In excuſis antiquis legitur ſine præpoſitione *in.* Quæ procul dubio ab aliquo audaci hic temere inculcata fuit, & totum locum hunc obſcurabat; qui ita legendus eſt: *Inde piſtor, vel Lucilii piſtrina, vel piſtrix.* Nam qui primum lectionem corrupit, fecerat, *Inde poſt urve.* Deinde *in urbe* degeneravit. Citavit teſtem Lucilium de piſtrina, & piſtrice, vocibus, quaſi minus uſitatis. De piſtrina quidem Chariſius lib. 1, *Piſtrinum*, inquit, *neutro dicitur.* Sed Lucilius lib. 26 feminino extulit:

Media a piſtrina ad tabernam referens.

De piſtrice non ita obvium. Incidimus tamen in verſiculum

Lucilii, qui eam vocem usurpavit: &, nisi fallor, est ille, quem Varro intellexit. Exstat autem apud Festum dictione *Mamphula*:

Pistricem validam si nummi suppeditabunt,
Addas empleurum mamphulas quæ sciat omnes. SCALIG.

Idem pro *Lucili* in margine *locelli*.

Pagina 39.

lin. 1. *Trapetes a terendo, nisi Græcum.*] Τραπεῖν, τὸ ληνοπατεῖν. Ὀδυσσ. η,

Ἄλλας δὲ τραπέουσι, πάροιθε δὲ ὄμφακές εἰσι. SCALIG.

lin. 2. *Molæ a molendo.*] Immo contra. Itaque videtur scripsisse *a molliendo*. Subjicit enim, *Harum motu eo conjecta molliuntur*. Similis error in Truculento Plauti:

— meretriculis molliendis rem coegit.

melius *molendis*. — *Non alienas Permolere uxores* — Horat. Putarunt nonnulli, apud Theocritum τὸ μυλλεῖν idem significare: at eos maxime arguit scriptura, quod scriptum sit duplici λλ. Deinde μυλλεῖν non *molere* significat, sed *suere*. Unde Latini veteres *mullare* dicebant, pro *suere*: & *mulleos* calceos, a *mullando*. Itaque Theocrito τὸ μυλλεῖν est, quod usitatius dicitur περαίνειν. Unde *subulones* vocavit Lucilius *pædicones* apud Ausonium,

Lucilii vatis subulo, pullipremo.

Ergo *molere* non est τὸ μυλλεῖν Theocriti. Porro Varro apud Nonium videtur in obscœnum significatum accepisse. *Hic alius*, inquit, *tibi molit ac depsit. Depsere* enim etiam obscœnum verbum: ut etiam Cicero ad Pætum ostendit. Apud Catullum vero mendum est:

— Patrui perdespuit ipsam uxorem. —

legendum enim *perdepsuit*. SCALIG.

lin. 3. *Vallum.*] Marg. Scalig. *Vannum.*

lin. 4. *Volant inde levia.*] Ἄχνη, ἀχυρμιαί. *Vallus* vero ex *vanno* ὑποκοριστικῶς. SCALIG.

lin. 9. *Tragula.*] *Trahula* puto scribendum. ὑποκοριστικὸν a Trahea, vel Trahes. *Tribulaque, traheæque*, Virgilius. SCALIG.

lin. 10. *Sirpea.*] Lucilius: *Tintinnabulum abest hinc, sirpiculaque olerorum*. Est autem vehes ex crate. Sunt enim hic duo genera vehiculorum, sirpea, aut sirpiculæ, & tintinnabulum. De sirpeis habes hic apud Varronem. De tintinnabulo non ita cognitum omnibus. Plautus Pseudolo:

— lanios inde arcessam duo cum tintinnabulis.
Eadem duo greges virgarum indidem ulmearum adegero.
Quod tamen vocabulum scholasticorum & grammaticorum nationi antea ignotum fuit. SCALIG.

ead. *Quæ virgeis sirpatur, id est, colligando implicatur.*] *Quæ junceis.* AUGUSTIN. *Sirpare* a *sirpo*, σχοίνῳ, ex quo omne πλέγμα fiebat. Unde quæstiones obscuræ *sirpi* olim Latinis, Græcis vero γρῖφοι dicebantur: quod ut γρῖφοι erant πλέγματα ἁλιευτικὰ ex sirpo, ita etiam ex sirpis nassæ piscatoriæ, quæ dicebantur *sirpiculæ*, ut Plauto, Lucilio, & Propertio. Itaque improbe fecerunt, qui apud Gellium ex sirpis scrupos fecerunt. SCALIG.

lin. 15. *Arcera.*] Puto in Epistola ad Marium legendum *arcerrarum*, pro eo, quod hodie legitur *Craterrarum*. Ubi sane crateræ opus non erant, sed plaustra & carpenta. SCALIG.

lin. 22. *Oppidum* &c.] Turnebus affert ex veteri scriptura, sed plura de suo. Melius ita putem: *Maximum ædificium est opidum, ab ope dictum, quod mœnitur opis causa, ubi sunt: & quod opus est ad vitam gerundam, ubi habitent tuto, opida. Quod opere mœnibant mœnia, quæ mœnitius essent. Quod exaggerabant, aggeres dicti, & quod agger contineret mœrum. Quod mœniendi causa parabatur mœnus, quo sepiebant opidum, eo mœnere Mœnus. In summo pinnæ*, &c. SCALIG.

lin. 25. *Quo munitius.*] *Quo muniti.* AUGUSTIN.

lin. 29. *Quas insigniti milites.*] Vereor, ne legendum sit, *quas insignia.* nam *insignia* sunt οἱ λόφοι gladiatorum & militum. Virgilius:

— Inde volans secum abstulit hasta
Insigne. — SCALIG.

lin. 30. *In gladiatoribus Samnites.*] Cur ita vocatum genus id gladiatorum, vide Livium lib. 9. Possunt & dici a Samnite quodam, qui primus scuti usum invenit, quod gestabant gladiatores. Auctor Clemens Alexandrinus Stromate 1. Athenæus sequitur opinionem Livii, cujus hæc verba ex lib. 6, ubi de Romanis loquitur: Ἔλαβον δὲ καὶ παρὰ Τυῤῥηνῶν τὴν μάχην φαλαγγηδὸν ἐπιόντων, καὶ παρὰ Σαμνιτῶν δὲ ἔμαθον θυρεοῦ χρῆσιν. SCALIG.

Pagina 40.

lin. 3. *Ritu multa.*] Marg. Scalig. *ut multa.*

lin. 21. *Cognominatum.*] *Nominatum.* AUGUSTIN.

lin. 28. *Fundula a fundo, quod exitum non habet, ac pervium non est.*] Græcismus, ὅθεν οὐκ ἔξιτά. Alii, *Pervia non est*: sed non assecuti sunt modum loquendi. SCALIG.

Pagina 41.

lin. 5. Μακελλώτας: — *ostia hortorum.*] Cum ait *macellotas hortorum*, θύρας, id est, *januas* & *fores*, subaudiri debere existimo: cum μακέλλους ait, eo nomine *septa, claustra* & *munimenta* intelligit. TURNEB.

lin. 6. Μακέλλους.] Μάκελλα, τὰ δρύφακτα καὶ φραγμοὺς interpretantur. Unde *maceria*. SCALIG.

ead. & sq. *Secundum Tiberim ad Junium.*] Vertranius, *ad Junonium*. Sed fortasse neque Varro de illo foro intelligit, quod erat in regione palatii, sed de illo, quod erat trans Tiberim, ubi Volcanalibus piscatores pro se animalia in ignem projiciebant. Nam quod dixit *Secundum Tiberim*, id valet, ultra Tiberim: ut alibi Fanum Fortis Fortunæ ait esse secundum Tiberim, quod in Transtiberina regione fuisse certum est. Quamquam non puto omnino, secundum Tiberim, esse ultra Tiberim, sed ad ripas Tiberis. neque Janus, vulgo Junonius dicebatur, sed tantum in Pontificalib. indigitamentis. Quod si Varro intellexit de eo, quod erat in Palatina regione, ego legerim, *ad Janium*, ut *Dianium, Minervium*. Quid quod & trans Tiberim in ea parte urbis erat etiam ara Jani? Quare pro, *ad Junium*, ego puto legendum, *ad Janium*. SCALIG. Docti viri putant legendum *ad Janium*, quod Jani templum vel ara fuerit in Transtiberina regione: cum tamen P. Victor. cum foro Piscario jungat forum Cupedinis, quod non ultra Tiberim, sed ad ripas Tiberis fuisse constat. Ego arbitror, locum corruptum esse, qua a lectione, qua a distinctione, atque ita restituendum: *Secundum Tiberim altilium forum, Piscarium vocant*. Quam lectionem confirmat testimonium Plauti. Origo mendi ex affinitate literarum D & L, *adtidium* pro *altilium*. POPMA.

lin. 8. *Ad corneta forum cupedinis, a Cupedio.*] In chirographo reperio *a fastidio*, quod a fastidiosis & delicatis expetuntur lautitiæ ciborum & cupediæ. *Cupedius* tamen magis probatur, a quo appellatum sit illud forum, qui in libro Varronis rerum humanarum, *Cupes* appellabatur. Illic enim fori Cupedinis & Macelli appellationes ductas narrabat a Numerio Equitio Cupe, & A. Manio Macello latronibus. TURNEB. In hoc quoque fallitur Varro, ut de macello. Nam ut illud a

mactandis pecoribus, ita & hoc quoque a *cupediis*. Quæ dicta ſunt quaſi *Caupedia*, ut *laura*, *lura*, *claudus*, *cludus*: *clauda anus* apud Plautum. Itaque Cupedia, omnia lautiora eſculenta venalia, a *cauponando*. *Cauponari* enim non de una tantum re, ut nunc, ſed ad multa quoque alia extendebatur: ut *καπηλεύειν* Græcum. Itaque Ennius dixit *Cauponare bellum*: quod ex Æſchylo deſumſit, qui dixit, *οὐ καπηλεύων μάχην*. Quare *Cupo*, *caupo*, *Cupa*, *caupa*. Apud Ciceronem in Piſonem, *Panis & vinum*, *a propola*, *& de cupa*. Significatur, eum nunquam de penu & promtuario vivere, ſed de caupona. quod Horatius vocat *numerato vivere*. *Cupam* vocavit, quam Virgilius *Copam*: *Copa Syriſca*, *&c.* Ut a *πίθηκος*, *πίθων*, a *κάνθηλος*, *κάνθων*, ſic a *κάπηλος*, *κάπων*. Unde Latine *Caupo*, qui & *Copo*. SCALIG.

lin. 16. *Lacum Curtium a Curtio.*] Apud Sudam monachum, quidam Græculus (vereor, ne ipſe quoque monachus) deſcribens hanc hiſtoriam, poſteaquam ſatis ex fide, ut exſtat in monumentis Latinis, eam narravit; mox aliam hiſtoriam cælo Latino incognitam refert, his verbis: *συνελθούσης δὲ τῆς γῆς, ἡρωϊκὰς τιμὰς τῷ ἀνδρὶ κατὰ μέσην ἀγορὰν Ῥωμαῖοι ἀνὰ πᾶν ἔτος ἐπιτελεῖν διέγνωσαν. τόν τε τόπον Λίβερνον ἐκάλεσαν, βωμὸν οἰκοδομήσαντες. ἐξ οὗ δὴ καὶ Βιργίλιος τὴν ἀρχὴν ἐποιήσατο.* Primum non colebant Curtium Romani, neque ara ei poſita fuit. Nam, ſi ita eſſet, quare dubitaret Varro, unde ille locus Curtius diceretur? Deinde, quod locus ille Liburnus diceretur, nemo, qui hanc hiſtoriam tractavit, meminit: Varro, Plutarchus, Livius, Valerius, alii. Poſtremo, quis ferat mentientem de Virgilio? Tantum enim abeſt, ut Virgilius ab eo poema ſuum auſpicatus ſit, ut etiam nunquam ejus mentionem fecerit, niſi in Culice. SCALIG.

lin. 18. *Nec quod is C. Ælius Stilo ſecutus.*] Al. *Nec quod is Cornelius ſtilo ſecutus.* cum ita ait, indicat, Cornelium hiſtoricum ſtilo & ſcripto non idem ſcripſiſſe. alii non ſane ineleganter emendant, *Ælius ſtilo ſecutus*: & infra eodem modo legendum cenſent, *Ælius & Lutatius.* quorum ego ſententiæ ſubſcriptorem adſtipulatoremque libenter me tulerim: quamquam *Cornelius* a me non improbatur. TURNEB.

lin. 21. *Deum Manium Poſtulionem poſtulare, id eſt, civem fortiſſimum eodem mitti.*] Lege: *Poſtulionem poſtulare*, *civem fortiſſimum eo dimitti. Poſtulionem*, pro *poſtulationem. Deum Manium*, Summanum. *Poſtularia* oſtenta, fulgura, prodigia vocabant, quæ neglecta fuerant, nec procurata: ideoque ex-

piatione indigebant. Cicero: *Quod eodem ostento Telluri postulatio deberi dicitur.* SCALIG. Al. *Postilionem postulare.* Doctissimus amicus noster, quem semper vivum ante coluimus, & nunc etiam memoriam amplectimur, hic legit: *Deum manium posti leonem postulari.* Quam ego ut ingeniosam non possum non valde commendare. Tamen quo nititur, ut conjecturam suam tueatur ille? *Postes*, inquit, sunt fores. Lucretius:

Cernere res animus sublatis postibus ipsis.

Quod sane verum est, sed aliud est foris, quo janua operitur, aliud janua ipsa. Ita hic specus, seu hiatus ille, qui patebat in foro, non poterit dici *postis.* nam potius *postis* diceretur id, quo operiretur hiatus ille. igitur non esset amplius specus. Quare non est, quod ullam hinc sperare posset victoriam. nullo enim modo sententia ejus hac quidem in parte obtinere poterit. Esto. Tamen quod dicit Lucretius plurali numero, id non ausus esset singulari. Igitur neque hac parte defendi poterit doctissimus vir. Sed nihil mutandum est. Non meminerat ipse verba esse solemnia prisca ex formula augurum, *postilionem postulari.* non enim sunt Varronis. *Postilio* quippe est *postulatio*, ut etiam in meis antiquis glossis reperio. Populus igitur Romanus postulabatur postulationem Deûm manium. quænam ea est? sacrificium humanum, hoc est, quod fiebat capite & vita hominis: nam inferorum sacrificium antiquitus Romanis fiebat capite humano, Jovi Latiari & Saturno. Sed quod obscurum esset, quid sit sacrificium, seu postulatio Deûm manium, interpretantur augures, hominem fortissimum scilicet eo demitti. Sane nihil omnino hic mutandum, sed antiquitas interpretanda. Ubi præterea ἀρχαϊσμὸς notissimus est, *postulari postulionem*: ut, *Ego nihilominus hoc exigor portorium.* Vide Gellium. De *postilione* autem quid dubitemus, cum sciamus, *postulationes* & *postularia* sacra esse ea, quibus procurantur expiationes ostentorum, ut supra annotavimus ex Cicerone? IDEM. Multas dictiones contractius, quam nos eas efferimus, vetustissimi protulerunt, ut *surpio*, *porgo*, *dortium*, pro *surripio*, *porrigo*, *divortium*. Similiter *postulio* pro *postulatio* in augurum libris, *Deum manium postulionem postulare*: quo responso significabant, ob neglectam religionem votorum aut sacrificiorum *Sumanum Deum postulare expiationem*, id est, vitam civis fortissimi. Est autem *postulatio*, expiatio, quæ Diis placandis debebatur. Cicero de Haruspicum responsis: *Quod eodem ostento Telluri postulatio deberi dicitur.* Arnob. lib. 4: *In cærimoniis vestris rebusque divinis postulationibus locus est.* Ter-

tullianus dixit *postularitas* in libro de Corona militis: *Officia seculi, honores, solemnitates, postularitates, falsa vota.* POPMA.

lin. 24. *A Concordiæ versum.*] Vulg. *a Concordia conversum.* Lege: *Ad Concordiæ conversum.* Eo enim conversum supplices manus protendisse colligimus ex Livio: *Silentio*, inquit, *facto, templa Deorum immortalium, quæ foro imminent, Capitoliumque intuentem, & manus nunc in cælum, nunc in terræ patentis hiatum ad Deos manes porrigentem, se devovisse.* Formula devotionis, quantum ex aliis imitari potuimus, plus minus ita concipi poterit: *Jane, Jovis pater, Marspiter, Quirine, Lases, Divi novensides, Dii indigetes: Divi, quorum est potestas popoli Romani Quiritium, meique: Diique manes, sub vos placo, venerorque: veniam peto, obsecroque, uti popolo Romano Quiritium vitam salutemque prosperetis: uti ego axim præ me formidinem metumque omnem, cælestium infernumque omnium diras, sicuti verbis nuncupasso: ita pro re poblica popoli Romani Quiritium, vitam salutemque meam Diis manibus, Tellurique devoveo.* Decium quoque filium exemplo patris se pro patria devoventem introduxerat in Prætextata L. Attius, cui Æneadas seu Decium nomen fecerat. Atque hæc verba citata a Nonio, non obscurum est ab ipso proferri:

Patrio exemplo me dicabo: animam devorabo hostibus.

Deinde posuerat formulam devotionis, quæ hæc est:

Te sancte venerans precibus invicte invoco,
Portenta ut popolo patriæ verrunces bene.

Ac nescio, an idem intellexerit Ennius Annali 6:

— audite parumper,
Ut pro Romano popolo prognariter armis
Certando, prudens animam de corpore mitto. SCALIG.

Legendum: *Ad Concordiæ versum.* Mos enim vetus & solemnis in devotionibus, ut precantes adspicerent templa Deorum, & ad illa versi, se morti offerrent. Livius de eodem Curtio: *Templa Deorum immortalium, quæ foro imminent, Capitoliumque intuentem, & manus nunc in cælum, nunc in terræ patentis hiatum ad Deos manes porrigentem se devovisse. Ad Concordiæ versum*, antiqua locutio, quam etiam Priscianus accurate observavit. Varro lib. 5: *Sol ad nos versum;* & lib. 8: *A bruma versum contraria parte.* Cæsar de Bello Gallico lib. 6: *T. Labienum cum legionibus tribus ad Oceanum versus.* idem lib. 6: *Movet in Arvernos versus.* Sallustius Catilina: *In Galliam versus castra movere.* POPMA.

lin. 31. *Curtium in locum.*] Prior vox redundat; nisi ele-

gantiæ causa iteratur, quod in sermone interrupto fieri aliquando solet. Cicero ad Plancum: *Sed tamen, etsi antea scripsi, quæ existimavi scribi oportere, tamen hoc tempore breviter commonendum putavi.* Sulpitius ad Ciceronem: *Quæ res mihi non mediocrem consolationem attulit, volo tibi commemorare, si forte eadem res tibi minuere dolorem posset.* Celsus lib. 9 Digest. *At eos, quos præsidii causa repositos habet, ut quidam bellis civilibus factitassent, eos legato contineri.* POPMA.

Pagina 42.

lin. 4. *Scribunt, eum locum esse fulguratum.*] Lego, *fulguritum*: ut ante *fulguritum* exposuit *fulgure ictum.* TURNEB.

lin. 12 sq. *Quod Syracuseis, ubi simili de causa custodiuntur, vocantur Latomiæ: & de latomia translatum.*] Scribo: *Quod Syracusis, ubi de causa custodiuntur, vocantur latomiæ, exinde lautumia translatum.* Latini enim pro latomiis *lautumias* dicebant. Verba enim cum solo & regione etiam nonnihil speciem plerumque mutant. Ita Latinos pronuntiasse hoc vocabulum, e quinto controversiarum Senecæ apparet, ubi scribitur: *Ne quemquam vestrûm decipiat nomen lautumiæ, minime lauta res est.* TURNEB.

lin. 14. *Lauretum ab eo, quod ibi.*] Puto legendum: *Lauretum ubi sepultus.* Non enim Varro *Lauretum* dictum voluit a Laurentibus, a quibus interfectus est Tatius rex, ibi sepultus; sed a silva laurea. Mox infra *macellum editum*, forte legi posset, *medium*: ut dicat, Lauretum fuisse medium inter Sacram viam & macellum. POPMA.

lin. 21. *Armilustrum.*] *Armilustrum* Circus maximus erat: *armilustrium*, armorum lustratio. Vetus lexicon: *Armilustrium*, ὁπλοκαθάρσιον, ὁπλοκάθαρμος. TURNEB.

lin. 25 sq. *Itaque dictum in Cornicula millies adventu, quem circumeunt ludentes.*] *Milites ad vectim.* Ex libris utrumque. *Mulieris ad restim*, placet docto cuidam viro. AUGUSTIN. Lego: *Itaque dictum in Cornicula militis adventu*; quod perspicue rectum est. TURNEB. Vertranius: *Mulieris ad restim.* Et restim ducere interpretatur Cordaca. *Quod*, inquit, *præsultor funem duceret: quo apprehenso illum alii sequebantur.* Nolo hic alienis erroribus refutandis triumphare, neque ex illis spolia reportare. Tantum dicam, neque κόρδακα illud esse, quod putat ille, tanquam a χορδῇ esset; neque, si esset, χορ-

δὴν funem aut restim significare, sed nerviam, aut fidiculam. Putamus vere legi: *Itaque dicunt milites ad vectim, quem circumeunt ludentes.* Nam Cornicularia, nomen comœdiæ, facile indicat, *milites* legendum esse. Ludunt milites, ut apparet, qui palum ad terram destitutum, seu vectim circumeant, vocentque illum ideo Circum. Ex qua circuitione Varro etymologiam suam probare conatur. Quamquam translatio potius est. in eundem enim sensum Plautus ipse Milite translate dixit: *Jam est ante ædis Circus, ubi sunt ludificandi mihi.* Est enim idem jocus, qui in Cornicularia. Posidippus item apud Athenæum eadem translatione lusit:

Ἱππόδρομος οὗτός ἐστι σοὶ μαγειρικῆς.

Quod autem hic vectim in terra destitutum esse cognoscimus, quem milites circumeunt, fortasse est ex vulgato exercitamenti genere in militia veteri: quod milites ad palum se exercerent. Qui locus veteribus Palaria dicebatur, ut ait Charisius. Nam alioqui, cum singulari congressu duo se exercebant, locus *Batualia*, ipsi *Batuatores* dicebantur. *Batuere* enim, ferulis velitari, aut verberare, ut apud Suetonium in Vespasiano legimus. Tamen Cicero posuit inter κακέμφατα in erudita illa epistola ad Pætum. Quia Syracusane βατεύειν dicebatur, cum mas init feminam. Theocritus:

—— Ὄχκ' ἐσορῆ τὰς μηκάδας, οἷα βατεῦνται.

Varro proprie dixit insilire equilam. Quare cum Vertranius alibi dixerit, hanc vocem Latinam non esse, videndum est, num putet apud Ciceronem barbara vocabula exstare, quæ ipse mutare velit. Nos certe longe aliter rem se habere ostendimus ex illo Ciceronis loco, qui, antea obscurus, a nobis illustratus est. SCALIG.

lin. 26. *Quid cessamus ludos facere? Circus noster &c.*] Trochaicus est, in quo miles, quem circumeunt ludentes, vocatur figurate *circus*. TURNEB.

lin. 31. *Magistratus misit.*] *Magistratus signum misit.* Ex libris. AUGUSTIN.

ead. *Quod a muri parte pinneis turribusque carceres olim fuerunt. Scripsit poeta* &c.] Lego: *Quod a muri* ——— *olim fuerunt, scripsit poeta*; aut, ut in vetere reperio editione, *a Murtis parte.* Nam illæ *pinnæ* & *turres* oppidi quandam speciem præ se ferebant. Equidem posteriorem scripturam veriorem melioremque credo; sed priorem tamen damnare non ausim. TURNEB. Pro *poeta* marg. Scalig. *Ennius.* Ita fortassis scripsit Ennius in Annalibus:

Insidit currum Dictator, ubi oppidum adusque
Pervehitur.

Sed Varro in referendis testimoniis poetarum numeros versuum negligit sæpissime, nonnunquam etiam verba commutat, ut illud Terentii Adelphis:

Hoc patrium est potius consuefacere filium,
Sua sponte recte facere, quam alieno metu;

ipse ita refert: *Satius esse, sua sponte recte facere.* & ex eadem fabula:

Obsonat, potat, olet unguenta de meo;

hic est:

Scortatur, potat, olet unguentum de meo.

Item Plauti Pseudolo:

Non prorsus, verum ex transvorso cedit, quasi cancer solet;

ita adducit: *Ut transvorsus non provorsus cedit.* POPMA.

Pagina. 43.

lin. 3. *Intimus circus ad Murtium vocatus*] Lego: *ad Murtim*, ut modo, *a Murtis parte.* Venus autem primum *Murtea*, postea *Murtia* vocata est. Plinius: *Quin & ara vetus fuit Veneri Myrteæ, quam nunc Murtiam vocant.* Est & Arnobio *Murcia* segnium Dea. *Murtiæ* meminit Tertullianus in libro de Spectaculis, quam esse *marmoris* Deam dicit, ubi fortasse *marcoris* scribendum est. *Murtiam enim Deam marmoris volunt, cui in illa parte ædem vovere.* TURNEB. Pro *Murtium* marg. Scalig. *Murcis.* Rectius legas: *Murtum.* Murtum vocabant initio a murteto, quod ibi proximum erat: postea *Murcum;* in quo Procilius putabat allusum ad urceos, quia is locus inter figulos esset. Sic Venus *Murtia* primum cognominata fuit, deinde *Murcia*, auctore Plinio. Augustin. de Civit. Dei lib. 3: *Deam Murciam, quæ præter modum non moveret ac faceret hominem, ut ait Pomponius murcidum, id est, nimis desidiosum & inactuosum.* Ejus sacellum fuit ad Circum sub monte Aventino, qui ante *Murtus* vocabatur, ut tradit Festus. hinc *aræ Murtiæ*, quarum meminit Plinius lib. 2; & *Murtiæ metæ*, idem locus, qui Varroni *Ad Murtum.* Tertullianus de Spectaculis: *Consus, ut diximus, apud metas sub terra delitescit Murtias. has quoque idolum fecit. Murciam enim Deam marcoris volunt, cui in illa parte ædem vovere.* POPMA.

lin. 5. *Alii esse.*] *Alii inesse.* AUGUSTIN.

lin. 10. *Ludis Tauriceis.*] Reperio, *Ludis tauriis;* quod ut

leve & exiguum, ut multa alia, ſane præterire debui, & piget adſcripſiſſe. TURNEB.

lin. 18. *Qui ad ſenatum eſſent miſſi. Is Græcoſtaſis appellatur a parte, ut multa.*] Sic diſtinguo: *Qui ad ſenatum miſſi, is Græcoſtaſis, a parte, ut multa.* TURNEB.

lin. 31. *Coacervata & conſita.*] In aliis libris eſt *conſepta:* quæ varietas me adducit, ut putem, ſcriptum fuiſſe *conſipta.* Feſtus: *Conſiptum apud Ennium pro conſepto reperitur.* POPMA.

Pagina. 44.

lin. 5. *Argiletum ſunt qui ſcripſerunt ab Argo, ſeu quod.*] In vetere libro reperio, *ab argula, ſeu quod:* ut legendum videatur, *ab Argu lapſu*, immo, *ab argilla ſeu Argo.* Nam utroque modo vocari potuit. TURNEB. Vetus lectio recta eſt: *Argiletum ſunt qui ſcripſerunt ab Argula, ſeu Argo.* Nam id eſt ἀπὸ τοῦ Ἀργόλα, ἤγουν Ἄργου. Stephanus: Ἀργεῖος οὐ παρὰ τὸ Ἄργος οὐδέτερον (ἦν γὰρ διὰ τοῦ ι) ἀλλὰ παρὰ τὸν Ἄργον τὸν κτίστην. λέγεται γὰρ καὶ Ἀργόλας. Ἀριστοφάνης ἥρωσιν:

Οὐκ ἠγόρευον, οὗτός ἐστι γ' οὐκ Ἀργόλας.
Μὰ Δί' οὐδέ γ' Ἕλλην, ὅσον ἔμοιγε φαίνεται.

καὶ Εὐριπίδης ἐν Πλεισθένει·

Ἐγὼ δὲ Σαρδιανός· οὐ γὰρ οὐκέτ' Ἀργόλας.

Turnebus *ab Argu lapſu.* quis dixit illi, eum ibi lapſum fuiſſe? SCALIG.

lin. 9. *Publilius vicus, & Coſconius vicus, quod ab heis vireis dicuntur ædificati.*] Invenio in antiquo codice, *Publius & Coſconius, quod ab his viocuris dicuntur ædificati. Viocuri* autem ſunt curatores viarum. Ante hanc vocem uſurpavit Varro: *Quis enim non videt, unde aurifodinæ & viocurus?* In antiquo lexico ſcriptum eſt, *viaculus*, ὁδῶν ἐπιμελητής. ſed vel *viarius* vel *viocurus* in eo ſcribendum cenſeo. Vicus Publii a Ruſo collocatur in ea urbis regione, quæ Via lata dicebatur: Vicus publicus in Alta ſemita. TURNEB. *Viocuris* ſe vidiſſe ſcriptum in vetuſto exemplari admonuit me doctiſſimus Adrianus Turnebus: ex cujus fide hæc reponimus. Viocuris vero, id id, Ædilibus. Meminerat hujus vocis & ſupra in proœmio libri. SCALIG.

lin. 11. *Clivus proximus ad florales uſus verſus* &c.] Lego: *Clivus proximus a Flora ſuſus verſus. Suſus* pro *ſurſum* hic dicitur, ut *ſuſum* apud Catonem: *Ita ſubducito ſuſum ani-*

mam, *quamplurimum poteris.* Capitolium vetus a Victore in Alta ſemita ponitur juxta templum Floræ. TURNEB. Vulg. *Ad florales uſus*, *verſum ſed Capitolium vetus.*] Legendum, *ſuſus verſum*, aut *ſuſum verſum*: ſed & *ſuſus*, ut rurſus, & prorſus, legi poteſt. *Suſus*, pro ſurſus: ut proſum ἀντὶ τοῦ prorſum. Afranius Emancipato:

Vetuit me ſine mercede proſum Paccius
Remeare ad ludum —

Feſtus Remeare. SCALIG.

lin. 18. *Nam Ciprum Sabine bonum.*] Ex Syriaca lingua, qua uſi Tuſci antiquitus. SCALIG.

lin. 21. *Mitteret carpentum.*] *Injiceret carpentum.* AUGUSTIN. Vulg. *Iniceret.* Unius literæ mutatione, *inigeret.* Verbum ruſticorum: a quo dicebant inigere pecudes; ut contra exigere, cum e ſtabulis educebant. SCALIG.

lin. 25. Πρόδομον —— ὀπισθόδομον.] Cum ait, ante cellam eſſe Prodomon, poſt cellam Opiſthodomon, templum in tres partes dividit: mediamque, ubi eſt Dei cella, quam hodie chorum dicimus, vocat: quæ antecedit, πρόδομον; quæ ſequitur, ὀπισθόδομον. TURNEB.

lin. 29. *Cavum ædium.*] *Cavum ædium*, vel *Cavedium*, ἡ μέσαυλος. SCALIG.

Pagina 45.

lin. 5. *Et ſurſum*, *qua compluebat*, *compluvium.*] Hic quoque locus Varroni impendetur, neque fortaſſe impendii pœnitebit. Scribit Varro: *Suſum*, *qua compluebat*, *compluvium.* Ecce hic rurſum *ſuſum* uſurpatur. *Compluvium* autem in gloſſematis antiquis invenio Græce exponi κατάκλυστρον καὶ μέσαυλον. Diſtinctio Varronis *compluvium* ad tectum collocat, *impluvium* ad ſolum, cum alterum ſuperius ſit, alterum inferius. Atque in urbe fere *compluvium* & *impluvium* erat, quod in villa chors. TURNEB.

lin. 8. *Atrium appellatum ab Atriatibus Tuſceis.*] Vel potius, quod αἴθριον. SCALIG.

lin. 18. *Ibi cænabant.*] Marg. Scalig. *ubi.*

lin. 19. *Ab hieme Hiberna. hibernum domus vocarunt.*] Interpungo: *Ab hieme hiberna hibernum domus vocarunt.* TURNEB.

lin. 22. *Porcius.*] Marg. Scalig. *potius.*

lin. 23. *Tutilinæ loca.*] Vulg. *Tutilina loca.* Quidam ſcribunt

Titulinam. Varro Menippea, Hercules tuam fidem: *Non Titulinam, inquam, ego ipse invoco: quod meæ aures abs te obsidentur.* Hanc qui invocabant, ferias observabant. Itaque ara ei dicata in Aventino ad tutelam populi Rom. ficuti etiam Tutani extra portam Capenam. Quod quando Hannibal, ut ait Ennius,

Ob Romam noctu legiones ducere cœpit,

tantus terror ex quibusdam terriculamentis nocturnis invasit Pœnum, ut inde pedem retulerit. Quo facto fanum ibi consecrarunt, ab eventu *Rediculum* appellatum: Deum vero, cui consecrarunt, *Tutanum.* Ita collegimus illa ex Festo & Plinio lib. 10; hæc ex eadem Satyra Varronis, quam inscripserat, Hercules tuam fidem:

Noctu Hannibalis cum fugavi exercitum,
Tutanus hoc, Tutanu' Romæ nuncupor.
Hoc propter, omnes qui laborant, invocant.

Ubi non prætereundum, ex prioris versiculi auctoritate confirmari quoque opinionem Val. Probi, qui obliquorum penultimam producebat in hujuscemodi nominibus Pœnis, Hasdrubal, Hannibal, Hiempsal. De quo exstat integrum caput in Gellianis animadversionibus. SCALIG. Idem in margine, *Tullinæ.* Quid si *lucos?* qui frequentes in Aventino monte, in quo Ennius poeta habitavit. Sed & paulo ante lin. 22. est in libris veteribus *ligonem Porcius*, pro quo reposuerim *lucum eum Porcius.* is est, opinor, Porcius Licinius, quem de poetis Latinis scripsisse ex Gellio cognoscimus. De Tutilina plura diximus ad Satyram Hercules tuam fidem. POPMA.

lin. 29. *Præterea intra muros.*] Roma vetus, quam Varro in his libris appellat *Antiquam urbem, antiquum oppidum*, & *antiquum oppidum Palatinum*, habuit portas, *Mugioniam*, qua pecus in bucita, id est, pascua exigebant; *Romanulam*, qua descendebant ad paludem navigabilem lintribus, quæ palus exsiccata postea mutavit in Novam viam, & locum celeberrimum urbis Velabrum. unde Varro hic tradit, illam habere gradus in Nova via, & lib. 6, Novam viam & Velabrum extra urbem antiquam fuisse non longe a porta Romanula. *Janualem*, quæ semper belli tempore patebat: *Pandanam*, prius dictam *Saturniam*, a monte Saturnio: de qua meminit supra. POPMA.

lin. 30 sq. *Quod ea pecus in Bucitatum antiquum oppidum exigebant.*] Ne quid dissimulem, aut celem, equidem non intelligo hæc, nec quemquam adhuc conveni, qui intelligere se

fateretur. Hic *Bucitatum* nescio quod oppidum, nunquam fando auditum emendatores condunt. ego potius scripturam falsariam puto, scribendumque, *in buccina tum*, vel potius uno verbo, *imbucinatum antiquum oppidum exigebat.* Varro de Re rustica: *Subulcus debet consuefacere, ut omnia faciant ad buccinam: primo cum incluserunt, cum buccinatum est aperiunt, ut exire possint in eum locum, ubi hordeum susum in longitudine sit.* Hujus etiam consuetudinis in historiis Polybius meminit. Est qui *in bu citatum*, id est, *potum citatum*, interpretetur. TURNEB. Facessit negotium doctissimis viris hic locus, neque immerito: adeo ut pluribus modis conatus sit Turnebus veram lectionem indagare. sed, ut & ipse ingenue fatetur, frustra tentavit. Nos autem, nisi nostrum nos augurium fallit, nulla pæne immutatione ad veram Varronis sententiam pervenimus. Censemus enim, ut res ipsa vult, ita legendum: *Quod ea pecus in bucita tum antiquum oppidum exigebat. Bucita*, seu *buceta* (nam utrumque reperio) glossæ meæ veteres interpretantur *pascua*, ubi cientur boves. Quod glossema non solum nobis mentem Varronis aperit, sed etiam etymon præterea pro cumulo addit. neque semel ita reperi in ipsis glossis. Quod si ipsæ hoc non monuissent, tamen ejus rei semper locupletem auctorem Gellium laudare potui. Is enim lib. 11, c. 1 ita scribit: *Timæus in historiis, quas oratione Græca de rebus populi Rom. composuit, & M. Varro in antiquitatibus rerum humanarum, terram Italiam de Græco vocabulo appellatam scripserunt, quoniam boves Græca veteri lingua* ἰταλοὶ *vocitati sunt. quorum in Italia magna copia fuit, bucetaque in ea terra gigni pascique solita sint compluria.* Hæc ille. ubi interpolarunt audaces homines, *buceraque*. Scio equidem, *bucera* esse *armenta*: sed nescierunt ipsi, pasci hic esse non νέμειν, sed νέμεσθαι passive. Sidonius Epist. 11 lib. 11: *Inter greges tintinabulatos per depasta buceta reboantes.* Quare hoc vocabulum nunc primum excitatur e pulvere & situ, ubi diu ignoratum latuerat. Recte igitur Varro, *Mugionis* portam dictam a *mugiente* pecore, id est *bubulo*, quod ea ad pascua sua exigeretur ab antiquo oppido. Quotiescunque historici Romani oppidi mentionem faciunt, nihilque præterea addunt, non dubium est, antiquam Romam intelligi, quam quadratam vocavit Ennius: *Et quibus exstiterat Romæ regnare quadratæ.* Idcirco scribit Liv. lib. 45: *In oppido Minervio duas portas, & muri aliquantum de cælo tactum.* lego: *In oppido Minervii duas portas*, vel *partes* &c. Ignorat enim doctissimus

Turnebus, quid sit ibi oppidum. Cum tamen sit quadrata Roma, ut diximus, cujus nunc mentionem facit Varro, & in qua porta *Mugionis*, de qua nunc sermo est, fuit. Nam quemadmodum veteres Græci *ἄστυ* cum dicunt, intelligunt Athenas *κατ' ἐξοχὴν*, sic Romani, cum oppidum dicunt, intelligunt vetus oppidum Palatinum; ubi primum Roma condita fuit. SCALIG.

Pagina 46.

lin. 2. *Quæ habet gradus in navalia.*] Vulg. — *In novalia.* Ego profecto, quæ sint ista *novalia*, & qua parte urbis fuerint, apud nullum veterum invenio. Alii *Navalia* legunt. Ubi dupliciter erratur. nam neque ita Latine loquimur, & Varro de quadratæ Romæ portis agit: cum tamen *Navalia* trans Tiberim fuerint, ut cognovimus ex Livio & Plinio. Plane non dubito legere, parva admodum licentia, *Quæ habet gradus in Nova via.* De hac *Nova via* alibi meminit ipse. SCALIG.

lin. 3. *Janualis porta.*] *Δίπυλον* 'Ιανοῦ Plutarcho: & *πολέμου πύλη*. *Sunt geminæ belli portæ*, & Virg. Plutarchus de Fortuna populi Rom. *'Ιανοῦ δίπυλον, ὃ πολέμου τύχην καλοῦσι.* Budæus *fortunam belli* vertit. Non vidit, *πύλην*, non *τύχην*, legendum: præsertim cum in vita Numæ eadem repetat Plutarchus. SCALIG.

lin. 4. *Et jus institutum.*] *Et institutum.* AUGUSTIN.

lin. 5 sq. *Ut sit clausa semper, nisi cum bellum sit.*] Lego: *Ut sit operta semper* &c. TURNEB. Locus corruptus in omnibus vulgatis editionibus. Veteres habent: *Ut sit aperta semper.* Unde veram hanc lectionem eruimus: *Ut sit aperta semper, nisi cum bellum sit nusquam. Traditum est memoriæ, Pompilio rege fuisse opertam & post.* Satis constat, Numam regem instituisse Quirini templum claudere pace pop. Rom. terra marique parta, & aperire tempore belli: & ipsum primum clausisse: bis deinde clausum fuisse, semel T. Manlio Cos. post Punicum primum perfectum bellum; iterum post bellum Actiacum ab Imperatore Cæsare Augusto, pace terra marique parta. POPMA.

lin. 9. *Super lectuleis origines.*] Hæc non cohærent superioribus. AUGUSTIN.

lin. 11 sq. *Ut etiam nunc sit in castreis.*] Lecticæ militares dicebantur *Cubæ* Sabina lingua, Græce *χαμευνάδες*. Plato Symposio: *Τελευτῶντες δέ τινες τῶν 'Ιώνων, ἐπειδὴ ἑσπέρα*

ῆν δειπνήσαντες (καὶ γὰρ τότε θέρος ἦν) χαμεύνια ἐξενεγκάμενος ἅμα μὲν ἐν τῷ ψύχει καθηῦδον, ἅμα δὲ ἐφύλαττον αὐτόν. Loquitur de militibus, ex quibus erat & Socrates. Euripides Rheso: Λεῖπε χαμεύνας φυλλοστρώτους. Ariſtophanes & alii vocant στιβάδας. SCALIG.

lin. 12 ſq. *Lectos, ne eſſent in terra, ſublimes in heis ponebant.*] Legendum videtur: *Lecti, quod ne eſſent in terris, ſublimes in his ponebant.* Nam lectica ſubſternitur, lectus ei imponitur, ut pheretro mortui lectus. TURNEB.

lin. 14 ſq. *Quam lecticam quod involvebant, quod fere ſtramenta erant e ſegete, Segeſtriam appellant.*] Lego: *Quo eam lecticam involvebant, quod fere ſtramenta erant e ſegete, ſegeſtria appellarunt.* TURNEB. Lege: *Qui lecticam involvebant.* Varro de Vita populi Rom. *Hoc, quod injicitur, toral dicitur: lecticam qui involvebant, Segeſtria appellabant.* De ſegeſtri Lucilius:

Penula, ſi quæris, canteriu', ſervu', ſegeſtre
Utilior mihi quam ſapiens. —

Erat enim teges, quæ a ſegetibus (ut vult Varro) quod ex eis fieret, dicta fuit. Poſtea factam eſſe ex pellibus teſtatur Plautus apud Porphyrionem, qui dixerit de anu dormituriente:

Anus hæc in pellis periculum protenditur.

Val. Maximus ait, Catonem hœdinis pellibus uſum fuiſſe pro ſtragulis, tanquam nihil mutaſſet e priſca frugalitate. Certe στέγαστρον pelles ſignificat. Et noſtrum *dormio* ἀπὸ τῶν δερμάτων: nam *dermio* veteres dicebant. SCALIG.

lin. 19 ſq. *Poſteaquam tranſierunt ad culcitas, quod in ea ſagum, aut tomentum, aliudve quid calcabant.*] Vulg. *ſagus.* Lego: *Poſteaquam tranſierunt ad culcitas, quod in eas acus, aut tomentum, aliudve quid calcabant.* Opinor, non invita omnino Minerva ita me correxiſſe. nam vox *acus* belle convenit ſententiæ, & unius tantum elementi mutatione opus fuit. TURNEB. In Romana editione *ſagum.* bene ſane, quod videbant, aliter Varronem σολοικίζειν. At ubinam gentium uſitatum fuit, pro tomento ſaga in culcitas inferciri? Melius ſane tegendo corpori adhiberentur, quam centonibus farciendis & inculcandis. Sed nugas omittamus. *Tomenta* proprie ſunt ex ciliciis pilis: *borram* vulgo vocamus. Iis igitur tomentis aut ciliciis pilis implebant culcitas. Tamen olim, ut etiam hodie, culcitæ inferciebantur acere & glumis ſpicarum. Quocirca ita ſcripſit Varro, *Quod in eas acus, aliudve quid inculcabant.* Acus, ἄχυρον. Ariſtophanes Βαβυλωνίοις apud Pollucem, loquens

de cervicalibus, aut pulvinis, ἔχεις ἄχυρα καὶ χνοῦν, ait. Latini autem, quidquid tomento inculcabant, vocabant culcitam. unde ei nomen. Itaque centumculum, quod Dioscorides πίλημα vocat, id est pulvillum, culcitam appellat Plautus Milite:

Caussam, inquit, *habeas ferrugineam, culcitam ob oculos laneam.* SCALIG.

lin. 21. *Ac.*] Marg. Scalig. *hac.*

lin. 22 sq. *Pulvinar, vel a plumeis, vel a pelluleis declinarunt.*] Lego in antiquo libro: *Pulvinar vel a pluribus, vel a pollulis declinatum.* Posterius utique verissimum. *Pulvinaria* enim *pollula* & exigua sunt culcitis comparata: sed & ea habere plura patresfamilias solent. Cato labellum *pollulum* pro parvo, eodem modo dixit. Potest & dici sic vocatum, vel a pluribus hominibus, vel a pollulis: idque consentaneum magis ejus voluntati videbitur. Pro *pluribus, plumis* edunt formularii libri: quos non reprehendo. TURNEB. Scribendum puto, *A polulis.* Polulæ, seu Polæ, erant pilæ ex aluta, molli tomento fartæ, quibus datatim ludebant in foro. Unde polire, pila ludere dicebant veteres. Auctor Festus. Id tractum a Græco. Nam φαλλὸς Græce significat veretrum, quod gestabatur in pompa Liberi. Primum ita vocabatur, quamdiu fieret ex ficu: postquam ex aluta rubra fieri cœptus, dictus πολίων. Ab eo Polæ Latinæ, quæ ex aluta fiebant. Et Polimenta, testiculi porcorum dicti, postquam ex illo folliculo evaginati erant in castratione. Verrius ineptit a politione. Sic a φαλλὸς follis, qui & suffiscus in testiculis. Ergo polvinar a polis: quod ex alutaceo scorto. Unde σκύτινα προσκεφάλαια Polluci. Inde cognomenta Romana, *Polliones* & *Pollæ*. SCALIG.

lin. 25. *In heis multa peregrina, ut Sagum, Reno Galli quid gaunocumma ejus sagum, & Amphimalon Græca.*] Locus mendosus. AUGUSTIN. Lego: *Ut sagum, Rheno, Gallica: gaunace, amphimallum, Græca.* quod additum est, *majus sagum*, interpretatio est hominis ineruditi. Hesychius: Καυνάκαι στρόματα ἢ ἐπιβόλαια ἑτερόμαλλα; id est, *gaunacæ* sunt stragula aut operimenta altera parte villosa. Est & gaunace genus pallii ad induendum. TURNEB. Hæc quoque pariter mendosa leguntur in editione Romana. Quæ tamen non multum absunt a vera lectione: *In his multa peregrina, ut sagum, reno Gallica: Gaunacum majus sagum, & amphimallon, Græca.* Interpretatur Gaunacum majus sagum, quod esset crassum vestimentum. Aristophanes Vespis:

Οἱ μὲν καλοῦσι περσίδ', οἱ δὲ καυνάκην.

Pollux tamen ibi legit καυδίκην. Apud Athenæum lib. 14, αὔνακας ἀμφιβεβλημένοι, perperam pro γαύνακας. Vide Hesych. & Pollucem lib. 6, & Ælianum de animal. lib. 17, cap. 17. *Sagum* Gallicam vocem esse, Strabo & alii quoque testantur. Plinius ait, inventum Gallorum esse, scutulis sagos dividere. Quas Plinius in sagis Gallorum vocat scutulas, eas πλινθία Diodorus, de iisdem sagis loquens. Ait enim, Gallos sagula ῥαβδωτὰ gestare πλινθίοις πολυανθέσι καὶ πυκνοῖς διειλημμένα, hoc est, quadris & maculis quibusdam reticulate distincta. Nihil enim aliud intelligit per πλινθία, quam quas hodie Galli vocant *lausangias*, quasi *laurangias*, a lauri folio, quod habet rhombi figuram. Explicat & Plinius, qui maculas & plagulas in retibus, vocat scutulas, ut cum de cassibus araneorum loquitur. Item Livius, qui in funda scutale vocat, quod est reticulatum in medio fundæ. Scutulatum sagum igitur, reticulate distinctum: ac propterea virgatum Virgilio & Propertio; non purpureum, quod nugatur Servius: nec ab eo, quod ῥάβδοι in vestibus dicerentur αἱ πάρυφοι πορφύραι, quod quidam ex Polluce falso accommodarunt; sed quod maculas in retibus & scutulas vocari ostendimus, id in retibus quoque ῥαβδοειδὲς Pollux vocat, hoc est, virgatum. Quod cum ita sit, virgati saguli, seu scutulati, sunt reticulati, ac maculis distincti in speciem cancellorum. ἔστι δὲ, inquit, βρόχος, τὸ συνεχὲς ἐν τοῖς δικτύοις τετράγωνον διάστημα, συνεστηκὸς ἐκ τεττάρων ἀμμάτων· ὃ τεινομένης τῆς ἄρκυος γίνεται ῥαβδοειδές. Vide, quam aperte macularum τὸ σχῆμα, vocavit virgatum. Quod quidam non videns, mutavit, & vertit tanquam legisset ῥομβοειδές: qui sensum quidem Pollucis assecutus est, vim autem vocis ignoravit. Etiam Græci in capite humano consuturas transversas, ut vocat Celsus, ῥαβδοειδεῖς esse dicunt: quod videlicet alia aliam scandat, more cancellorum. Forsan etiam rete quadrangulum vocavit Varro Parmenone, quod ῥομβοειδές. quod τετράγωνον τὸ σχῆμα βρόχων, ut supra Pollux.

Lepusculi timentis hoc quadrangulum
Dedit Diana, rete nexile, arcyas,
Viscum fugelæ, lineamque compedam.

Reposuimus *arcyas* ex veteri scriptura. *Renones* vocant Galli *pelles* aut *exuvias pecudum*. Cæsar lib. 6; item Sallust. apud Servium, & Fl. Sosipatrum. Id videntur accepisse a Græcis, qui ῥῆνας τὰ μῆλα vocant. nam & ipsi Galli aliquando Græ-

ce locuti sunt, ut volunt quidam. In quo monendus mihi est Vertranius, qui non vidit, eam vocem Gallicam esse: & putavit mutandam in *Senones Gallos*. SCALIG.

lin. 27. *Torale.*] Scribe *toral.* AUGUSTIN.

lin. 28. *Torus a torvo.*] Torus est quivis funis ex loris retortus: unde nomen habet. Cato: *Funem exordiri oportet longum pedes 72, toros 3. Habeat lora in toros singulos 9, lata digitos 2.* Quod autem toris lecti tenderentur, ab eo toros vocarunt. Herodotus *τόνους* vocat, *τοὺς τόνους ἔψοντες τῶν κλινέων, ἐσιτέοντο.* unde illud Homeri *τρητοῖς ἐν λεχέεσσι.* SCALIG. *Tori* erant lecti altiores illustrium personarum. Virg. lib. 2 Æneid.

Inde toro pater Æneas sic orsus ab alto.

& lib. 6:

——*lucent genialibus altis,*
Aurea fulcra toris.

Hinc Varro *torum* putat dictum a *torvo*, quasi *tuorum*, quod sit in promtu, & propter altitudinem facile possit videri, sicut ante: *Turres a torvis, quod hæ prospiciunt ante alios.* nimis coacte. Aptius lib. 1 de Vita populi Romani: *Quod fronde lecticas struebant, ex ea herba torta Torus appellatus.* POPMA.

lin. 29. *Ab hac similitudine Torvinus.*] Lego: *Ab hac similitudine torulus.* TURNEB.

lin. 30. *Quia simplici scansione scandebant in lectum non altum.*] Lego: *Qua simplici* &c. TURNEB. Vulg. *Quia simplici scansione scandebant in locum non altum.* Altiores enim cubiculares lecti, quam triclinares, ut idem videtur innuere lib. 7: *Quod si esset analogia petenda in supellectile, omnes lectos haberemus domi ad unam formam: & aut cum fulcro, aut sine eo: tum ad tricliniarem gradum, non ad cubicularem.* Unde proverbium Varronis apud Nonium, *Fulmentum lectum scandit:* fortasse ad differentiam cubicularis, qui sine fulmentis scandebatur. Est autem *Fulmentum lectum scandit*, simile illi, *ἄνω ποταμῶν παγαί.* SCALIG.

Pagina 47.

lin. 1 sq. *Quod geritur ab inferiore in superiorem.*] Reperio: *Quod gerit in inferiora superiorem.* De hoc gradu sic alio loco Varro loquitur: *Omnes lectos haberemus domi ad unam formam, & aut cum fulcro, aut sine eo, nec tum ad triclinarem modum, tum cubicularem.* TURNEB.

lin. 2. *Periſtromata.*] Plautus Sticho:

Tum Babylonica periſtromata, conſutaque tapetia
Advexit nimium bonæ rei. —

Vocat *conſuta tapetia*, quæ Xenophon *ῥαπτά*. Ὑποτιθέντων δὲ τῶν θεραπόντων ῥαπτὰ, ἐφ' ὧν καθίζουσιν οἱ Πέρσαι μαλακῶς, ᾔσχύνθη ἐντρυφῆσαι, &c. SCALIG.

lin. 3. *Sic aliud aliquid item convivii cauſa ibi.*] Vulg. *Sic aliquid item* &c. Lege: *Sic aliquid item in conviviis, ut gauſapia.* Nam erant, quibus menſa tegebatur; quæ nos hodie vocamus tapetia Turcica, villorum mollitia & texturæ artificio inſignia.

Nobilius villoſa tegant tibi gauſapa citrum.

Martial. SCALIG.

lin. 12 ſq. *A duobus decuſſibus Biceſſis, quod dixi ſolum a duobus decuſſibus Biceſſis.*] Videtur ſcribendum: *A duobus decuſſibus viceſſis, quod dici ſolitum a duobus, biceſſis.* TURNEBUS. Pro *biceſſis* marg. Scalig. *viceſſis.* Priſcianus in lib. de Ponderibus integrum hunc locum recitat, ſed omittit hæc verba, *Quod dixi ſolum a duobus ducuſſibus Biceſſis.* Quæ ſi Varronis ſunt, ita legendum: *Quod dici ſolitum a duobus Biceſſis.* Viceſſis dicitur a duobus decuſſibus, quaſi viginti aſſes, id dici ſolitum Biceſſis, quaſi duo aſſes. POPMA.

lin. 16. *Ducenti.*] Marg. Scalig. *Ducenties.*

lin. 21. *Uncia ab uno.*] Et hic quoque fallitur Varro, cum Siculum ſit vocabulum. Quod teſtatur Ariſtoteles apud Pollucem libro 9: Καὶ μὴν ἐν Ἀκραγαντίνων πολιτείᾳ φησὶν Ἀριστοτέλης ζημιοῦσθαί τινα τριάκοντα λίτρας· δύνασθαι δὲ τὴν λίτραν ὀβολὸν Αἰγιναῖον. ἀλλὰ μέντοι παρ' αὐτῷ τις ἂν ἐν τῇ Ἱμεραίων πολιτείᾳ καὶ ἄλλα εὕροι Σικελῶν ὀνόματα· οἷον οὐγκίαν, ὅπερ δύναται χαλκοῦν ἕνα. SCALIG.

lin. 23. *Semiſſis, quod ſemiæs.*] Lego: *Semis, ut ſemias.* Interpretatio Varronis hanc ſuggerit lectionem. vel, *ut ſemi.* TURNEB.

lin. 25. *Concluſum.*] Marg. Scalig. *conliſum.*

lin. 30. *In argento nummi id a Siculeis.*] Pollux eo, quem modo citavi, loco, Ὁ δὲ νοῦμμος, inquit, δοκεῖ μὲν εἶναι Ῥωμαίων τοὔνομα τοῦ νομίσματος, ἔστι δὲ Ἑλληνικὸν τῶν ἐν Ἰταλίᾳ καὶ Σικελίᾳ Δωριέων. ὁ Ἐπίχαρμός τε γὰρ ἐν ταῖς χύτραις φησὶν,

Ἀλλ' ὅμως καλαὶ καὶ πῖοι ἄρνες, εὑρήσουσι δὲ
Μοὶ καὶ νούμμους. καὶ γὰρ ἐντὶ πωλατιᾶς τᾶς ματέρος.

Καὶ πάλιν,

Κάρυξ εὐθὺς ἰὼν πρίω μοὶ δέκα νούμμων μόσχον καλόν. Καὶ
Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Ταραντίνων πολιτείᾳ φησὶ καλεῖσθαι νόμισμα παρ' αὐτοῖς νοῦμμον, ἐφ' οὗ ἐντετυπῶσθαι Τάραντα τὸν Ποσειδῶνος δελφῖνι ἐποχούμενον. Ergo ut ab ἀναβολὴ, & Dorice ἀμβολὰ, ἀβόλλα fecerunt: sic a νόμος, unde νόμισμα, νοῦμμος. Quare inepte Suetonius Tranquillus a Numa nummos appellari scribit. Hæc enim verba ex eo recitat Suidas: Ἀσσάρια Νουμᾶς, ὁ πρῶτος βασιλεὺς, μετὰ Ῥωμύλον, Ῥωμαίων γεγονὼς, ἀπὸ σιδήρου καὶ χαλκοῦ πεποιημένα ἐχαρίσατο Ῥωμαίοις, τῶν πρὸ αὐτοῦ πάντων διὰ σκυτίνων καὶ ὀστρακίνων τὴν χρείαν πληρούντων, ἅπερ ὠνόμασεν ἐκ τοῦ ἰδίου ὀνόματος νουμμία, ὥς φησι Τραγκύλλιος. SCALIG.

Pagina 48.

lin. 12. *Hæc Græce δωτίνη.*] Repone δώς. Hesiodus:
Δὼς ἀγαθὴ, ἅρπαξ δὲ κακή. SCALIG.

lin. 13. *Donum.*] Marg. Scalig. *demum.*

lin. 14. *Nam Græce ut ipsi δῶρον, ut alii δόμα.*] Lego in antiquo libro: *Nam Græce, ut a se, domum, ut alii δόμα*: ut prius vocabulum Siculum intelligamus. TURNEB.

lin. 16. *A Græco ἀῤῥαβών.*] Vulg. *A Græcis ἀῤῥαβών.* At ne Græcum quidem: sed merum Syriacum. Arabon enim apud ipsos dicitur. Descenditque ab eo verbo, quod apud eam gentem significat ἐγγυᾷν. SCALIG.

lin. 18. *Cum minus re factum, quam quanti constat.*] Lego: *Cum minus refectum, quam quanti constat.* Nam *re factum* probare non possum. TURNEB.

lin. 19. *Si amplius, quam exoluerit quanti esset ceptum.*] Lego: *Si ampl us exolveret quam quanti esset emtum.* TURNEB. Marg. Scalig. *Ex eo luerit, quam quanti.*

lin. 25. *Quod singulæ dicuntur appellatæ esse multæ, quod olim unum dicebant multa.*] Lego: *Quod singulæ dicuntur appellatæ esse: multæ, quod unum dicebant multa.* Sensus est, cum singulæ olim hæ appellarentur, multæ a populo dicebantur: unde & nomen adeptæ sunt, quod unum dicebant multa. quod quidem ex eo probat, quod rustici prima urna addita dicere solebant multa. Id autem, ut opinor, faciebant ominis gratia, copiam & multitudinem ominantes. TURNEB. Varro obviam it objecturis, quare singulæ multæ ita vocatæ essent, cum multus adjectivum multitudinem significet: ejus rei causam

magis subtilem, quam veram, reddit. olim enim unum dixisse multa, Sed nimis tenuis & λεπτολόγος est in hac etymologia Varro. Nam veteres cum plures culeos in dolium unum indituri essent, primo addito, dicebant, *multa*, hoc est, *numera*. pro quo Galli dicunt *enprun*, id est, *en pro uno*. Id enim *multare* verbum significat. Plaut. Sticho, *Cum quo multas una multavi miserias*, id est, ἐξηριθμησάμην. Quamquam proprie *multare* est *polliceri* in auctionibus, πλειστηριάζειν. Varro autem putavit illud *Multa* esse nomen, & significare *Unum*, quod in primo numero ita dicerent. SCALIG. Veteres credebant, fascinationem iis rebus nocere posse, quarum numerus constaret. itaque cum numerabant, ad depellendum fascinum dicebant *Multa*: in qua voce non est numerus præfinitus. Ex hac superstitione ait Catullus:

Conturbabimus illa, ne sciamus,
Aut ne quis malus invidere possit.

Et:

Quæ nec pernumerare curiosi
Possint, nec mala fascinare lingua.

Varro etiam *multæ* pecuniariæ etymon inde deducit; etsi lib. 19 Rerum humanarum id vocabulum Sabinum esse dicit, non Latinum. POPMA.

lin. 27. *Cum in dolium aut culeum unum addunt rustici.*] *Vinum addunt.* AUGUSTIN. addicente Turnebo.

lin. 28. *Pœna, a puniendo — quod post peccatum sequitur.*] Lego: *Pœna a pœniendo, aut quod post peccatum sequitur.* Pœnire pro punire antiqui dicebant. TURNEB.

Pagina 49.

lin. 8 sq. *Præda. Præmium a præda, quod ob recte quid factum concessum. Si datur quod reddatur, Mutuum.*] Reperio: *Prædia primum a præda, quod ob recte quid factum concessum sit. Datum quod reddatur, mutuum.* Tamen quod obtinuit, *præmium a præda*, loco non moveo, & præfero. TURNEB.

lin. 10. *Quod Siculi μοῖτον. Ita scribit Sophron, μοῖτον ἀνατίθημον.*] Lego: — *Itaque scribit Sophron, μοῖτον ἀντιμῶ.* Id erit, mutuo redhonoro, vel mutuum colo. TURNEB. *Sophron* scripsit mimiambos, sed prosa oratione. Ejus imitatione mimiambos quoque scripsit Herodotus, vel Herodes quidam vetus scriptor, versibus Hipponacteis: quem secutus Mattius Romanus poeta. Maurus Terentianus:

Hoc mimiambos Mattius dedit metro,
Nam vatem eundem est Attico thymo tinctum
Pari lepore consecutus & metro.

Intelligit, inquam, Herodotum, cujus scazontas adducit Stobæus. Sed apud eum perperam ἡμιάμβους legitur pro μιμιάμβους. Hic est ille, qui apud Athenæum dicitur λογόμιμος. Mattius vero sæpe in mimiambis adducitur a Gellio. — *Mæton anthymo*] Hesychius habet μοῖτον ἐντί μοι. Puto, μοῖτον ἀντίτιμον. quasi dicas, ἡ χάρις, ἀντὶ ἀποίνων; quod gratus animus sufficit ad rependendum beneficium. Vel potius μοῖτον ἀντίτιμον, Par pari. nam ἀντίτιμα, τὸ ἄποινα. & fortasse verum est. Porro apud Hesychium depravata sunt verba, ubi explicat hoc proverbium. Quæ ita corriges: μοῖτον ἀντίτιμον. παροιμία Σικελοῖς. ἡ γὰρ χάρις μοῖτος. Μοῖτον, χάριν. Ergo μοῖτον ἀντίτιμον, mutuas vicissitudines, hoc est, Par pari. SCALIG.

lin. 17. *Quingentos æris ad pontem deponebant.*] Marg. Scalig. *Quinquagenos æris ad pontificem dependebant.*

lin. 25. *Adtributa pecunia.*] Attributa pecunia, quæ tradita erat ea lege, ut hæc alii solveretur. Hoc Græce προστίθεσθαι τὰ χρήματα. Xenophon Ἑλληνικῶν δ', Ὁ δὲ Φαρνάβαζος ἀκούσας ταῦτα, ἀπέστειλεν αὐτὸν προθύμως εἰς τὰς Ἀθήνας, καὶ χρήματα προσέθηκεν αὐτῷ εἰς ἀνατειχισμόν. SCALIG.

lin. 26. *Id quod.*] Marg. Scalig. *In quos.*

Pagina 50.

lin. 3. *A stipando Stipem*] Verum esse puto, quod ait Varro: quod & simile dictum in vita Lycurgi apud Plutarchum, & Porphyrium περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων, Ὥστε δέκα μνῶν ἀμοιβὴν ἀποθήκης μεγάλης δεῖσθαι. Hanc pecuniam sic repositam in cella Dei Festus ait *Impensam* vocatam fuisse, quod nondum esset *pensa*, sed tantum stipata. Unde factum, ut quævis stipatio & farctura *impensa* diceretur. Quod sæpius usurpavit Apicius: ut, *Indes impensam præscriptam*, id est, farcturam. Arnobius libro 7: *Impensarum varietate conditis.* Palladius lib. 1: *Impensa pumicea farciri muros*, id est, stipari acerato ex pumice tuso. SCALIG.

lin. 4. *Vocabulo.*] *Verbo.* AUGUSTIN.

lin. 6. *Diis cum thesaureis asses dant, stipem dicunt.*] Quæ scilicet colligebatur ab æruscatoribus. Seneca in Epistolis: *Co-*

litur autem non taurorum opimis corporibus contrucidatis, vel auro argentoque suspenso, nec in thesauro stipe infusa, sed pia & recta voluntate. SCALIG.

lin. 8. *Milites stipendiarii.*] Marg. Scalig. *Militis.* Omnino legendum: *Similiter stipendiarii. Stipendiarii* primum dicebantur populi vel agri, qui stipendia pendebant, ut ait Ennius:

——*Pœni stipendia pendunt.*

Postea ubi Romani milites stipendium acceperunt de publico, pedites quidem anno Urbis CCCXLVII, equites vero triennio post, tunc *stipendiarii* appellati tam hi, qui stipendia merebant, quam qui pendebant. Livius lib. 4: *Ut stipendium miles de publico acciperet, cum ante id tempus de suo quisque functus eo munere esset.* Idem lib. 8: *Clypeis antea Romani usi sunt, deinde postquam facti sunt stipendiarii, scuta pro clypeis fecere.* POPMA.

IN LIBRUM V.

Pagina 51.

lin. 15. *Lucianum*] *Lucienum*, ex veteribus excusis. SCALIG.

lin. 17 sq. *Declinavit, ut a vetere vetustum, ab solo solum.*] *Ab solo solium.* Solum & solium idem. Ennius:

——*regni stabilita scamna solumque.*

Solium θρόνος. SCALIG. *Declinavit a vetere, ut ab solo solium.* Ita restituimus hunc locum, qui in omnibus editionibus corruptus est. Nos etiam, inquit, multa nomina vetera ita declinavimus, ut alia literas assumserint, alia amiserint, alia commutaverint, ut ex istis *Solum, Leiber, Lases*, fecimus *Solium, Liber, Lares. Solum*, quod nos *solium*, θρόνος, dixit Ennius:

——*regni stabilita scamna solumque.*

Leiber & *Leibertas* exstat in antiquis nummis, & inscriptionibus; *Lases* fuit in carminibus Saliorum. POPMA.

Pagina 52.

lin. 5. *Tempus — intervallum mundi, & motus.*] Otiosa est conjunctio *&*, quæ totum hunc locum perturbat. *Tempus intervallum mundi motus.* SCALIG.

lin. 8. *Unde Tempestiva, & a motu eorum* &c.] Vulg.

Unde tempestiva, & a motore eorum. Lege: *Tempestiva etas. Motor eorum. Etas*, pro *ætas*, veteri consuetudine scribendi. In veteribus excusis, *a motore eorum*: non ut in aliis, *a motu eorum*. Sed lege: *Motor eorum, qui toto cælo conjunctus mundus Deo.* SCALIG. Locus corruptus, ita fortasse emendandus: *Et a motore eorum, qui toto cælo conjunctus Mundus, Deo, ortus occasus venit.* A motore, inquit, Solis & Lunæ Deo, qui est mundus toto cælo conjunctus, venit ortus & occasus, quo dies constituitur. unde appellatur Dies. lib. 4: *Diespiter dictus, hoc est, aer & diei pater, a quo Dei dicti, qui inde & Dies, & Dius, & Divum.* Sed quis non rideat has Varronis argutias, ne dicam ineptias? POPMA.

lin. 10 sq. *Deo — Deo.*] Marg. Scalig. *Dio.*

lin. 11. *Meridies.*] Annotandum & illud, veteres meridiem pro media nocte dixisse: quomodo & æquidiale pro æquinoctio. Varro Marcipore:

Repente noctis circiter meridiem,
Cum pictus aer fervidis late ignibus
Cæli choreas astricas ostenderet:
Nubes aquali frigido velo leves
Cæli cavernas aureas subduxerant,
Aquam vomentes inferam mortalibus.
Ventique frigido se ab axe eruperant,
Phrenitici Septemtrionum filii,
Secum ferentes tegulas, ramos, sirus.

Hic plane ῥαψῳδοὶ fuimus. Nam testimonia tria, quæ divulsa adducit Nonius, in unum conjunximus, & aliquot menda ex ipsis sustulimus, præsertim in tertio versu: cum ita sciremus Platonem locutum esse in Timæo, cum τὰς χορείας καὶ παραβολὰς ἀστέρων dixit. Item ejus æmulum, magnum inprimis virum, Philonem Hebræum: τὰς περιφορὰς καὶ χορείας ἀστέρων διανοούμενος. SCALIG.

lin. 19. *Supremo.*] Marg. Scalig. *superrimo.*

lin. 21. *Lex Prætoria.*] Utrum *Prætoria* an *Pletoria* legendum, id vero incertum est. Utrumque vero bene. M. Pletorius Tribunus plebis plebiscitum tulit, in quo scriptum fuit: *Prætor urbanus, qui nunc est, quique posthac fuerit, duos lictores apud se habeto. Usque ad supremam ad solem occasum jus inter cives dicito.* Censorinus. SCALIG.

lin. 22. *Prætor in comitio.*] Legendum, *Præco.* Donatus in Terentii Andriam: *Sic judices de consilio demittebant suprema dicta, cum præco pronuntiabat populo* ILICET, *quod significat*

ire licet. Porro lex XII Tabul. modum & tempus agundi in judicio præſcripſit his verbis: ANTE MERIDIEM IN FORO AUT IM COMITIO CAUSAM CONICIUNDO. POST MERIDIEM PRÆSENTE AMBOBUS LITEM ADDICITO. Poſtea M. Plætorius tribunus pl. hujuſmodi legem tulit: PRÆTOR URBANUS QUI NUNC EST QUIQUE POSTHAC FUERIT DUOS LICTORES APUD SE HABETO ISQUE AD SUPREMAM JOUS INTER CIVES DICITO, id eſt, uſque dum præco, qui magiſtratui adeſt, Supremam dixit tempeſtatem, & Ilicet pronuntiavit populo. Alluſit Plautus Aſinaria:

Mater ſupremum mihi tua dixit, domum ire juſſit. POPMA.

lin. 25. *Crepuſci nominati.*] Malim, *Crepuſii.* Crepuſia gens plebeja oriunda Amiterno, ut ait Varro: ex qua L. Crepuſius ædilis plebis fuit: cujus mentio exſtat in antiquis denariis. Alia gens Crepereia, ex qua natum M. Crepereium equeſtri familia nominat Cicero lib. 1 in Verrem. POPMA.

lin. 26. *In creatione.*] Marg. Scalig. *Reate.*

lin, 30. *Ut Catulus ait.*] Variatum eſt hic in nomine auctoris, *Catulus*, pro *Pacuvius.* Varro de Re ruſtica libro 1: *Verum enim eſt illud Pacuvii: Sol ſi perpetuo ſit, aut nox, flammeo vapore aut frigore fructus omnes interire.* Error vero accidit, ut alibi quoque monuimus, propter apicem ſummum i, ut mutaretur in l. Quomodo apud Plautum in Pſeudolo erratum eſt, ubi hodie ita legitur: *Euge pellepide Charine, me meo ludo jam beas. Lamberas* enim plane ſcribendum ex veſtigiis antiquæ ſcripturæ. Feſtus: *Lamberat, ſcindit, ac laniat.* Hæc conjectura noſtra confirmatur ex alio loco in Pœnulo:

Enimvero here meo me laceſſis ludo, & delicias facis.

idem enim eſt. SCALIG. Idem in margine *Catullus.*

Pagina 53.

lin. 5 ſq. *Eadem ſtella vocabatur Jubar, quod jubata.*] Callimachus:

— Οὖλος ἐθείρῃσιν Ἕσπερος. — SCALIG.

lin. 8. *Ennius Ajax &c.*] Vulg. *Ajace.* Sed prius verum puto: neque eſſe ex Ajace Ennii, quam verſam ex Sophocle indicio ſunt hæc verba, quæ citantur a Feſto:

Sanguine emiſſo tepido tullii efflantes volant.

Ex illo Sophoclis:

— Ἔτι γὰρ θερμαὶ
Σύριγγες ἄνω φυσῶσι μέλαν νέφος.

Ubi etiam videmus σύριγγας Latine *tullios* vocatos esse, qui & *salientes*. SCALIG.

lin. 10. *In Bruto Cassius.*] Vulg. *Cassii*. Hic, & libro superiore male *Cassii*, pro *Attii*. Meminit & Cicero ejus fabulæ in libris de Divinatione, & in Sextiana. SCALIG.

lin. 11. *Nocte intempesta nostram devenit domum.*] Verba sunt Lucretiæ ad parentes suos, cum de nefaria audacia Sex. Tarquinii conqueritur. Ovidius:

Nox erat, & tota lumina nulla domo. SCALIG.

Idem pro *devenit* in margine *advenit*.

lin. 16. *Videbimus. factum volo: i, redito conticinio.*] *Videbitur, factum volo: redito huc conticinio.* Plaut. in Asin. AUGUSTIN.

lin. 19. *Dies est.*] *Tunc dies est.* AUGUSTIN.

ead. & sq. *Solstitium, quod sol eo die sistere videatur.*] Melius, *quod solo die sistere videretur.* Nam altera etymi causa a sole. SCALIG. Duplex etymon *solstitii*: alterum á *solis institione*, ut loquitur Cicero; alterum a *solis itione* ad nos versum: quod unum tempus veteres nomine *solstitii* intelligunt, & quod nos *hibernum solstitium* dicimus, vocant *brumam*, ut Varro hic, & Cicero lib. 2 de Nat. Deor. *Solis accessus discessusque solstitiis brumisque cognoscitur.* POPMA.

lin. 20. *Aut quod sol ad nos versum, proximum est solstitium.*] Manifesto mendosus locus. nam neque verba ipsa cohærent, neque etymi causa explicatur. Nos ita legimus: *Aut quod sol adversum nos proxume stet*; vel potius: *Quod sol ad versum proxumum stet.* translatio a bubus. Versum siquidem vocabant rustici, cum sulco ad finem perducto iterum reditur eo, unde arationis principium suscipiebatur: quod versum peragere dicitur Plinio lib. 18. Ab eo Græci, ut ait Pausanias, βουστροφηδὸν γράφειν dicebant, cum uno versu peracto in pagina, inde sumitur initium ad alium progrediendi, ut in arato. Quod nos contra facimus. nam versu peracto, idem semper initium progrediendi tenemus. Sic igitur sol elegantissime a Varrone dicitur ad versum proximum stare, cum regreditur. Sic in porticibus versura dicta est apud Vitruvium eodem modo. Item τριώλαξ, ἀγὼν παρθένων Lacedæmone, ab eo dictus, quod tres versus percurrendi erant, quos vocant ὤλακας, tanquam sulcos. SCALIG.

lin. 23. *Æquinoctium.*] Etiam *Æquidiale* apud veteres, ut supra annotavimus. In quo secuti sunt Græcos, qui ἰσημερινόν. SCALIG.

lin. 25 sq.] *Sic magni dicebantur circites anni.*] Otiosa est vox *circites*: idcirco delenda. Putavit enim sciolus quidam hic desiderari vocem illam, qui legerat apud Festum, *Circites*, circulos magnos esse. Porro nonnulli putant, *annum* a Græco ἔννος deduci. Quos sane arguit primum scriptura, quod veteribus uno n scribebatur: deinde significatio, quod proprie circulum significat. unde diminutivum anulus, & anus podex, eodem modo, quo Græcis quoque δακτύλιος utrumque significat, & *podicem* & *anulum*. Et mirum, in Syriaca quoque lingua, quod anulum significat, id ipsum & pro ipsa quoque parte pudenda sumi. SCALIG. Idem pro *circites* in margine *circi*.

lin 26. *Temporis pars.*] *Temporis pars prima.* AUGUSTIN.

lin. 30. *Virere.*] *Vivere.* AUGUSTIN.

Pagina 54.

lin. 2. *Quartum, Auctumnus.*] Hic nonnulla desunt, quæ explanabant etymon *auctumni*: quod est ab *augendo*. Idcirco a Græcis poetis illud tempus dicitur τελεσφόρος ὥρα: unde *auctumnitas* ipse fructus. Varro Quinquatribus:

Cape hanc caducam Liberi mollem dapem
De fronde Bromiæ auctumnitatis uvidam.

Quod venustissimum distichon depravatum legitur apud Nonium: a nobis autem ita in integrum restitutum est. SCALIG.

lin. 10. Ἔνην καὶ νέαν.] Marg. Scalig. μηνηκοῖαν.

lin. 14. *Ultro*] Marg. Scalig. *Ultra*.

ead. *Seculum.*] Marg. Scalig. *Sæculum*.

lin. 20. *Est satis.*] *Sat est.* Plaut. in Trucul. AUGUSTIN.

lin. 25. *Dicti ab agone.*] Quasi vero non & in omnibus quoque sacrificiis observari solitum doceat Seneca: item Plutarchus Sympos. 8, cap. 8, ἔρδειν μὲν, inquit, ἐκάλουν, καὶ ῥέζειν, ὥς τι μέγα δρῶντες, τὸ θύειν ἔμψυχον. ἄχρι δὲ νῦν παραφυλάττουσιν ἰσχυρῶς, τὸ μὴ σφάττειν πρὶν ἐπινεῦσαι κατασπενδόμενον. SCALIG. In omnibus sacrificiis minister, cæsurus victimam, eum, cujus jussus exspectabatur, rogabat, *Agon'?* Seneca lib. 2 Controvers. *Filius cervicem porrigat, carnifex manum tollat, deinde respiciat ad patrem & dicat, Agon'? quod fieri solet victimis.* Cur ergo ab hoc ritu communi sola *Agonalia* dicta? an κατ' ἐξοχήν? quod in illis interrogatur princeps civitatis, & princeps gregis im-

molatur. Certe hoc videtur Varro sentire, & Ovidius lib. 2 Fastor.

Nominis esse potest succinctus causa minister,
Hostia cælitibus quo feriente cadit,
Qui calido strictos tincturus sanguine cultros,
Semper agatne rogat, nec, nisi jussus, agit. POPMA.

ead. *Quod interrogatur a principe civitatis.*] Sane, *interrogatur princeps civitatis* legendum est. Supra ex Plutarcho patuit, interrogari solitum, qui fundebat vinum inter cornua victimarum. Id autem honoris dari principi civitatis verisimile est. Sic apud Maronem:

Ipsa tenens dextra pateram pulcherrima Dido,
Candentis vaccæ media inter cornua fudit.

Quod sane illius, qui principem locum teneret. SCALIG.

Pagina 55.

lin. 5. *Feralia ab infereis & ferendo.*] Ovidius: *Hanc, quia justa ferunt, dixere Feralia, lucem.* Demosthenes: Ἐπεὶ δὲ τελευτήσειέ τις αὐτῶν, καὶ τὰ νομιζόμενα αὐτῷ φέροιτο, &c. Inde *inferiæ*: & *arferia* aqua, quæ afferebatur ad sepulcra, ut libaretur mortuis. *Arferre* pro *Adferre* dicebant veteres: ut *Arvenire*, pro *advenire*: item *Arcedere* pro *accedere*. Turpilius Boethuntibus:

Qui verba mea venatur pestis? arcedat, sermonem hinc sublegat.

Male apud Nonium, *ars cædat.* SCALIG.

lin. 14. *Pro emtore sacrificantes.*] Emendarim, *pro tempore.* Liberalia sacra peragebant viri & mulieres sacerdotes ornati hedera, ferentesque per urbem vina, mella, liba, & opera dulciaria, & cum his ansatam aram, in eaque media foculum, quem libaminibus aspergebant. Itaque quod ait Varro, *Pro tempore sacrificantes*, id est, tumultuarie, pro ratione temporis, & illius diei, non in templo, & ad aram stato ritu, ut in aliis sacris. Sic Sallustius Jugurtha: *Pro tempore parati instructique sunt.* Liv. lib. 41: *His raptim pro tempore instructis.* idem lib. 37: *Ludos pro temporis ejus copia magnifice apparatos fecerunt.* POPMA.

lin. 15. *Saliorum, quorum cognomen.*] *Salii* duodecim fuerunt instituti a Numa Pompilio, & a locis urbis appellati alii *Quirinales*, alii *Collini*, qui eidem vocabantur *Agonales*, sive *Agonenses*; sicut porta *Collina* eadem *Agonensis*. Dionys. lib. 2 Antiquit. Rom. οἱ μὲν γὰρ Ἀγωναλεῖς ὑπὸ δέ τινων καλού-

μενοι κολλῖνοι Σάλιοι. Hinc Varro adducit libros sive carmina Saliorum Agonensium, in quibus *Liberalia* dicebantur *Agonia*. Sed Massurius Sabinus lib. 2 Fastor. *Liberalium dies*, inquit, *a pontificibus Agonium Martiale appellatur. Id fortassis ex eo, quod, sicut Salii per urbem ibant canentes carmina cum tripudiis solemnique saltatu, itidem sacerdotes Liberi per oppidum bacchantes ferebantur.* POPMA.

lin. 18. *Quinque.*] Marg. Scalig. *Quartus sive quintus.*

lin. 25. *Prope murum Megalesion, ubi templum ejus Deæ.*] Vulg. *Prope murum Megalesion, in templum* &c. Hæc ita scripsisse Varronem vix quispiam vel leviter doctus sibi persuaserit, nisi qui Varronem σολοικίζειν velit. Puto legendum: *Quod ex libris Sibyllinis arcessita ab Attalo rege Pergami, Pesimunte, ubi Megalesion, templum ejus Deæ.* Nam Μεγαλήσιον, ὁ ναὸς τῆς μεγάλης θεᾶς, ut Μητρῷον. sic Τυχεῖον, τύχης, Ἀνακεῖον, ἀνάκων. Vel, *Quod ex libris Sibyllinis arcessita ab Attalo rege Pergami: ἀπὸ μητρὸς μεγάλης, ubi templum ejus Deæ.* ubi, id est, in regione Pergami. Nam qui legerat, *apo metros megales*, ex eo fecerit, *prope mœrum megalesion.* Sed puto priorem conjecturam veram esse. Non enim verisimile est, Varronem de Pesimunte urbe tacuisse, quam alii Pesinunta vocant per *n*. SCALIG. Locus mendosus, qui ejecto glossemate, ita videtur posse restitui: *Prope mirum Megalesion ubi, unde advecta Romam. Megalesion* est templum μεγάλης θεᾶς, ut Τυχεῖον Τύχης, Ἀσκληπίον Ἀσκληπίου, & apud Latinos *Dianium* Dianæ, *Minervium* Minervæ. hoc autem in Pergamena jurisdictione, urbe Pessinunte, propter magnificentiam & splendorem in magna admiratione fuit. Strab. lib. 12: Πεσσινοῖς δ' ἐστὶν ἐμπορεῖον τῶν ταύτῃ μεγίστων, ἱερὸν ἔχον τῆς μητρὸς τῶν θεῶν, σεβασμοῦ μεγάλου τυγχάνον. & mox: Κατασκεύασται δ' ὑπὸ τῶν Ἀτταλικῶν βασιλέων ἱεροπρεπῶς τὸ τέμενος, ναῷ τε καὶ στοαῖς λευκολίθοις. *Mirum Megalesion*, quasi *eximium*, *egregium* & *admirandum*, ut apud Lucretium:

Nec sanctum magis, & mirum, carumque videtur. POPMA.

lin. 27. *A fordeis bubus.*] Fordæ boves, φοράδες. Itaque hinc petendum etymon. SCALIG.

lin. 28. *Publice immolantur boves prægnantes in curiis complureis.*] Triginta immolari tantum solitas innuit Ovidius in Fastis, pro numero Curiarum, quæ triginta fuerunt. SCALIG.

lin. 31. *Vinalia.*] Erat is dies, in quo Jovi novum vinum libabant. Paulus Festi mutilator: *Calpar vinum novum, quod*

ex dolio demitur sacrificii causa, antequam gustetur. Jovi enim prius sua vina libabant, quæ vocabant Vinalia. Hæc ille. Id autem fiebat, ne reliquum, quod in apothecis illis, unde *Calpar* promeretur, remaneret, sacrum esse inciperet, & omnino ex usibus eriperetur humanis, sed calpari libato, religione solveretur. Itaque cum *calpar* libabant, *inferium* vocabant, quod solum inferretur, his verbis: *Macte hoce vino inferio esto.* Apud Catonem male legitur *vino inferiore*: tametsi ibi non agitur de *Calpari.* Et hoc præcipue dicebatur de vino diffuso & doliari. Nam alioqui de eodem musto libabant: sed id *Sacrima* vocabatur, posteaquam polluxerant eas confectiones, quæ vocabant *Suffimenta*, ex faba, milioque molito, mulso sparso: quæ Diis eo tempore dabantur, quo uvæ calcatæ prelo premebantur. Quo modo & in frumentis quoque, quod sacrificii causa ante præmetebatur, *Premessum* appellabant, (Lacones προλογίαν) quod vero Cereri offerebant post messem factam, *Florifertum.* Quare ex illis, quæ annotavimus, potes cognoscere causam superstitionis illius, cur vinum novum tangere nefas esset, antequam Vinalia calarentur. Athenis vero, quamdiu ferveret mustum, religio erat tangere. Plutarchus Symposiacorum libro 8: Γλεύκους δὲ ζέοντος ἀεὶ ἀφαιρεῖσθαι καὶ τοὺς ἐργάτας δεδιότας ὁρῶμεν. Ad quam rem habebant suum festum vinale, quod ipsi πιθοιγίαν vocabant. Plutarchus Symposiacorum libro 3: Τοῦ νέου οἴνου Ἀθήνησι μὲν ἑνδεκάτῃ μηνὸς κατάρχονται, πιθοιγίαν τὴν ἡμέραν καλοῦντες· καὶ πάλαι γε, ὡς ἔοικεν, εὔχοντο, τοῦ οἴνου πρὶν ἢ πίνειν ἀποσπένδοντες, ἀβλαβῆ καὶ σωτήριον αὐτοῖς τοῦ φαρμάκου τὴν χρῆσιν γενέσθαι. SCALIG.

Pagina 56.

lin. 6. *Flamen prorsus vinum legit.*] Apparet, morem fuisse, ut prior Flamen auspicii causa vinum legeret. SCALIG.

lin. 16. *Fanum Fortis Fortunæ secundum Tiberim extra urbem.*] Manifesto *secundum Tiberim* dixit pro *ultra Tiberim.* nam Fortis Fortunæ templum in Transtiberina regione fuit. Sic superiore libro, *Secundum Tiberim ad Junium, forum piscarium*, non intelligit de illo foro piscario, quod in regione fori Romani ponit P. Victor: sed videtur & aliud forum piscarium trans Tiberim fuisse, ubi piscatorii ludi quotannis fiebant mense Junio a Prætore urbano, pro piscatoribus Tiberinis: ut perperam videri possit Vertranius legisse *ad Junonium*,

quod ita in Diebus Genialibus Alexandri Neapolitani legerat. Cum tamen Janus Junonius in nulla parte urbis ita vocaretur, sed tantum in Pontificalibus indigitamentis. Ego sane nihil mutarim: quia ut de veritate lectionis mihi non liquet, sic etiam, utrum depravata sit, necne, æque dubitari possit. SCALIG.

lin. 27. *Ob hoc toga.*] Marg. Scalig: *cur toga.*

lin. 28. *Apollinaribus ludeis docui populum.*] Vulg. *docuit populum.* Quam multa hinc exciderint, licet conjicere ex iis, quæ Livius libro 27 pluribus persecutus est de Apollinaribus ludis, qui fiebant III Nonas Quinctiles. Eorumque origo ex Cn. Martii vatis carminibus petita, ut idem auctor libro 25. Ex quibus satis apparet, quæcunque de Apollinaribus Varro docuisset, ea hinc deperiisse. Neque est, cur sequaris editionem Romanam, in qua hæc verba mutila cum præcedenti historia connexa sunt. Quod qui fecerunt, non viderunt, Varronem, qui antea de omnibus festis diebus sese traditurum professus esset, aut sine stulto consilio celeberrimorum ludorum mentionem prætermittere, aut, si eorum meminisset, ejus historiæ summam paucis complecti non potuisse. Unde perierint ea necesse, quæ ad ludorum Apollinarium cognitionem faciebant. SCALIG. *Apollinares* ludos celeberrimos III Non. Quinctil. curabat prætor urbanus, & de ratione sacrorum publice verba faciebat. Sic enim scriptum erat in carminibus Marcii vatis, ex quibus origo horum ludorum:

Apollini censeo vovendos ludos,
Qui quotannis communiter Apollini fiant.
His ludis faciundis præsit is prætor,
Qui jous populo plebeique dabit sommum.

Hac re Varro suum etymon Apollinarium dierum, quod tamen hic desideratur, confirmavit testimonio orationis nescio cujus, habitæ in prætura urbana ad populum, ipsis ludis Apollinaribus. POPMA.

Pagina 57.

lin. 4. *Vinalia Rustica.*] *Vinalia rustica* incidebant in diem XXII Kal. Sept. Ut autem Cæsar fastos correxit, & mensi Sextili duos addidit dies, agi cœpta sunt XIV Kal. Sept. Festus: *Rustica vinalia appellavere mense Augusto quartodecimo Kal. Sept. Jovis dies festus.* An ergo M. Varro, cum hos de lingua Latina libros scriberet, Cæsare jam dictatore, tamen se-

riarum dies ad fastos ejus noluit aptare, sed potius tempora consulum & liberæ reipublicæ secutus, *Vinalia* rejecit in diem XII? an ipse scripsit ante diem XIV, & librarii, notarum ignoratione decepti, fecerunt ante diem XII. Sane hoc evincit locus, qui infra est de Saturnalibus, aptus ad fastos Cæsaris, & temporum ratio. Nam Cæsar pontifex maximus suo III, & M. Æmilii Lepidi consulatu annum emendavit ad solis cursum, & sequens annus fuit primus annus Julianus, quo ipse IV consul cum Q. Fabio Maximo: Varro autem hos libros edidit alterutro istorum anno: id quod indicat locus lib. IV de Camelopardali, quam Cæsar primus Romæ exhibuit Circensibus ludis extremo anno sui tertii consulatus; tum inscriptio librorum ad M. Marcellum, quem constat interfectum ad III Kal. Jun. Cæsare IV, Q. Fabio Coss. POPMA.

lin. 5. *Ante diem duodecimum.*] *Quartumdecimum*, ex Fastis. AUGUSTIN.

lin. 6. *Et orti ejus tutelæ adsignantur.*] Veneris tutelam hortos fuisse, admonet idem & in 1 de Re rustica. *Item*, inquit, *adveneror Minervam, & Venerem: quarum unius procuratio oliveti, alterius, hortorum: quo nomine rustica Vinalia instituta.* Plinius: *In remedio Satyrica signa, quamquam hortos tutelæ Veneris assignante Plauto.* Quod hic Plinius Plautum dixisse ait, idem & Nævius quoque voluit, cum dicit: *Coquos edit Neptunum, Venerem, Cererem.* Per Neptunum pisculenta intelligit, per Cererem panem, per Venerem olera. Non igitur difficile est conjicere, cur Menippeam suam Varro inscripserit, Vinalia περὶ ἀφροδισίων. SCALIG.

lin. 16. *Is cum eat, suffibulum haud habeat: scriptum id* &c.] Lege: *Is cum eat, suffibulum quod habeat scriptum: id dicitur a suffiendo, ut subligaculum.* Videtur enim lex fuisse, & in ea scriptum: *Eo præter sacerdotem poblicum ne introeunto: is quom intret, subsibulum habeto.* Est autem ordo, *quod scriptum, Suffibulum habeat: id dicitur, &c. Suffibulum*, a suffiendo. Festus ita dictum putat, quod fibula comprehenderetur. Sed Varro more suo anxie etymologias comminiscitur. Sciebat enim, Vestales maxime omnium sacerdotum publicorum suffitionibus uti. In quibus erat præcipuum, quod vocabant *Exfit*: quod erat genus suffitionis a Vestalibus patrari solitæ. Fabius Pictor apud Nonium, ubi agitur de nomine *sal*, *Exfit*, inquit, *est sale sordidum, quod ustum est, & in ollam rudem fritilem objectum est. Postea id sal virgines Vestales serra ferrea secant.* Male enim hodie apud Nonium legitur *Tesfit*, pro *Exfit*. Fe-

ſtus: *Exſit.: purgamentum, unde hodie remanet ſuffitio. Fritillem ollam* repoſuimus ex eodem Feſto: quod & quoddam pultis genus *fritilla* diceretur: a Græcis ἀθάρα, ut ego quidem puto. Nam *Frit*, ἀθήρ. De quo ſuffimine vide amplius apud ipſum Feſtum, ubi de muria Veſtalium diſputat. Eam enim muriam *Exſit* vocari, jam cognoſcimus ex Fabii Pictoris exemplo a nobis citato & emendato. SCALIG. Idem pro *ſcriptum id*, in margine *tritum id.* Forte *aſtrictum ſuffibulum*, inquit Varro, dicitur quaſi a *ſuffiendo*, cum ſit ſubligaculum oblongum & fibula aſtrictum, quod Veſtales ſacrificantes in capite habebant, ſacerdotes publici non item. Feſtus: *Suffibulum eſt veſtimentum album, prætextum, quadrangulum, oblongum, quod in capite virgines Veſtales, cum ſacrificant, ſemper habent, idque fibula comprehenditur.* Sunt autem hæc verba ex lege affixa in ſacrario Deæ Opeconſivæ. nam ſacraria habebant ſuas leges inſcriptas in parietibus, de jure ædium & ritu ſacrorum, ut libro ſuperiore exſtat inſcriptio ſacrarii quarti primæ regionis. Itaque illud *ſcriptum* hic retineri poteſt: ſed, ut vox Varronis, a verbis inſcriptionis ſejungi debet. POPMA.

lin. 17. *Ut a ſuffiendo ſubligaculum.*] *A ſuffiendo, ut ſubligaculum.* Ex veriſimili conjectura. AUGUSTIN.

lin. 23. *Novum vetus vinum bibo: novo veteri morbo medeor.*] Plinius: *Cur ad primitias pomorum hæc vetera eſſe dicimus, alia nova optamus?* Et quod dixit, medicamenti cauſa, id volunt verba, quæ ſupra citavimus ex Plutarcho: Καὶ πάλαι γε, ὡς ἔοικεν, εὔχοντο, τοῦ οἴνου πρὶν ἢ πιεῖν ἀποσπένδοντες, ἀβλαβῆ καὶ σωτήριον αὐτοῖς τοῦ φαρμάκου τὴν χρῆσιν γενέσθαι. SCALIG. Idem in margine: *Novum vinum vetus bibo: Vetus vinum novum bibo: Novo veteri vino morbo medeor.*

lin. 24. *Fontinalia.*] Vulg. *Fontanalia. Fontinalia*, ut *Fontinalis* porta. Unde ſequitur, *Quod is dies*, ejus ſcilicet fontis, cujus delubrum fuit juxta portam Capenam. Unde & ipſa *Fontinalis* dicta eſt. Ejus fontis mentio Ciceroni 2 de legibus, niſi mendum ſubeſt in ſcriptura. SCALIG.

lin. 31. *Poſt diem tertium Opalia.*] Saturnalia & *Opalia* ſacra primum fiebant uno eodem die XIV Kal. Januar. poſt, ubi Cæſar Decembri menſi duos addidit dies, illa migrarunt in XVI Kal. hæc veterem diem tenuerunt. Itaque quod ait Varro, *Opalia* eſſe poſt diem tertium, in eo ſequitur faſtos Cæſaris, nec aliud ſignificat, quam ipſo die tertio a Saturnalibus. Cum enim dicitur, *ante diem tertium*, vel *poſt diem ter-*

tium, utroque ſermone dies tertius includitur. Paulus lib. 3 ad legem Juliam & Papiam: *Ante diem decimum Kalendarum, poſt diem decimum Kalendarum, utroque ſermone decem dies ſignificantur.* Ulpianus lib. 19 ad Edictum: *Qui ante Kalendas proximas ſtipulatur, ſimilis eſt ei, qui Kalendis ſtipulatur.* POPMA.

Pagina 58.

lin. 1. *Angerona.*] Libentius ſcripſerim *Angenora*, quia cohibet os. Eſt enim Dea ἐχεμυθίας. ut Sophocles; ὧν καὶ χρυσέα κλῃς ἐπὶ γλώσσα βέβακεν. SCALIG.

lin. 2. *In curia Accalia.*] Vulg. *In curia accuſeia;* & ita habent veteres excuſi. Quam lectionem cum minus exploratam haberent quidam, factum eſt, ut deteriora ſubſtituerint. Nam nunquam ipſi *Accalia* legerunt pro Laurentinis feriis. Ex veſtigiis illius lectionis legendum eſt: *Angenoralia, ab Angenora, cui ſacrificium fit eo die, ac cujus eæ feriæ publicæ. Laurentinæ, is dies, quem diem, &c.* Qui autem genitivum relativi ſubſtituerunt, non viderunt, eum latere ſub illa voce mendoſa: cum tamen ſubſtituendus non eſſet, ſed ex illa voce corrupta eruendus. SCALIG. Fortaſſe legendum: *In curia a conſule. Angerona* Dea ſilentii & conſilii, quæ ſimulacrum ore obligato obſignatoque habebat. Gloſſarium: *Angerona* ἡ θεὸς τῆς βουλῆς καὶ καιρῶν. hac cauſa, ſi forte ei ſacrum fiebat in curia a conſule, & a pontificibus, ante diem XII Kal. Januar. in ſacello Deæ Volupiæ, ut tradunt Macrobius, Plinius, & Solinus. POPMA.

lin. 5. *Sexto die.*] *Feſto* reponendum docet Licinius Macer hiſtoriarum lib. 1, ut citat Macrobius, qui ait, regnante Romulo Accam Tarrutio cuidam Tuſco diviti denuptam, auctamque hereditate viri: quam poſt Romulo, quem educarat, reliquit: & ab eo Parentalia diemque feſtum pietatis cauſa ſtatutum. SCALIG.

ead. & ſq. *Qui atra dicitur, & dicunt hunc diem Tarentini Accas Tarentinas.*] Vulg. *Qui atra dicitur. diem Tarentum Accas Tarentinas.* Etiamſi in his annotationibus nihil aliud præter veriſimiles quaſdam conjecturas adducerem, tamen minime operam luſiſſe viderer. Quod enim ſalutem plane præſtare non poſſum, at vulnera ipſa indicaſſe non parum erit. Igitur ſcripſerit Varro: *Laurentinæ, is dies, quem diem quidam in ſcribendo Laurentalia appellant, ab Acca Laurentia nominatus: cui ſacerdo-*

tes nostri publice parentant festo die: quia altera dicitur ob ditem Taruntium, Acca Taruntia. Laurentinæ feriæ, ait Varro, ab illa inquam Acca, quæ Laurentia cognominata est. quia altera Acca est ea, quæ nupsit Tarutio cuidam Tusco, nobili & diti viro: & ab altera cognomine Laurentiæ distinguitur, cui sacerdotes nostri in Velabro parentare quotannis solent. Fuerunt enim cognomine duæ Accæ: quarum uni (ut ait Plutarchus) sacrificabatur mense Decembri: fuitque nutrix Romuli, & Laurentia cognominata. Alteri mense Aprili res divina fiebat. A multis Flora existimata: ab aliis Tarracina, sive (ut est apud Gellium) Tarratia cognominata. Quamquam has inter se confundit Plutarchus. Error vero tam vitiosæ lectionis ex varietate scripturæ natus est. Nam qui hic Taruntius vocatur, ita idem eodem modo apud Aurelium Augustinum: ab aliis vero & Tarrutius, & Taratius, & Tarratius. Græci etiam Ταῤῥούτιον. Sic quem Cicero in libris de Divinatione Tarrutium vocat, in Solino idem Taruntius, in Stephano Λούκιος Θαῤῥαῖος vocatur. Fuitque summus mathematicus, ac Ciceroni quoque & ipsi Varroni familiaris. Non sunt ergo audiendi illi, qui non veriti sunt Laurentinalia a Romanis ad Tarentinos transferre. Quos cum videam ita ἀνέδην & licenter in hoc misero auctore vagari, cœpi (ut verum fatear) de eorum fide dubitare: potiusque illis os obstruere veris argumentis, quam conviciis incessere, apud me decrevi. SCALIG. Pro *atra* marg. Scal. *Acca*. Locus corruptissimus in omnibus libris excusis, sed ita fortasse restituendus: *Quia altera dicitur, diem Larentinum nacta, Larentia, festus Larentinus. Acca Laurentia* fuit conjux Faustuli, & Romuli nutrix, quæ in Velabro, loco urbis celeberrimo, sepulta, ibidem solemne sacrificium meruit, quo Diis manibus ejus a flamine Quirinali parentabatur. insuper ferias publicas Larentinas X Kal. Januar. Ab hac alia fuit Flavia Larentia, mulier vulgaris, quæ cum Hercule aliquando concubuit, & ab eo in matrimonium locata Tarrutio cuidam Tusco, cælibi & diti viro: cujus aucta hereditate, ipsa moriens populum Rom. bonis suis heredem fecit. ob id meritum ei statutus dies festus Larentinus, quem alii Larentalia vocant, sacraque publice facta mense Aprili. Ita Varro distinguit Laurentalia a Larentinalibus; quod idem facit Plutarchus in Problem. etsi alii aliter. POPMA.

lin. 9. *Ut quod ibi prope faciunt Diis manibus servilibus sacerdotes.*] Sane simplicius multo fuerit, ut ego quidem puto, si ita legamus, *Ut quod prope faciunt Diis manibus ejus*

ibi sacerdotes. vel, *Ut quod ibi prope faciunt Diis manibus arvales sacerdotes.* Sacerdotes enim arvales, qui & arvales fratres, Accæ seu Cajæ Tarratiæ rem divinam facere solitos, constat ex Gellio. Melius erat, inquies, tacere, quam incertiorem ex incerta rem facere. Atqui memini, me in his commentariis non κριτικὸν agere, sed σκεπτικόν: & omnia arbitrario jure, non certo, decidere. Itaque confidenter hic, quidquid visum fuerit, adducere possum, cum ista non sint κύριαι δόξαι. Hoc tamen sine arrogantia affirmare possum, hæc nostra verecunda illorum audacibus commentis longe esse meliora. SCALIG.
Legendum: *Diis manibus sertilibus. Sertilia* vocantur *coronamenta*, quæ conseruntur invicem, & longo ordine nectuntur. unde longæ coronæ dicatæ honori statuarum, theatrorum, & curruum triumphalium, ut antiqua numismata indicant. præterea ad sepulcra mortuorum solitæ ferri Diis manibus. Cic. lib. 2 de Legibus: *Ne sumtuosa respersio, ne longæ coronæ, ne acerræ præterea addantur.* Ovid. lib. 2 Fastor. vocat *porrectas coronas:*

Parva petunt manes, pietas pro divite grata est
Munere, nec avidos Styx habet ima Deos.
Tegula porrectis satis est vallata coronis,
Et sparsa fruges parvaque mica salis.

Plin. lib. 21: *Etiam tunc coronæ Deorum honos erant, & Larium publicorum privatorumque, ac simulacrorum & manium.* POPMA.

lin. 14. *Sed montanorum.*] Ad discrimen eorum, qui deorsum in humilibus locis habitant. Sic in Attica distincti erant ἐπικριεῖς καὶ πεδιεῖς. Dionysius: Διελὼν δὲ οὖν ὁ Τύλλιος εἰς ὁπόσας δή ποτε μοίρας τὴν γῆν, καὶ τοὺς ὀρεινοὺς, &c. SCALIG.
Montani inhabitabant montes urbis, pagani deorsum humiliora loca, quæ Numa divisit in pagos, ut auctor est Dionysius lib. 1. Cicero pro Domo: *Nullum est in hac urbe collegium, nulli pagani aut montani, quoniam plebi quoque urbanæ majores nostri conventicula, & quasi concilia quædam esse voluerunt, qui non amplissime non modo de salute mea, sed etiam de dignitate mea decreverint.* His autem erant communia sacra publica, *quæ*, ut inquit Festus, *publico sumtu pro populo fiebant*, ut pro montibus, pagis, curiis, sacellis. erant & singulis sua propria, ut paganis Paganalia, montanis Septimontium sacrum, quod extremo mense Decembri fiebat in septem montibus urbis. Suetonius in Domitiano vocat *Septimontiale sacrum.* POPMA.

lin. 15. *Paganalia.*] In Paganalibus duo ritus explanandi apud Ovidium: etsi hæc annotatio hoc loco alienior erat. Primum, quod scribit,

Dum licet, apposita, velut in cratere camella
Lac nitidum potes purpureamque sapam.

Hæc potio *burranica* dicebatur, a colore burro, quem mulsum lacte dilutum facit. Festus: *Burranica potio lacte commistum sapa, a ruso colore, quem burrum vocant.* Camella autem ea est, quam Pollux σκάμιλλαν vocat. ἐντεῦθεν εἰρῆσθαι λέγουσι καὶ τὴν παρὰ τοῖς Ῥωμαίοις σκάμιλλαν. Deinde, quod alibi,

Placentur matres frugum Tellusque Ceresque.

Ceres in Paganalibus sacris vocabatur *Empanda.* Varro apud Nonium lib. 1 de Vita pop. Rom. *Hanc Deam Ælius* (non *melius*, ut hodie perperam in Nonio) *putat esse Cererem. Sed quod in asylum qui confugerent panis daretur, esse nomen fictum a pane dando Pandere, hoc est aperire.* Intelligit ergo *Empandam* Deam paganorum. Ego vero putarem dictam a latitudine: idcirco εὐρύστερνος. At Varro a pandendo: unde & eadem cum Pale fuisse videtur. Hoc videtur innuere ipse his versibus:

Te Anna, & Peranna, Panda, καὶ Λατὼ, Pales,
Nerienes, Minerva, Fortuna, ac Ceres.

Ita enim lego primum versum. Qui mos implorantium Deos: nam ἐλλειπτικῶς fere id faciunt. ut, *Dii vostram fidem.* & Plautus, *Tuam fidem Venus Noctuvigila.* & Satyra Varronis, *Hercules tuam fidem.* Item Euripides, ut citant grammatici, σὲ τὸν αὐτοφυῆ πάντοσε θέοντ', αἰθέρα ῥύμβῳ. Porro Varro videtur *Paganicas* a *Paganalibus* distinguere: quod *Paganalia* essent privatæ feriæ alicujus pagi, *Paganicæ* vero omnium. Tamen nihil tale apud Ovidium & alios. SCALIG.

ead. *De statutis diebus.*] Feriarum publicarum quatuor genera traduntur, Stativæ, Conceptivæ, Imperativæ, Nundinæ. Stativæ erant universi populi communes, certis & constitutis diebus in Fastis annotatæ, ut Agonalia, Lupercalia, Vinalia, & reliqua. Conceptivæ quotannis a magistratibus vel sacerdotibus concipiebantur in certos dies, vel etiam incertos, ut Latinæ, Sementivæ, Paganicæ, Imperativæ a consulibus & prætoribus pro arbitrio potestatis indicebantur. Nundinæ rusticorum erant, quoties mercandi vendendique gratia in urbem conveniebant. Varro duo tantum genera facit, *Stativas & Conceptivas*, & harum alias *Annales*, ut quas modo re-

censuimus, alias *Non annales*, quæ non nisi reipublicæ necessitate exigente indicebantur, ut Novendialia: de quorum origine Livius refert, devictis Sabinis a Tullo Hostilio rege nuntiatum esse, in monte Albano lapidibus pluisse: missis, qui id viderent, renuntiatum, audisse vocem ex luco, ut patrio ritu sacra Albani facerent: Romanis Novendiale sacrum publice susceptum, mansisseque solemne, ut quandocunque idem prodigium nuntiaretur, feriæ per novem dies agerentur. POPMA.

lin. 18. *Sacrificatur.*] *Sacrificant.* AUGUSTIN.

Pagina 59.

lin. 3. *Sic dictæ, Quinque kalo Juno Novella.*] Vulg. *Sic dictæ quinque calo Juno Novella.* Hæc putat se emendasse Vertranius, & tamen nihilo meliora, quam alii, protulit. Forsan ne ipse quidem suam emendationem amaverit, si hanc nostram legerit: *Primi dies mensium nominati Kalendæ: ab eo, quod iis diebus kalentur ejus mensis Nonæ a pontificibus, quintanæ an septimanæ sint futuræ, in Capitolio in curia Calabra sic, dies te quinque kalo Juno novella. septem dies te kalo Juno novella.* Sensu sane plano & aperto, non involuto, ut prioribus editionibus: neque suspenso, ut Vertranius correxit. *Juno Novella*, quod in Junonis tutela Kalendæ essent. Unde *Kalendaris Juno.* Non male tamen *Jana* legeretur: ita vocabant Lunam. Varro de Re rustica: *Nunquam rure audisti, octavo Janam Lunam crescentem, & contra senescentem: & quæ crescente Luna fieri oporteret: & tamen quædam melius fieri post octavo Janam Lunam, quam ante?* Accepit autem ex Hesiodo:

Ὀγδοάτη τ' ἐνάτη τε, δύω γε μὲν ἤματα μηνὸς
Ἔξοχ' ἀεξομένοιο βροτήσια ἔργα πένεσθαι. SCALIG.

lin. 4. *Juno Novella.*] Mirum mihi visum est, quod legitur in vetustioribus excusis. Omnes enim illi plane habent *Covella*: forsan non male, quod Covum veteres Cælum vocabant: quod Festus scribit dictum a chao, ex quo poetæ dicunt Cælum esse natum. Immo potius, quod χάος apud veteres significabat aerem. Euripides Cadmo, ut inveni apud Probum grammaticum: Οὐρανὸς ὑπὲρ ἡμᾶς κενὸς, φώτων ἕδος δαιμόνιον. τὸ δ' ἐν μέσῳ οὐρανοῦ τε καὶ χθονὸς, οἱ μὲν ὀνομάζουσι χάος, &c. Aristophanes ὄρνισι:

Διὰ τῆς πόλιος τῆς ἀλλοτρίας, καὶ τοῦ χάους.

Theocritus πτέρυγι,

Ἅπανθ᾽ ὅσ᾽ ἕρπει δι᾽ αἴθρας χάους τε.

Ergo Juno Covella, ἡ οὐρανία. SCALIG. *Novella* legunt vulgo, quod in tutela Junonis essent Kalendæ, ut ait Ausonius:

Vindicat Ausonias Junonis cura Kalendas.

Verumtamen non calabantur hisce diebus Kalendæ, sed Nonæ quintanæ an septimanæ essent futuræ: idque fiebat hoc modo. Pontifex minor novæ lunæ primum observabat aspectum, visamque regi sacrificulo nuntiabat, tum sacrificio a rege & minore pontifice celebrato, idem pontifex, vocata in Capitolium plebe, juxta curiam Calabram, quot numero dies Nonarum essent, pronuntiabat: *Dies te quinque kalo Jana novella*, vel, *Septem dies te kalo Jana novella*. Sic enim legendum. *Jana* est luna, auctore ipso Varrone lib. 1 de Re rust. Alii legunt *Juno covella*, id est, luna cava, sive corniculata; quia veteres *Cavum* dicebant *Covum*. sed hac lectione evanescit etymon Nonarum, quod mox subjicit: *Novus mensis nova luna Nonis*. POPMA.

lin. 11. *Quod tunc ferias primas menstruas, quæ futuræ sint eo mense, rex prædicit.*] Melius *ferias privas*. Aut illud *primas*, erit celebriores, majoris notæ ferias. SCALIG. Idem, pro *prædicit*, in margine *edicit*.

lin. 14. *Postridie Kalendas, Nonas, Eidus appellati atri.*] Afranius Fratriis:

Septembris heri Kalendæ: hodie ater dies.

Vid. Ovid. Plut. Macrob. Gell. SCALIG.

lin. 17. *Comitiales.*] Contrarii nefastis. Itaque lusit Plautus Pœnulo:

Non potuisti adducere homines magis ad hanc rem idoneos:
Nam istorum nullus nefastus est, comitiales sunt meri:
Ibi habitant: ibi eos conspicias, quam prætorem, sæpius.

SCALIG.

lin. 29. *Quintus Mucius abnegabat.*] Vulg. *C. Mucius ambigebat. Ambigebat* dixit ex antiqua judiciorum modestia, cum dicerent, ἔδοξε δικαίως ἁλῶναι: nunquam, δικαίως ἑάλω. SCALIG.

Pagina 60.

lin. 5. *Dicat ad comitium.*] Legendum, *ducat ad comitium*; ut infra, *ad vexillum ducere debet*: sed ibi intelligitur *exercitum*, hic *sacra*. Est autem *ducere sacra*, pompam sacrorum movere e loco in locum, ut cum quotannis Circensium

diebus simulacra Deorum carpentis traducebantur, vel cum Rex sacrificulus IX Kal. April. & rursus IX Kal. Jun. ex regia transferebat rem divinam ad comitium, &, sacrificio ibi raptim peracto, fuga repetebat regiam. Cujus ritus meminit Ovid. lib. 5 Fastor.

Quatuor inde notis locus est, quibus ordine lectis
Vel mos sacrorum, vel fuga regis inest.

Ubi quatuor illas notas, quibus hic dies in fastis notatur, Q. R. C. F. ita explicat: *Quando Rex comitio fecit*, vel, *Quando Rex comitio fugit.* Varro autem sic: *Quando Rex comitiavit, fas*, id est, Quando Rex in comitio fuit, fas: at quando in comitio est, nefas. est enim intercisus dies, & anterior pars nefas, posterior fas. Ovidio consentit Plutarchus in Problematis, Varroni Festus. Porro *ducere sacra* Virgilius quoque dixit lib. 8 Æneid.

——— casta ducebant sacra per urbem
Pilentis matres in mollibus.

Valerius Flaccus lib. 3 Argonaut.

——— Eoi pocula regni
Duceret, ac rursus thyasos & sacra moveret. POPMA.

lin. 13. *Pertineat.*] *Pertinet.* AUGUSTIN.

lin. 16. *Junius Gracchus.*] Alii *Gracchanum* citant. SCALIG.

lin. 17. Ἀφροδίτη.] Forsan de hoc loco Varronis sentiebat Macrobius. *Cincio*, inquit, *etiam Varro consentit, affirmans, sub regibus nec Latinum nomen Veneris, nec Græcum fuisse: & ideo non potuisse mensem a Venere nominari.* Sic & Arnob. lib. II nec Veneris, nec Apollinis mentionem factam esse in Numæ indigitamentis testatur. Quare minus prudenter Ennius Veneris mentionem fecerit regiis temporibus. Nam cum ad tertium usque Annalem regiorum temporum gesta continuasse multis testimoniis inde productis constet, in primo Annali sic quendam orantem inducit:

Te nunc, sancta Venus, precor, & genitrix patri nostri,
Ut nos de cælo visas cognata parumper,
Teque, Quirine pater, veneror, Horamque Quirini,
Teque, pater Tiberine, tuo cum flumine sancto.

Tamen illos versus in duobus auctoribus, tribus locis divulsos leges. SCALIG.

lin. 28. *Antiquum oppidum Palatium.*] Puto legendum: *Lustratum antiquum oppidum Palati, nunc gregibus humanis cinctum.* Hoc enim dixit ad differentiam veteris oppidi, circa quod initio pascerentur greges pecorum. Quod temporibus

Varronis, urbe in tantam magnitudinem ampliata, & palatio in eam concluso, totum esset cinctum gregibus humanis. Usurpat autem alicujus veteris verba tanquam alludens. SCALIG.

Pagina 61.

lin. 13. *Discrimina.*] Marg. Scalig. *discriminum.*
lin. 17. *Ab aliquo.*] *Ab alio.* AUGUSTIN.
lin. 23. *Una — nulleis.*] Marg. Scalig. *unas — multeis.*

Pagina 62.

lin. 6. *Discrimina.*] Marg. Scalig. *discriminum.*
lin. 7. *Secuti.*] *Secutus.* AUGUSTIN.

lin. 10. *Quare si etymologia principia verborum postulet.*] *Postuletur* legendum est. Et postea, *Et reliqua ostendat, quod non postulat*: lege, *quod non postulatur.* Est autem hellenismus, ut etiam veteres Latini, *Exigi pecuniam, exigi portorium.* SCALIG.

lin. 18. *Quorum repertum.*] *Quorum in promtu*, non nemo opinatur scribendum. AUGUSTIN.

lin. 31. *Sed & cum hoc agitamus, quid* &c.] Nisi esset κακέμφατον, libenter legerem, *cum nos agitamus.* Sed hoc cacephaton ridet in viro consulari Cicero. SCALIG.

Pagina 63.

lin. 7. *Sic Coactio, sic Compitum nominatum.*] Vulg. *Sic coemtio, sic* &c. Potius, *Sic coitio, sic comitium.* SCALIG.

lin. 9. *Ut vestimentum apud fullonem cum cogitur, consiliari dicitur.*] Vulg. *Apud fullonem vestimentum cum cogitur, conciliari dicitur.* Immo conciliare a ciliis, & Græce κιλίκια dicuntur. Ex iis coacta vestimenta vulgo *Feltra* vocamus: nempe τὰ ἐκ τριχῶν συντιθέμενα. Unde Conciliare, fullonium verbum, τὸ συμπιλοῦν, πιέζειν, ἰπουν, καὶ συμπατῆσαι. A quo & Galli quoque *fouler* dicunt. Hoc intellexit Titinnius Fullonibus:

——— terra hæc nova est,
Quasi ubi tu solitus pedibus argutarier,
Dum compescis cretam, & vestimenta eluis.

Unde saltus Fullonius Senecæ Epistola 15: *Cursor & cum aliquo pondere manus motæ: & saltus vel ille, qui in altum cor-*

pus levat; vel ille, qui in longum mittit; vel ille, ut ita dicam, Saliaris; vel, ut contumeliosius dicam, fullonius. SCALIG.

lin. 17 sq. *Mentem quodammodo motam amoveo.*] *Mentem quodammodo moveo.* Ex docti viri opinione. AUGUSTIN.

lin. 19. *Tremuisti, id est, timuisti.*] Verbum *tremuisti*, est ex veteri aliquo poeta, quod Varro interpretatur *timuisti*: quia timor est frigidus, &, qui timent, tremunt. unde & *timidus* accipitur pro *frigido*. Ennins lib. 16 Annal.

Tum timido manat ex toto corpore sudor.

quod imitatus Virgilius:

Tum gelidus toto manabat corpore sudor.

Tremo autem est a Græco *τρέμω*. POPMA.

lin. 31. *Ut Libentina.*] Nonius Marcellus refert, Varronem scripsisse lib. 4, sive 5 de Lingua Lat. *proluviem* & *prolubidinem* dici ab eo, quod lubeat. unde etiam *lucus Veneris Lubentinæ* dicatur. AUGUSTIN.

Pagina 64.

lin. 7. *Mamurium Veturium.*] Pro vetere memoria Varro & Plutarchus. Alii nomen proprium viri faciunt ex historiæ causa. Sic ergo Romani in sacris quædam nomina dicis causa solebant proferre: in nuptiis Cajam Cæciliam & Talassionem, in Vestali capienda Amatam: Nonis Caprotinis Cajum, Marcum, Lucium: in censu vel delectu faciendo, Valesium, Salvium, Statorium. Itaque scribit Cicero: *Itemque in lustranda colonia, ab eo, qui eam deduceret: & cum imperator exercitum, censor populum lustraret, bonis nominibus qui hostias ducerent, eligebantur. Quod idem in delectu Coss. observant, ut primus miles fiat bono nomine.* Hæc ille. Sic in Saliari carmine boni ominis causa Luciam Volumniam, & Mamurium Veturium nominabant. Contra ab eadem superstitione nullus ludis Apollinaribus Pomponius nominabatur. Sic cavebatur, ut, qui hostias duceret, bono esset nomine, ut jam ex Cicerone demonstravimus. Quare id voluit Plinius lib. 28, ubi ait: *Cur*, inquit, *publicis lustris etiam nomina victimas ducentium prospere legimus?* SCALIG.

lin. 14. *Marcere.*] Marg. Scal. *Marcore.*

lin. 17. *Terentius ait.*] Al. *Juventius.* Sed qui ita legunt, videntur ignorare, duos fuisse Terentios: Pub. Terentium Afrum, cujus exstant hodie sex fabulæ; & Terentium Libonem, cujus meminit Donatus ex Suetonio. Et forsan

ille est, quem citat Festus in Anagnorizomene. SCALIG.

lin. 19. *Cum.*] Marg. Scalig. *enim.*

lin. 20. *Narrum.*] Marg. Scalig. *gnarum.*

lin. 28. *Pueri, dicuntur Infantes.*] Æschylus Choephoris:

Οὐ γάρ τι φωνεῖ παῖς ἔτ' ὢν ἐν σπαργάνοις. SCALIG.

lin. 30. *Ac Fatuus fari id.*] Locus mendosus. AUGUSTIN.

ead. *Ab hoc tempore.*] Legendum: *Ab hoc, tempora.* Fuit superstitio veterum, Parcas die lustrico, quo scilicet infantes lustrabantur, & nomina accipiebant, vitæ tempora & eventa constituere: ut puero Salonino.

Talia secla suis dixerunt currite fusis,
Concordes stabili fatorum numine Parcæ.

Tertullianus libro de Idololatria: *Dum per totam hebdomadam Junoni mensa proponitur, dum ultima die fata scribenda advocantur.* Idem creditum & observatum in auspiciis nuptiarum. Catull. de nuptiis Pelei & Thetidis:

Talia præfantes quondam felicia Pelei
Carmina, divino cecinerunt omine Parcæ. POPMA.

Pagina 65.

lin. 2. *Qui futura prædivinando solent fari, Fatidici dicti.*] *Fari*, τὸ προφητεύειν. Ennius:

Atque Anchises doctu', Venus quem pulcra Dearum
Fari donavit divinum pectus habere.

Sic Cassandra:

Missa sum superstitiosis hariolationibus:
Neque me Apollo fatis fandis dementem invitam ciet.

Melius enim dixit, quam Græcus ille poeta, unde accepit:

Ἄκραντον αὖ μ' ἔθηκε θεσπίζειν θεός·
Καὶ πρὸς παθόντων κἀν κακοῖσι κειμένων
Σοφὴ κέκλημαι.

Citantur autem a Plutarcho in Commentario Politico: Ὥσπερ οὖν τῆς Κασσάνδρας ἀδοξούσης ἀνόνητος ἦν ἡ μαντικὴ τοῖς πολίταις, Ἄκραντον αὖ με, &c. SCALIG.

lin. 3. *Iidem Vaticinari, quod vesana mente faciunt.*] Fatuos primum vates vocatos esse, postea pro vesanis accipi, apud omnes satis constat. Sic vult Plato suam μαντικὴν quasi μανικὴν dictam. Vide in Phædro. SCALIG.

lin. 5. *Cum de poetis.*] *De poematis.* AUGUSTIN.

lin. 11. *Effari templa.*] Τεμενίζειν Græci: ut Thucydides.

Idem est *sistere fana.* Festus & Corn. Tacit. SCALIG. Idem in margine *adfari.*

lin. 18. *Id dicitur. Pollutum.*] *Id dicitur pollutum*, quidam. AUGUSTIN.

lin. 19. *Porrecta.*] *Projecta.* AUGUSTIN.

lin. 20. *Pollutum est.*] *Polluctum*, quidam scribendum putat. AUGUSTIN.

lin. 28. *Falli*] Græcùm σφάλλω, & φάλλω. SCALIG.

Pagina 66.

lin. 2. *Hinc etiam Famiger, Affabile.*] Vulg. *Hinc etiam Famiger, fabile.* Potius legerim, *famigerabile.* Et ita videtur legisse Sipontinus. SCALIG.

lin. 4. *Et Fatuus & Fatue.*] *Et fatua; vel & faunus*, scribendum esse opinamur. AUGUSTIN.

ead. *Loqui ab loco.*] Quasi arduum esset divinare, a λόγος esse. SCALIG.

lin. 6. *Quisque.*] Marg. Scalig. *Quidque.*

lin. 19. *Eunt ad aliquam locutum consulendi causa.*] Vulg. *consolandi.* Alloqui, παραμυθεῖσθαι. SCALIG. Idem in marg. *Aliquem locum consolandi* &c.

lin. 22. *Concinne loqui dictum a concinne.*] *A concinno.* Ex conjectura. AUGUSTIN. *A concinere* scribendum est, Sic συνᾴδω τινὶ, bene mihi convenit cum aliquo. A *cinno* tamen deducit Nonius: melius sane. SCALIG.

lin. 23. *Et inter se respondent aliud alii.*] In antiquitus excusis legitur, *Et inter se cudant aliud alii.* Quare transpositæ sunt vocales, *cudant*, pro *cadunt.* Cicero: *Et ejus verbum aliquod apte ceciderit ad id, quod ages.* συμπίπτειν. Herodotus Euterpe: Οὐ γὰρ δὴ συμπεσέειν γε φήσω τά τε ἐν Αἰγύπτῳ ποιεύμενα τῷ θεῷ καὶ τὰ ἐν τοῖσι Ἕλλησι. Quare alicujus correctoris est verbum illud *Respondent.* SCALIG.

lin. 26. *Quod proscenio.*] *Quod in proscenio.* AUGUSTIN.

Pagina 67.

lin. 1. *Extremum Novissimum.*] Refertur hic locus a Gellio lib. 12, cap. 21. AUGUSTIN.

lin. 3. *Ut Ælius Gallus.*] Posterior vox adulterina est. non enim hic est *Ælius Gallus*, qui inter jurisconsultos prin-

cipem locum tenuit, ſed *L. Ælius Stilo*, magiſter Varronis, de quo ſatis multa diximus in initio lib. 1. Teſtatur hoc Gellius lib. 20. *Quoniam*, inquit, *qui doctiſſimus eorum temporum fuerat L. Ælius Stilo, ut novo & improbo verbo uti vitaverat: propterea, quid M. Varro de iſta voce exiſtimaverit, verbis ipſius ex libro de Lingua Latina ad Ciceronem ſexto demonſtrandum putavi.* POPMA.

lin. 11. *Quomodo additæ erant: quibus.*] *Quom additæ erant, qui.* Ex conjecturis. AUGUSTIN.

lin. 16. *Ænea, quis eſt, qui meum nomen nuncupat?*] Apud Cenſorium:

Quis meum nominans nomen exciet,
Quamvis tumultu invocans incolarum fidem?

Videtur ex quodam choro ex Nyctegreſia. *Nuncupare* vero in hoc ſenſu parum uſitatum. Eſt enim hic *inclamare*. Pacuvius Duloreſte:

Exemplo Ægiſthi fidem nuncupantes conciebant populum.

Nonius *Conciere*. SCALIG.

lin. 19. *Dico, — quod Græci δικάζω.*] Melius δείκω. SCALIG.

lin. 20. *Cupit.*] Marg. Scalig. *Poteſt.*

lin. 25. *Indicit illum.*] Suſpicor, *indicit illicium*. SCALIG. Idem in marg. *bellum*.

ead. *Indixit funus.*] Vulg. *indicit*. Supra *indictivum funus*. Et Feſtus. SCALIG.

lin. 26. *Prodixit diem.*] Cicero pro Domo: *Prodicta die.* SCALIG. Idem in margine, *prædixit*.

lin. 27. *Dictum in mimo.*] Cicero: *Delectarunt me dicta mimorum, ac ἐπισημασίαι populi.* Sic dictioſus hiſtrio. Et ab eo dicteria, quibus in exordiis fabularum (exordia ſunt, quæ εἰσθέσεις Græce) hiſtriones utebantur ad captandam attentionem populi. Varro ὄνος λύρας:

Et orthopallica attulit pſalteria,
Quibus ſonant in Græcia dicteria,
Qui fabularum collocant exordia,
Ut comici, cinædici, ſcenatici:
Quibus ſuam delectet ipſe amuſiam,
Et aviditatem ſperibus lactet ſuis.

Hæc nos conjunximus. SCALIG.

lin. 28. *In manipuleis caſtrenſibus Dicta ducibus.*] Vulg. *In manipulis caſtrenſibus dicta a ducibus.* Dictum a ducibus, παράγγελμα, teſſera. Furius vetus poeta:

Nomine quemque ciet, dictorum tempus adesse. SCALIG.

lin. 30. *Dicis immo.*] Vulg. *dicitur in imo.* Reposuerunt, *Dicis immo.* Hic ergo *immo* ἕνεκα, ἢ χάριν, sicut *Dicis ergo.* SCALIG. Rectius opinor legas, *Addicitur nummo.* Frequens veteribus usus imaginariæ venditionis, ut in coemtionibus nuptialibus, in donationibus, in liberatione sacrorum, cum heres sacris familiæ solvebatur, ea fiebat nummo sestertio dicis causa ter in manus accepto, & rursus reddito. Hinc antiqua illa genera locutionum, *Addicere nummo*, & *Dicis causa.* Est autem *Addicere nummo,* minimo pretio vendere, & non nisi in speciem. Cicero pro Rabirio Postumo: *Tua, Postume, nummo sestertio a me addicuntur. Dicis causa* est *lusorie* tantum, ut se fecisse dicere possit. Glossarium: Νόμου χάριν, λόγου χάριν. Varro infra: *Dicis causa fiebant quædam, neque item dicta, neque item facta semper.* Cicero in Verrem lib. 7: *Ut possit se dicere emisse, Artagatho imperat, ut aliquid illis, quorum argentum fuerat, nummorum dicis causa daret.* POPMA.

lin. 31. *Si dico quid scienti quod det, quod ignoravit trado. Hinc Doceo declinatum.*] Ne in hac quoque difficultate despondendus animus, tametsi, quantum aleæ subeundum mihi sit, non ignoro. Ita igitur scripserit Varro: *Si dico nescienti quid, & quod ignoravit trado, hunc doceo. Id declinatum, vel quod cum docemus, dicimus.* Sane si non eadem verba, eundem tamen sensum postulat mens Varronis, qui ineptissime doceo deducit a dico, cum certissimum sit esse a δοκέω, Unde δόγματα, decreta doctorum. SCALIG. Forte, *Induco, si dico quid,* ut sit etymon verbi *induco* ex eo, quod, scienti quid concedendum aut assentiendum sit, illud primum dicimus; postea tradimus, quod ignoravit. unde *Inductio* dicta est argumentatio, quæ ex rebus non dubiis & confessis captat assensionem ejus rei, quæ in disceptationem venit. POPMA.

Pagina 68.

lin. 5. *A docere —— Discere.*] Δάω, δάσκω, παράγωγον. Inde disco, a, in i. ut, χάω, hio: χάσκω, hisco. SCALIG.

lin. 11. *Ratio putari dicitur.*] Putare rationem, id (nisi fallor) est ἐκκαθᾶραι λογισμὸν Plutarcho, in commentario Quomodo distinguas adulatorem ab amico: Πόνου τε καὶ σπουδῆς ἁπάσης ἀπολειπόμενος, ἐν ταῖς ὑπὸ μάλης πράξεσιν ἀπροφάσιστός ἐστι, καὶ πιστὸς ἔρωτος ὑπηρέτης, καὶ περὶ λύσιν πόρνης ἀκριβὴς, καὶ πότου δαπάνης ἐκκαθᾶραι λογι-

σμὸν οὐκ ἀμελής. etiamsi aliter hic Erasmus vertat: cui ego non assentior. Demosthenes: Ὡς ὅταν οἰόμενοι περιεῖναι χρήματα, λογίζησθε, κἂν καθαραὶ ὦσιν αἱ ψῆφοι, καὶ μηδὲν περιῇ, συγχωρῇ τε, &c. SCALIG.

lin. 17. *Sui cujusque.*] *Uniuscujusque.* AUGUSTIN.

lin. 18. *Sermo — a serie.*] Εἰρμὸς, addito sibilo, ut εἴρω, vel ἔρω, sero. Sic ἔρος (unde εἴρερος, Homero: & ἔριθος, & *Eritudo*, *servitudo*, apud Festum) & Æolice ἔρϝος, addito sibilo, *SerFos*, ut scribebant olim nunc *servos*: ut, *DaFos*, *oFom*, *aFom* &c. *Servum* tamen jurisconsulti a *servando*. SCALIG.

lin. 24. *Sic augures dicunt, Si mihi auctor es verbi. nam manu adserere dicit.*] Vulg. *manum asserere.* Sine dubio corruptus locus & mancus. Nisi sit, quod dicebant in precationibus suis Augures, *Jovis Pater, si mihei es auctor, urbi popoloque Rom. Quiritium, hæc sane sarteque esse, uti tu nunc mihei bene sponsis, beneque volueris.* Verba, *Nam manum asserere dicit*, pertinent ad aliam disputationem, cujus initium intercidit, & hic facta est lacuna in Varrone. SCALIG.

Pagina 69.

lin. 3. *Legumina.*] De re rust. lib. 1: *Hoc enim quoque legumen, uti cetera, quæ velluntur e terra, non subsecatur. Quæ quod ita legantur, legumina dicta. Item, ceteraque quæ alii legumina, alii, ut Gallicani quidam, Legaria appellant: utraque dicta a legendo: quod ea non secantur, sed vellendo leguntur.* Nicander:

Χειροδρόποι δ' ἵνα φῶτες ἄτερ δρεπάνοιο λέγονται
Ὄσπρια χέδροπα. —

Χέδροπα, tanquam χειρόδροπα, ut vides, vocavit ab ea ratione. SCALIG.

lin. 14. *Hinc etiam poetæ murmurantia litora.*] Μορμύρουσαι ὄχθαι. Ponam & Anapæsticos elegantissimos Accii poetæ ex Phinidis. Non enim hoc loco alieni sunt:

Ac ubi curvo litore latrans
Unda sub undis labunda sonit,
Simul & circum magnisonantibus
Excita saxis sæva sonando
Crepitu clangente cachinnat.

Ita enim conglutinandi sunt, qui leguntur divulsi apud No-

nium. Imitatum autem videtur ex Apollonio, qui de eadem re ita canit:

Κοῖλαι δὲ σπήλυγγες ὑπὸ σπιλάδας τρηχείας
Κλυζούσης ἁλὸς ἔνδον ἐβόμβεον· ὑψόθι δ' ὄχθης
Λευκὴ καχλάζοντος ἀπέπτυε κύματος ἄχνη.

Quemadmodum & de Harpyis, ab eodem Apollonio, ut citat Nonius:

Aut sæpe ex humili sede sublima advolant.

Apollonius:

— *Αἱ δ' αἶψα διηέριαι ποτέονται.*

Item:

Nec ulla curas finis interea datur.

Apollonius:

Ἴσχω δ' οὔτινα μῆτιν ἐπίρροθον. —

Hæc sane non multum ad rem: sed nihil ad discendum intempestivum puto. SCALIG.

lin. 15. *Crepare.*] Vulg. *Increpare.* Ennius lib. 1:

Ast hic, quem nunc tu tam torviter increpuisti.

Ita puto legendum apud Nonium. Hodie, *Ennius Lupiasta. Quem nunc*, &c. Nos fecimus, *lib. 1, ast hic.* SCALIG.

lin. 20. *Curensibus*] Marg. Scalig. *Curetibus.*

lin. 23. *Itaque hos imitatus Aprissius ait in Bacche* &c.] Vulg. —*io Bacche.* Quis adeo Latine ignarus, ut putet hoc nomen Romanum esse, nedum alicujus auctoris Romani? itaque merito suspectum est. Ne sequentia quidem satis constant. Hephæstion & Stephanus dictione *βεχεὶρ* citant Archilochum *ἰαβάχχοις*. Sed nos, ut conjecturas omnes studiose colligimus, quæ nobis objici possunt, ita etiam illas sæpe ut incertas rejicimus. Romana editio habet *Aprissius in Bacche.* quæ nos quasi manu ducit ad veram lectionem indagandam. Quæ, nisi animi fallor, hæc est: *Itaque hos imitatus apte Attius ait in Bacchis.* Vel, *Itaque hos aperte Attius*, &c. quod ita compendiose scriberent *apte* pro *aperte.* Utcunque priorem vocem legas, non magnopere laboro. De nomine autem Attii non dubito, cum & Cassius alibi pro Attius, & Cassius quoque pro Mattius variatum sit: ut error sit totus in duplici ss, pro duplici tt. Quod autem peccatum sit *in Bacche*, pro *in Bacchis*: etiam illius fabulæ nomen in manu scriptis Nonii exemplaribus, itemque in veteribus impressis eodem modo depravatum est. Bacchas autem vertit ex Euripide Attius: & exempla, quæ subjiciam, fidem facient. Primum quod est apud Euripidem:

*Ἔτ' αὐτὸν ὄψει κἀπὶ Δελφῖσι πέτραις
Πηδῶντα σὺν πεύκαισι δικόρυφον πλάκα.

Id his verbis reddit Latinus poeta:

Lætum in Parnaſo inter pinos tripudiantem, in circulis
Ludere, atque tædis fulgere. —

Item:

Ὡς δεινὰ δρῶσι, θαυμάτων τε κρείσσονα.
Quod neque ſat fingi, neque ſatis dici poteſt
Pro magnitate. —
— Ἀλλ' ἐξανίστατε
Σῶμα, καὶ θαρσεῖτε σάρκας, ἐξαμαίψασαι δρόμον.
(vel τρόμον)
Agite modico gradu, niſus jacite leves.
— Καὶ καταστίκτους δορὰς
Ὄφεσι κατεζώσαντο. —
Tum pecudum exuvias lævo pictas lateri accommodant.

Ubi tamen non *pictas* vere, ſed *varias*, vertendum fuerat: ut ſunt lyncium, pantherarum, tigrium.

Παρὰ δὲ μαινόμενοι σάτυροι
Ματέρος ἐξανύσαντο θεᾶς.
Silvicolæ inviſentes loca.
Πατρὸς παραδοχάς, ἅσθ' ὁμήλικας χρόνῳ
Κεκτήμεθ', οὐδεὶς αὐτὰ καταβαλεῖ λόγος,
Οὐδ' εἰ δι' ἄκρων τὸ σοφὸν εὕρηται φρενῶν.
Quæ neque vetuſtas, neque mors, neque grandævitas.

Deeſt verbum pro καταβαλεῖ.

Λέγουσι δ' ὥς τις εἰσελήλυθε ξένος,
Γόης, ἐπῳδὸς, Λυδίας ἀπὸ χθονὸς,
Ξανθοῖσι βοστρύχοισιν εὔοσμος κόμην &c.
Formæ figura, nitiditate hoſpes Phrygius.

apud Nonium male *hoſpes regius.*

Πενθεὺς πρὸς οἴκους ὅδε διὰ σπουδῆς περᾷ,
Ἐχίονος παῖς, ᾧ κράτος δίδωμι γῆς.
Ὡς ἐπτόηται; τί ποτ' ἐρεῖ νεώτερον;
— *Pentheus*
Præſto cerritus nobis ſe ſtupens ultro oſtentum obtulit.

At in Feſto propemodum deploratus hic locus. *Cerritus* duplici *rr*: nam detritum ex *Cereritus*. Unde Attici vocabant ejuſmodi δημητριακούς. Et Δημήτηρ ἡ αὐτὴ τῇ Ἐριννύϊ. Callimachus, Τὴν μὲν ὅγε σπέρμηνεν Ἐριννύϊ Τιλφωσσαίῃ, id eſt, Cereri. Porro ad rem. Euripidis verba:

Λαμπρότερος ἢ πρὶν, καὶ διϊπετέστερος. ἀὴρ scilicet.
Splendet sæpe: ast idem nimbis interdum nigret.

Hic sane excusari non potest, qui *διϊπετέστερον* pluviosum intellexerit, quod Homero *διϊπετέες ποταμοί.* Nubigenas vertit Statius: cum hic sit *διαυγέστερος.* Sed profecto veteres poetæ non solum errare in vertendis Græcis fabulis, sed & multa licentia uti solebant, multum de suo addere. ut hic in his verbis, quæ citat Varro. Sed prius videamus, quid Euripides:

X O. Τίς ὅδε; τίς πόθεν ὁ κέλαδος
'Ανά μ' ἐκάλεσεν Εὐίου;
Δ I. 'Ιὼ πάλιν αὐδῶ
'Ο Σεμέλας, ὁ Διὸς παῖς.
X O. 'Ιὼ δέσποτα, δέσποτα,
Μόλε νῦν ἡμέτερον ἐς θίασον.
῏Ω Βρόμιε Βρόμιε. —

Attius:

CHO. *Quis me jubilat?*
BACCH. *Vicinus tuus antiquus.*
CHO. *O Dionyse pater,*
Optime viti sator,
O Semela genitus Evie.

Postremos versus invenimus apud Macrob. libro 6. Quæ cum ita sint, & quando & quomodo in nomine Attii peccatum sit, ostenderim: tum quomodo Bacchas Euripidis verterit L. Attius: deinde quantum juris sibi permiserint veteres, cum Græcorum fabulas verterent: postremo indicarim, unde verba ea, quæ adducit Varro, accepta sint: quis est, qui conjecturam nostram reprehendere possit? Quod si, ut sæpe accidit, falli potero: non tamen sine magna verisimili causa falsus fuero. SCALIG. Posset etiam vetus lectio admitti: *Itaque hos imitans Chrysippus: io buco. quis me jubilat. Vicinus Atus antiquus.* ut intelligatur Chrysippus persona ex tragœdia Attii. Docuit enim ille Chrysippum fabulam. Et quod ait hic Varro, *jubilandi* verbum esse rusticorum, recte ei quadraret nomen *buco:* est enim rusticum convitium. Item *Atus* est *ἄτυς.* Quod ejus sacra in Phrygia: ex qua Pelops, Chrysippi pater, oriundus erat. Hæc ego nolui tacere. IDEM.

lin. 27. *Θριάμβῳ.*] Diodorus de Libero patre: *Θρίαμβον δὲ αὐτὸν ὀνομασθῆναι φασὶν, ἀπὸ τοῦ πρῶτον τῶν μνημονευομένων καταγαγεῖν ἀπὸ τῆς στρατείας θρίαμβον εἰς τὴν*

πατρίδα, τὴν ἐξ Ἰνδῶν ποιησάμενον ἐπάνοδον μετὰ πολλῶν λαφύρων. Athenæus lib. 1: Τιμᾶται παρὰ Λαμψακηνοῖς ὁ Πρίαπος, ὁ αὐτὸς ὢν τῷ Διονύσῳ, ἐξ ἐπιθέτου, οὕτως ὡς θρίαμβος, καὶ διθύραμβος. Quid vero de etymo sentiant grammatici, vide in magno Etymologico. SCALIG.

lin. 30. *Ideo Lucilius scribit de Cretea, Cum ad se cubitum venerit sua voluntate, sponte ipsam suapte.*] *Ideo Lucilius scribit de Cretea, cum ad se cubitum venerit, sponte ipsam, &c.* Nam illa verba, *sua voluntate*, sunt interpretamentum illorum, *sua sponte.* Et ab illis, *sua sponte*, incipiunt verba Lucilii. SCALIG.

Pagina 70.

lin. 9. *Cum ait, Consponsi.*] Quid si *Consponsus?* ut est lib. 6: *In Romulo Consponsus; contra sponsum rogatus.* Festus: *Consponsos antiqui dicebant fide mutua colligatos.* Apulej. lib. 5 Metamorph. *Jugum sororium consponsæ factionis.* Auson. ad Paulum:

Te quoque ne pigeat consponsi fœderis. POPMA.

lin. 16. *Non enim si volebat.*] Legendum, *si nolebat.* hoc enim dicit: Si nolens vel jocandi animo filiam despondit, non tenetur uxorem dare, quasi alligatus sponsu. nam per legem quidem is, qui spondet, etiamsi spondendi animum nullum habuerit, est obligatus; sed prætorium jus, quod mentem & intentionem stipulantium potius respicit, quam verba, istiusmodi obligationem tollit. Itaque prætorio jure & censorio judicio non datur ex sponsu actio contra eum, qui verbo se uno obligavit, absque animo spondendi. Paulus lib. 2 Institut. *Verborum quoque obligatio constat, si inter contrahentes id agatur. nec enim si per jocum puta, vel demonstrandi intellectus causa ego dixero tibi Spondes? & tu respondeas Spondeo, nascitur obligatio.* Huc fortean respexit Lucilius: *Voltis? emta est: noltis? non emta est.* POPMA.

Pagina 71.

lin. 4. *Sequere, adsequere Polybadisce.*] Ita legendum hoc colloquium amasiæ cum Polybadisco:

Sequere, sequere, Polybadisce: meam spem cupio consequi.
Polyb. *Sequor Hercule quidem: nam lubenter, mea sperata, consequor.*

Sperata dicebatur ἡ μνηστευομένη. Quamquam pro ea, quæ jam denupta sit, Plautus acceperit in Amphitruone. Afranius Fratriis, citante Nonio:

——— *curre & nuntia*
Venire, & mecum adduce speratam meam.
Videas, puellam curent, confirment jube.

In eadem:

——— *speratam non audi tuam.*

Ita enim ille locus depravatus restituendus est. Πολυβαδίσκος autem, ut Lampadiscus, ὑποκοριστικῶς. SCALIG.

lin. 6. *Sequor Hercule.*] *Sequor Hercle.* AUGUSTIN.

lin. 10. *Præs, qui a magistratu* &c.] *Præs* a præstando: qui & a magistratu interrogatur, ut publice datis pignoribus solutionem præstet, & cum respondet, dicit, *Præs*, pro *præsto. In publicum præstare*, ut *dare* & *recuperare in publicum.* Cato contra Oppium: *Vinum redemisti, prædia pro vini quadrantalibus sexaginta in publicum dedisti, vinum non dedisti.* Liv. lib. 3: *Magna pars agri Campani, quem privati sine discrimine passim possederint, recuperata in publicum erat.* POPMA.

lin. 12. *A quo & cum respondet, dicitur Præs.*] Vulg. *dicit Præs* &c. Festus: *Præs est is, qui populo se obligat, interrogatusque a magistratu, si præs sit, ille respondet, præs.* Apud Varronem igitur legendum *dicit præs*, ut habent omnes excusi, non, *dicitur præs.* Videturque *præs* pro *præsto* dictum; ut in illo versu:

Τίς ἐσθ' ὁ πωλῶν τἀνδράποδα; ἐγὼ πάρα. SCALIG.

lin. 17. *Vades ne darent*] Primus vades publicos dedit Cæso Quintius. Livius. Huc pertinent multa ex oratione κατὰ Τιμοκράτους. SCALIG.

lin. 22. *Nec sine canendo tibicines dicti.*] Superiore libro: *Nec vinalia sine vino expediri, nec curia Calabra sine calatione potest aperiri.* SCALIG.

Pagina 72.

lin. 21. *Nam & quidem Facere verba* &c.] Locus mendosus tribus his versibus. AUGUSTIN.

lin. 22. *Et qui aliquid agit, non esse infitientem.*] *Et qui aliquid neget, esse infitientem.* Nam etiam nego, quasi non ago, videtur velle dictum esse. SCALIG.

ead. & sq. *Qui adlucet, dicitur Lucere.*] Aristophanes Ἀχαρνεῦσι:

Τίν μαθὼν φαίνεις ἄνευ θρυαλλίδος;

Alludit autem ad id, quod supra Dicæopolis dixerat, Τίς σ' ὁ φαίνων; quod est συκοφαντῶν. Homerus:

— αἰθομένας δαΐδας μετὰ χερσὶν ἔχοντες,
Φαίνοντες νυκτὸς κατὰ δώματα δαινυμένοισι.

Athenæus: Φαίνει ὁδοιπορουσι. Phidippus Comicus: Ὁ φανὸς οὐκ ἔφαινεν ἡμῖν. Plautus:

Tute tibi puer es lautus: luces cereum. puto *Laucus.* Primum enim *Daucus*: (quod detritum est ex δαδοῦχος) deinde *Laucus*: ut *Dautia*, *Lautia*: *Dacrumæ*, *Lacrumæ*. Posset tamen non inepte legi, *Tute tibi*, *puere*, *lautus luces cereum.* Tu ille lautus & magnificus tibi δαδουχεῖς, neque puerum habes; vel, Tute lotus ex balneo tibi facem gestas. Simile est, quamquam non idem, αὐτολήκυθος. Et forsan hæc posterior conjectura vera est. Sic Græcis eodem modo, αὐτοκάβδαλοι, αὐτόδειπνοι, αὐτοβαλανεύειν &c. SCALIG.

lin. 23. *Ab luere; & luce dissolvuntur tenebræ.*] Non video, quid negotii sit hæc dividere, *ab luere*: cum etiam in editione Romana recte legatur. At Vertranius desinat ineptire, qui tam parvum mendum non vidit, & spuriam lectionem pro vera supposuit. SCALIG.

lin. 24. *Lucere item a luce* &c.] *Lucaria item a luce, quod propter lucem amissam is cultus institutus.* Masurius Sabinus Fastorum libro 2: *Eam noctem deinceps, quæ in sequentem diem, qui est Lucarium.* Sex. Pompejus: *Lucaria festa in luco colebant Romani, qui permagnus inter viam Salariam & Tiberim fuit: pro eo, quod victi a Gallis, fugientes in prælio ibi se occultarunt.* Festus a *luco*, Varro ab *luce* amissa, id est, libertate, ut puto. ut & alii quoque auctores loquuntur. Artemidorus quoque lib. 2, ἥλιον, inquit, ἐλευθερίαν καλοῦσι. SCALIG. Marg. Scalig. *luci.* Scribendum: *Lugere item a luce. Lugeo* verbum deducit Varro a *luce*, quod propter amissam lucem & vitam ejus, qui carus fuerat, cultus lugubris institutus. *Lux amissa*, id est, vita, ut Cicero lib. 1 Tuscul. *Fore aliquando finem hujus lucis & amissionem omnium vitæ commodorum.* Tertullianus de Resurrectione carnis: *Ita lux amissa lugetur.* POPMA.

lin. 28. *Conquæstor.*] Marg Scalig. *Quæstor.*

Pagina 73.

lin. 2 sq. *Et Invident. & Actiacum illud, Oblivio lavet* &c.]

Vulg. *Et — Atticum illud* &c. Hic ſane eſt locus unicus; quem qui emendet, is magnam gratiam a ſtudioſis iniverit. Nam quod leviter immutatus eſt in Romana editione, potuit fortaſſe recipi correctoris auctoritate: non tamen ita, ut non & noſtra emendatio, quam veram præſtare poſſumus, longe præferatur. Audiamus ergo Varronem, *Hinc viſenda*, inquit, *vigalavit, vigilium: & invident, &, Vitium illi obtulit, violavit, quod incidit in videndum.* Cedo ſis mihi judicem, ni vero vincam hæc ita eſſe, nive male alii hæc mutaverant. Offerre autem vitium & ſtuprum, tam tritum eſt apud antiquos ſcriptores, ut exempla ſuperflua futura ſint. Facile vero fuit ex *vitium*, *Atticum* facere. At Romana editio *Attiacum.* Non puto, ita exempla ex Attio citari apud ullum bonum auctorem, ut ex Attio poeta Attiacum deducant. Nam potius Attianum dicendum erat. Ego ſane, ſi nihil aliud potuiſſem, *Atticum* illud retinuiſſem: quod Latinorum vitiare virginem, imitatum eſt ex Attico, διαφθείρειν τὴν παρθένον. Et violare virginem, βιάζεσθαι. Nam quæ dicit in tragœdia, *Me quondam invitam per vim violat. Juppiter bone violat?* illa, inquam, quæ hoc dicit, acceperat pro cogere & adigere, quod & Græce quoque βιάζεσθαι. At is, qui reſpondet, *Juppiter bone violat?* vel ſciens, vel imprudens aliovorſum interpretatus eſt, & pro fœdo verbo accepit. Quare quæcunque illa eſt, in ancipiti verbo κακέμφατον commiſit. *Quod incidit in videndum*, forſan haud mutandum eſt. ἐκ τοῦ ὁρᾷν γίνεται τὸ ἐρᾷν. SCALIG. Idem pro *oblivio lavet* in marg. *obviolavit.* Pro *Atticum* legerim *antiquum.* nam propter affinitatem literarum C & Qu. ſcriptum fuit *anticum*, quod migravit in *Atticum:* ut, *Serrano noſter Atticus rivalis homo*, pro, *antiquus.* contra Livii lib. 37, *Non quæ in ſolo modo antiquo ſunt*, pro, *Attico.* Porro hoc carmen antiquum Varro dilaudat, ut celebre temporibus illis, & vulgi ſermone jactatum, cum vellent ſignificare omnem dictorum factorumque offenſionem quaſi perpetua oblivione obruendam eſſe. *Invidendum* hic eſt quod *invidetur*, vel *cui invideri poteſt.* Mox *Violavit virginem*, quaſi *viſu lavit*, id eſt, profudit viſum in virginem, ut lacrimis, ſanguine lavere; apud poetas. nam amor excitatur viſu, a quo Varro repetit etymon verbi *violare*, cum tamen ſit a *vi*, quaſi *vi involare.* POPMA.

lin. 5. *Cum muliere fuiſſe.*] τὸ συνεῖναι. Plautus Mercatore:

Ea nocte mecum hoſpitis juſſu fuit.

Nec diſſimile, quod dicunt mulieres in Ciſtellaria:

Viris cum suis prædicant nos solere. SCALIG.

lin. 9. *Membreis.*] Marg. Scalig. *tenebreis.*

ead. *Dictum Cerno a creo, id est a creando.*] Veteres excusi recte habent: *Dictum Cerno a Cereo. Cereo* enim *Creo.* A quo in Saliari carmine *Cerus manus*, id est, creator bonus. Festus. Hinc *Ceres* dicta est, quod omnia creat: non a *gerendo*, ut Varro & Cicero. *Cerno* vero a κρίνω. Unde *crimen* & *crines*, &c. SCALIG. Idem pro *creo* in marg. κρέω.

lin. 11. *Descripti.*] Marg. Scalig. *discreti.*

lin. 12. *Et qui id in testamento.*] *Et cernito in testamento.* Conjectura audaci ex Varrone libro proximo, & Ulpiano in Institutionibus. AUGUSTIN.

lin. 15. *Quod ait Medea*, &c.] Varro γεροντοδιδασκάλῳ,
Nonne vides apud Ennium esse scriptum,
Ter malim sub armis vitam cernere, quam semel modo parere.
Verba Euripidis, quæ vertit Ennius, sunt hæc:
— ὡς τρὶς ἂν παρ' ἀσπίδα
Στῆναι θέλοιμ' ἂν μᾶλλον ἢ τεκεῖν ἅπαξ.
Ponam & alia, quæ comparabis cum verbis Euripidis. non enim in ejusmodi exercitationibus male horas collocari puto. Ait itaque Ennius apud Probum:

Juppiter, tuque adeo summe Sol,
Qui res omnes inspicis,
Quique tuo lumine
Mare, terram, ac cælum
Contueris: hoc facinus dispice,
Priusquam fit, prohibe scelus.

Euripides:

Ἰὼ γᾶ τε, καὶ παμφαὴς ἀκτὶς
Ἀελίου, κατίδετε, ἴδετε τὰν
Οὐλομέναν, πρὶν φοινίαν
Τέκνοις προσβαλεῖν χέρα
Αὐτοκτόνον.

Deinde:

Ἀλλά νιν, ὦ φάος διογενὲς, κάτειργε,
Κατάπαυσον, ἔξελ' οἴκων φονίαν.

Apud Ciceronem pro Rabirio Postumo:

Si te secundo lumine hic offendero,

ex Medea Ennii: ex illo,

Εἴ σ' ἡ 'πιοῦσα λαμπὰς ὄψεται θεοῦ.

Item quæ ibidem,

Animum advorte, & dicto pare,

fecit ex illo,

'Αλλ' ἔξιθ' ὡς τάχιστα.

Ibidem:

Præter rogitatum ne querare —

plane ex illo,

Μὴ λόγους λέγε.

Reliqua, quæ citantur a grammaticis, ab aliis animadversa sunt: quare ea non ponam. SCALIG.

ead. *Vitam.*] Marg. Scalig. *Multa.*

lin. 19. *Vos epulo postquam spexit.*] In fragmentis Festi ita citatur hic versiculus Ennii:

Quod ubi rex · · · · dulo spexit de contibu' celsis.

In aliis:

Quod ubi rex paulo spexit de coribus celsis.

Puto legendum:

Quos ubi rex pullos spexit de cortibu' celsis. SCALIG.

Potius legerim: *Quos sedulo postquam.* est enim, ni fallor, initium ejus versus, quem citat Festus ex Ennii lib. 16 Annal.

Quos ubi rex sedulo spexit de cotibus celsis.

Rex autem Philippus Macedo, qui ex altissimo Æmi montis vertice conspexit Ponticum simul & Adriaticum mare, & Istrum amnem & Alpes, locos longissime dissitos, Livius lib. 50. POPMA.

lin. 20. *Qui habeant Spectionem, qui non habeant.*] Cicero Philipp. 2, & Festus. SCALIG.

Pagina 74.

lin. 5. *Propter hanc aurium aviditatem theatra replentur.*] Hoc explicant ejusdem luculenti versus ex Menippea κενοδοξίᾳ, περὶ φθόνου:

Vos in theatro, qui voluptatem auribus
Huc aucupatum concurristis domo:
Adeste, adeste, quæ feramque ignoscite,
Domum ut feratis e theatro literas. SCALIG.

lin. 7 sq. *A quo dictum poetæ, audio, aut ausculto.*] *Audio, haud ausculto*, non nemo. AUGUSTIN. *A quo dictum poetæ: Audio, haud ausculto.* Cæcilius:

Audire, ignoti quod imperant, soleo, non auscultare.

Pacuvius:

—His, qui avium cantum intelligunt,
Magisque ex alieno jecore sapiunt, quam suo,
Magis audiendum, quam auscultandum, censeo. SCALIG.

lin. 16. *Repotatio.*] *Repotia*, doctus vir. AUGUSTIN.

ead. & sq. *Quod sit Græcum antiquum non ut nunc φρέαρ dictum.*] Repone, ut supra: *Quod sit Græcum antiquum ποτὴρ, non ut nunc, φρέαρ dictum.* ποτὴρ, aliter πίστρα, & ποτίστρα. unde sumi pote. SCALIG.

lin. 21. *Mantelium quasi manuterium.*] *Manutergium.* AUGUSTIN. Χειρόμακτρον. Etiam apud Athenæum χειρόμακτρον est genus *velamenti.* Itaque probatur ex Sapphus testimonio. Sic Latine mantelium, & mantile ad tergendas manus, itemque genus pallii, aut velamenti. Plautus:

Neque fallaciis ullum est mantelum meis.

Utrumque Hesychius, χειρόμακτρον, ἢ χειρόμαστρον, μανδύλιον. SCALIG. Idem pro *mantelium*, in marg. *mantellum.*

lin. 22. *Nunc primum ponam.*] Ante hæc verba videntur multa deesse. AUGUSTIN.

lin. 25. *Quod bonum, fortunatum, felixque.*] Hujus etiam solemnis formulæ meminit & alicubi Livius. Item Cicero primo de Divinatione, *Neque solum*, inquit, *Deorum voces Pythagorei observaverunt, sed etiam hominum, quæ vocant omina, quæ majores nostri quia valere censebant, idcirco omnibus rebus agundis, Quod bonum, faustum, felix fortunatumque sit, præfabantur.* Item libro 2: *Jam illa Favete linguis, & prærogativum omen comitiorum, &c.* Quæ omnia nonnisi conceptis verbis præfabantur veteres, & observatis auspiciis matutino tempore: quod nisi post auspicia magistratus non crearetur. Sic in sacris primo mane hæc prima verba erant, εὐφημεῖτε, & Favete linguis. Ovidius:

Postera lux oritur, linguis animisque favete:
Nunc dicenda bono sunt bona verba die.

Σιγᾶτε, καὶ εὐφημεῖτε. Quare Euripides in Ione, antequam ejus exhortationis, quæ fieri solebat in sacris, meminisset, prius ex more præfatur de matutino tempore quædam, quod tunc major esset in Deorum mentione castimonia. Ait igitur:

Ἅρματα μὲν τάδε λαμπρὰ τεθρίππων.
Ἅλιος ἤδη λάμπει κατὰ γᾶν.
Ἄστρα δὲ φεύγει πυρὶ τῷ δ' αἰθέρος
Εἰς νύχθ' ἱεράν.

Deinde paulo post:

Ἀλλ', ὦ Φοίβου σεμνοῦ θέραπες,
Τὰς Κασταλίας ἀργυροειδεῖς
Βαίνετε δίνας· καθαραῖς δὲ δρόσοις
Ἀφυδρανάμενοι στείχετε ναούς.

Στόμα τ' εὔφαμον φρουρεῖτ' ἀγαθὸν,
Φήμας τ' ἀγαθὰς τοῖς ἐθέλουσι
Γλώσσας ἰδίας ἀποφαίνειν.

Quæ non ita necessario adduximus, ut priora confirmarent; sed ut & illa emendatiora, quam hodie habentur in vulgatis codicibus, legeres, & Attii poetæ verba ex Œnomao, quæ divulsa leguntur apud Nonium, conjungas: quod sint illis Euripideis similia. Sunt autem hæc:

Ferte ante Auroram radiorum ardentum indicem,
Cum somno in segetem agrestes cornutos cient,
Ut rorulentas terras ferro, rosidas
Proscindant glebas, arvoque ex molli excitent:
Vos ite actutum, atque opera magno edicite
Per urbem, ut omnes, qui arcana asteumque accolunt
Cives, ominibus faustis augustam adhibeant
Faventiam: ore obscœna dicta segregent.

Quis enim antiquitatis studiosus his reliquiis non delectatur? Quamquam hæc sunt, veluti ex magno naufragio parvæ tabellæ. SCALIG.

lin. 31. *Voca inlicium huc ad me.*] Vulg. *Voca inlicium hoc ad me.* Ἀρχαϊσμὸς *hoc*, pro *huc*. Auctor Servius. Item infra, *Hoc Calpurni voca inlicium.* SCALIG.

Pagina 75.

lin. 7. *Post autem conventionem habet.*] *Conventionem*, antiquo more pro concione. Infra: *Omnes Quirites ite ad conventionem hoc ad judices.* Festus: *In conventione, in concione.* Et infra: *Impero, qua convenitur ad comitia.* Alii, *qua convenit.* Quare imprudenter nimis Vertranius mutavit *in concionem*: & in sua correctione immane quantum juveniliter exsultare videtur. Sed nihil prius debet esse bono emendatori, quam nihil temere aggredi. SCALIG. Pro *post autem* lege ex veteri codice *postante.* Nam ita componebant præpositiones veteres, ut *inante*, & similia. Quod non monuissem, nisi aliter vidissem placuisse Adriano Turnebo nostro. IDEM.

lin. 12. *Omnes Quirites inlicium visite huc ad judices.*] *Judices*, id est, consules. Quia consulere pro judicare veteres usurpabant. Idcirco Attius in Bruto:

— qui recte consulat, Consul fuat.

Vide etiam Festum. SCALIG.

lin. 18 sq. *Aliquot rebus idem.*] *Item.* AUGUSTIN.

lin. 21. *Bœotia — quam comœdiam alii esse dicunt.*] *M. Attii*, docti viri scribendum putant. Sic proximo libro, *M. Attius in Casina*, *Quid fringutis?* Plautum utrobique hoc nomine significari scimus. Sed quid de *Bœotiæ* auctore judicaverit idem Varro in libris de comœdiis Plautinis, videndus Gellius lib. 3, cap. 3. AUGUSTIN. *Quam Ælii esse dicunt:* ex Gellio. Translata autem fuit ex Antiphane, quem citant in Bœotia grammatici: Pollux lib. 10, Athenæus lib. 14. SCALIG. Forte melius *Attilii.* Nam Varro in libro de Comœdiis Plautinis refert, Boœtiam inter legitimas Plauti fabulas non censeri, & vulgo adscribi M. Attilio: se tamen adductum stilo atque lepore sermonis, non dubitare, quin Plauti foret. Ex illa vulgata opinione hic ait, *Attilii esse dicunt.* Iste vero est Attilius, qui a Vulcatio Sedigito quinto loco inter Comicos refertur: etsi Cicero durissimum eum nominat exscriptorem, quod integras fabulas ex poetis Græcis converteret. Meminit Varro lib. 6. POPMA.

lin. 25. *Horam esse tertiam.*] Non negligendum, quod scribit Censorinus, in XII tabulis nusquam horarum esse factam mentionem. Plin. libro 7: *Duodecim tabulis ortus tantum & occasus nominaturi: post aliquot annos adjectus & meridies, accenso Coss. id pronuntiante.* SCALIG.

lin. 27. *Circum aras mitti solitum.*] Aut *circum mœros*, ut supra. Aut *circum aras*, id est, aras pomœrii. SCALIG.

lin. 31. *Inquisitionis.*] Marg. Scalig. *Anquisitionis.*

Pagina 76.

lin. 1. *Qui capitis accusavit Trogum.*] Et hic error, ut puto, pro, *qui capitis anquisivit Trogum.* Quid sit anquirere, satis notum. SCALIG.

lin. 2. *Auspicio orando.*] *Exorando* quidam. AUGUSTIN.

lin. 4. *Commeatum. prætores vocet ad te.*] *Cum eat præco, reum vocet ad te.* SCALIG.

lin. 6. *Cornicinem ad privati januam.*] Hujus antiqui moris Plutarchus meminit in Gracchorum vita ex oratione C. Gracchi Trib. pleb. Καίτοι πάτριόν ἐστιν ἡμῖν, εἴτις ἔχων δίκην θανατικὴν μὴ ὑπακούει, τούτου πρὸς τὰς θύρας ἕωθεν ἐλθόντα σαλπιγκτὴν ἀνακαλεῖσθαι τῇ σάλπιγγι, καὶ μὴ πρότερον ἐπιφέρειν ψῆφον αὐτῷ τοὺς δικαστάς· οὕτως εὐλαβεῖς καὶ πεφυλαγμένοι περὶ τὰς κρίσεις ἦσαν. Itaque eo spectant illa, quæ sequuntur: *In arce classicus canat tum, circumque mœros,*

& ante privati hujusce Q. Trogi scelerosi ostium canat. Corn. Tacitus 2 Annali: *In Publ. Martium Cos. extra portam Esquilinam, cum classicum canere jussissent, more prisco animadvertere.* SCALIG.

lin. 7. *Ubi canat collegas.*] Locus mendosus. AUGUSTIN.

lin. 10. *Ex ara.*] Marg. Scalig. *Exire.*

lin. 14. *Caput edicti.*] Delent quidam verbum *edicti.* AUGUSTIN.

lin. 15. *Qui de censoribus.*] Vulg. *Cessoribus*, veteri consuetudine scribendi, pro *Censoribus*, ut *Coss.* pro Cons. SCALIG.

lin. 17. *Classicus canat.*] *Classicum* forte, ut *hosticum* paulo post. AUGUSTIN.

lin. 20. *Cum primo luci.*] Ex veteri formula evocandi. Livius lib. 1: *Ut omnes cives Romani equites peditesque in suis quisque centuriis in campo Martio prima luce adessent.* Sed est hic geminus ἀρχαϊσμὸς, τὸ *cum* parelcon, & *lux* genere masculino. Plautus Cistellaria:

Cum primo luci nisi ambo occidero.

Terentius Adelphis, Act. V, Sc. 3:

——— *Rus cras cum filio*
Cum primo luci ibo hinc. POPMA.

lin. 26. *Quod censor exercitu* &c.] Locus mendosus. AUGUSTIN.

lin. 27. *Constituit quinquennalem cum lustraret.*] Melius: *Constituit quinquennalem eum lustrare.* SCALIG.

lin. 30 sq. *Id quod propter centuriata comitia imperare solent. Quare non est dubium, cum hoc inlicium sit.*] Vulg. *Quin hoc inlicium sit.* Quod supra admonuimus de loco transposito, cum disputaret Varro de derivatis ab Humo, idem quoque hic accidit. Quare ea ponam ordine, ut legenda sunt: *Id quod per centuriata comitia imperare solent. Hoc nunc aliter fit atque olim: quod Augur Consuli adest tum cum exercitus imperatur, ac præit, quid eum oporteat dicere. Consul auguri imperare solet, ut inlicium vocet, non accenso, aut præconi. Id inceptum credo, cum non adesset accensus, & nihil intererat, cui imperaret: & dicis causa fiebant quædam, neque item facta, neque item dicta semper. Hoc ipsum inlicium scriptum inveni in M. Junii commentariis. Quare non est dubium, quin hoc inlicium sit, cum circum mœros itur, ut populus illiciatur ad magistratus conspectum: quod Consul potest vocare in eum locum, unde vox ad concionem vocatis exaudiri possit. Quare una origine*

Inlicium & Inlicio, quod in choro Proserpinæ est: & Pellexit, quod in Hermiona est, cum ait Pacuvius:

— Regni alieni cupiditas Pellexit. —

Quod tamen ibi idem est, quod inlicit, inlexit: quia E, & I, cum C magnam habet communitatem. Sic Elicii Jovis ara in Aventino, ab eliciendo. Nec me fallit, quid excogitarit Vertranius: quem certe secutus fuissem, nisi quia video, ita ut posui, melius excusari posse: ut mirum sit, qua negligentia factum, ut in una pagina tot tantæque transpositiones occurrerint. SCALIG.

Pagina 77.

lin. 5. *Quare una origine Inlicio & Inlicius.*] *Quare una origine inlicium & inlicio, quod in choro Proserpinæ est.* Chorus Proserpinæ, nisi fallor, erat in Laodamia Livii Andronici: in qua introducitur Laodamia exorans Proserpinam, ut sibi frui liceat complexibus viri mortui. Ego invenio ex ea fabula *pellicuit*, non *inlicuit*, nec *inlexit*, ut hic:

Aut nunc alia te quæpiam
Asiatico ornatu affluens,
Aut Sardiano ac Ludio
Fulgens decore, & gloria
Pellicuit. — SCALIG.

lin. 9 sq. *Quod augur consuli adest.*] Varro De re rustica libro 3: *Itaque imus, venimus in villam. Ibi Appium Claudium sedentem invenimus in subselliis, ut Consuli, si quid usus poposcisset, esset præsto.* SCALIG.

lin. 11. *Ac præit, quid eum oporteat dicere.*] *Præit ὑποτίθεται.* Præire verba. SCALIG.

lin. 18. *Illicite illexit. Quæ cum E &c.*] *Quia I cum E*, quidam: sed mihi locus hic mendosus adhuc videtur. AUGUSTIN. Videtur legendum: *Illiciti illex, quia I cum E, & C cum X.* Hoc ipsum nomen *illicium*, inquit, scriptum est in M. Junii Bruti Commentariis juris civilis: sed ibi idem est, quod *illex nequitiæ.* nam utrumque *illicium* & *illex* est a verbo *inlicio: quia I cum E, & C cum X magnam habent affinitatem. Illicium* pro *illice*, sive *illectamento*, Brutus dixit. & Cicero ad Atticum lib. 11: *Q. Fratrem illicium meæ profectionis fuisse.* Varro de Re rustica lib. 3: *Sed si transituræ sunt apes, ex apiastro perfricandum, quod illicium hoc illis.* POPMA.

lin. 24. *Errare*, ἐρύειν.] Scribe ἔῤῥειν. Ὀδυσσ. δ:

Ἦ μ' οἴῳ ἔῤῥοντι συνήντετο νόσφιν ἑταίρων.

Erranti a sociis mihi quæ procul obvia facta est. SCALIG.
lin. 28. δομᾷν] Marg. Scal. δεμεῖν.

lin. 29. *Runcinare a runcina, cujus origo Græca* &c.] *Cujus origo Græca* ῥυκάνη. In Epigrammatis Græcanicis, — ῥυκάνην εὐεργέα. — Hesychius: ῥυκάνη, τεκτονικὸν ἐργαλεῖον. Ut a βυκάνη, buccina: a πατάνη, patina: a κάτανος, catinus: βάσκανος, fascinus: τρυτάνη, trutina: μαχανὰ, machina: sic a ῥυκάνη, runcina. Certe qui ῥύγχος posuerunt, non satis rostri habuerunt ad hanc lectionem e situ eruendam. SCALIG.

IN LIBRUM VI.

Pagina 79.

lin. 5 sqq. Hic ob uberem mendarum messem aliquot Varronis comprehensiones continenter perscribam, ne longior sim, errores sigillatim percensens, &, Scribo, sæpe iterans. *Nam repens ruina operuit: ut verbum quod conditum est, ex quibus literis oportet, inde post aliqua demta: sic obscurior fit voluntas impositoris. Non reprehendam igitur in illis, qui in scrutando verbo literam adjiciunt aut demunt, quo facilius, quid sub ea nocte subsit, videre possint. Etenim quo facilius obscura opera Myrmecidis ex ebore oculi videant, extrinsecus admovent nigras setas. Cum hæc adminicula addas ad eruendam voluntatem impositoris, tamen latent multa. Quod si poetice, ut in carminibus servavit multa prisca quæ essent, sic cur essent, posuisset, fœcundius poemata ferrent fructum. Sed ut in soluta oratione, sic in poematis verba omnia, quæ habeant* ἔτυμα *possunt dici. Nec multa habeo, quæ non erunt in lucubratione literæ persecutæ. Multum licet legeret, Ælii hominis in primo in Latinis literis exercitati interpretationem carminum Saliorum videbis & exili litera expeditam, & præterita obscura multa. Nec mirum, cum non modo Epimenides somno post annos L experrectus a multis non agnoscatur, sed etiam Teucer Livii post annos XII a suis, qui sit, ignoretur.* Hæc e mendosa veteris libri literatura reconcinnata sunt, quæ, ut in sublustri nocte, qua eundum sit, videmus, ita nobis ostendit, quis esset orationis cursus, quæ via. Carmen autem Saliorum initium poetices apud Romanos Varro dicit, quod obscurissimum erat. Ejus meminit Flaccus:

Jam Saliare Numæ carmen.

Erant & axamenta carmina, quæ a Saliis componebantur in honorem singulorum Deorum, ut Jovialii versus, Junonii, Minervii; ab axo, quod est, nomino, appellata. Vetus lexicon interpretatur versus in honorem Herculis, qui in ejus sacris canebantur. Axamenta, στίχοι ἐπὶ θυσιῶν Ἡρακλέους. TURNEB.

lin. 7 sq. *Obscurior fit voluntas, in posteriores non reprehendenda. Igitur*] Locus mendosus, ita fortasse emendandus: *Voluntas impositoris. Non reprehendendi igitur illi.* AUGUSTIN.

lin. 11. *Facilius.*] *Ut facilius.* IDEM.

Pagina. 80.

lin. 1. *Possunt dici nec multa.*] Legendum: *Possunt duci nec multa.* Verba, inquit, quæ habent etyma, censeri possunt non multa, propterea quod literatores pauca tradiderunt. *Nec* pro *non*, ut in XII Tab. *Furtum nec manifestum.* Plautus: *Nec recte dicis.* Cicero: *Nec opinanti accidit.* POPMA.

ead. *Ab eo, quod non erunt* &c.] Locus mendosus. AUGUSTIN.

lin. 3. *In primo.*] Marg. Scalig. *in primis.*

lin. 6 sq. *Cum non modo Epimenides post annos quinquaginta expeditus.*] Vulg. *Cum non modo Epimenidis opus post annos quinquaginta expeditum.* Lege: *Cum non modo Epimenidis corpus post annos quinquaginta expergitum.* Expergitus pro experrectus veteres dicebant. Festus. Plutarchus & alii cum Varrone de numero annorum conveniunt. Laertius vero ponit 57. SCALIG. Idem pro *expeditus*, in margine *experrectus.*

lin. 9. *Duodecim.*] Marg. Scalig. *Decem.*

lin. 11. *Quorum si Pompilii regnum fons.*] *Quorum si Pompilii regnum foris.* Ita habent nonnulli: quod non improbo: immo puto esse verum. Ita loquuntur veteres. Bacchylides: Τό, τε πάλαι, τό, τε νῦν, οὐ ῥᾷστον ἀῤῥήτων ἐπέων πύλας ἐξευρεῖν. SCALIG.

lin. 17. *Multo tanto propius.*] *Tanto* delendum est. AUGUSTIN.

lin. 23 sq. *Ut quia quare ad medendum medicina.*] *A medendo medicina*, quidam. sed non est locus integer. AUGUSTIN. Scribo: *Ut quæri a qua re sit ad medendum.* TURNEB.

lin. 28. *Equite, equitem ab.*] Marg. Scalig. *Equito, equito ab.*

lin. 30. *Et ſatisfacit grate.*] Lego: *Et ſatisfacit grato.* TURNEB.

Pagina 81.

lin. 6. *Unus erit, quem tu tolles in cærula cæli templa.*] Verſus eſt ex Ennii Annalibus de Romulo in numerum Deorum referendo, quem paulum mutatum elegantiſſime uſurpavit in Metamorphoſi Ovidius:

Tu mihi concilio quondam præſente Deorum,
(Nam memoro, memorique animo pia verba notavi)
Unus erit, quem tu tolles in ſidera cæli,
Dixiſti: rata ſit verborum ſumma tuorum. TURNEB.

Ex primo Annali Ennii, ut conjicio. Sunt verba Martis ad Jovem de Romulo in numerum Deorum referendo. quem verſum Ovidius quoque uſurpavit, cum de eadem re Martem loquentem introducit 2 Faſtorum:

Unus erit, quem tu tolles in ſidera cæli.
Tu mihi dixiſti: ſint rata dicta Jovis. SCALIG.

lin. 11. *Magna templa cælitum commixta ſtelleis ſplendideis.*] Videtur ita diſtinguendum:

O magna templa cælitum
Commixta ſtellis ſplendidis.

Totum hoc nihil aliud, quam στεροπὰ Διός.

Ὦ στεροπὰ Διὸς, ὦ σκοτία νύξ.

Templa cæli. τεμένη αἰθέρος. Æſchylus:

— κνέφας δὲ τέμενος αἰθέρος λάβῃ. SCALIG.

lin. 12 ſq. *Scrupea ſaxa Bacchi.*] Dactylici ex Periboea Pacuvii, qui cum alio membro, quod citat Nonius, ad hunc modum continuandi ſunt:

Ardua per loca agreſti
Nititur, ac trepidante gradu,
Saxaque ſcrupea Bacchi,
Altaque templa prope aggreditur. SCALIG.

lin. 14. *Acheruſia templa.*] Ex Andromacha Ennii, ut conjicimus ex M. Tullio. ſed ille citat aliter:

Acheruſia templa alta Orci pallida,
Leti obnubila, obſita tenebris loca. SCALIG.

lin. 15. *Quam quia initium erat oculi.*] Vulg. *Qua quia* &c. *Quaqua intuemur oculis.* Virgilius:

Quantum acie poſſent oculi ſervare ſequentum.

Illa autem templa, quod quatuor mundi partibus definirentur,

ab eo dicuntur: Plutarcho πλινθία, propter quadratam descriptionem. SCALIG. Idem in margine: *Quaqua intuerant oculi.*

lin. 18 sq. *Id est (ut ait Nævius in Hemisphærio) ubi terra cærulo septum stat.*] Lego: *Id est, ut ait Nævius, hemisphærium, ubi concha cærula septum stat.* Hic eleganter concava cæli convexitas more tegumenti & conchæ concamerata & curvata intelligitur. Et quia ad cælum pertinet, Cælestis Dea a Tertulliano, Spartiano, aliis memorata, nec, quæ sit, intelligitur: dicam hic obiter, *Uraniam* esse. Dio, τὴν Οὐρανίαν τὴν τῶν Καρχηδονίων ἐπελέξατο. TURNEB. Templum Jovis altitonantis interpretatur ex verbis Nævii, hemisphærium superius, ubi æther conspicitur. Plane ex vestigiis veterum excusorum legendum, *ubi æthra cærula septum stat:* videturque esse versus Nævii ad hunc modum concinnandus,

Hoc ubi æthra cærula septum stat hemisphærium.

Qui putant, hic Nævium citari in Hemisphærio, tanquam fuerit illud poema Nævii, non mediocriter falluntur. SCALIG.

lin. 24 sq. *Concipitur verbeis non iisdem usquequaque. In arce item, Testaque meta sunto* &c.] Locus mendosus. AUGUSTIN. In verbis, quibus templa concipiebantur, magna est obscuritas ob dictionis vitium. Ego eam formulam totam sic puto concipiendam esse: *In arce sic: templa tescaque mi ita sunto, quoad ego ea esse velim, qua nuncupavero. Olla fera arbos, quisquis est, quam me sentio dixisse, templum tescumque esto in sinistrum. Olla fera arbos, quidquid est, quod me sentio dixisse, templum tescumque esto in dextrum. Intra ea conregione, conspicione, cortumione, utique ea rectissime sensi. Fera arbos* hic dicitur, ut *fera vitis* quodam in Nonii loco. *Tescum* autem rectissime emendatum puto, cum Varro ipse ultro mox *tesca* interpretetur, & *tesca* a *tuendo*, ut *tuesca*, dicta censeat. Nam *testum*, quod hic incubabat, exturbandum est præceps. TURNEB. In hoc loco tam insigniter depravato multi desudarunt. Sed, ut verum fatear, omnes mihi videntur lusisse operam. Ego quoque aliquid tentabo. quod si nihil profecero, merito cum illis quoque luserim operam. Ita igitur emendamus: *Concipitur verbis non iisdem usquequaque: in arce autem sic, Tesca dumecta sunto, quoad ego caste lingua nuncupavero. olla veter arbor, quisquis est, quam me sentio dixisse, templum, tectumque esto in sinisterum. olla veter arbor, quisquis est, quidquid est, quod me sentio dixisse, templum, tectumque esto in dexterum intra ea, conrecione, conspitione, cortumione,*

utique ea rectissume sensi. Hæc sane non deteriora sunt aliorum commentis, quibus misere hunc locum fœdarunt. Rationes autem mox reddendæ sunt. Scalig. Idem in margine pro *item* exhibet *ita.*

lin. 25. *Testaque meta sunto.*] Vulg. *Tescaque me ita sunto.* Error fluxit, quod *d* mutarunt in *q*. Nos *dumecta.* Ita vocabant, quæ nunc dumeta: auctor Festus. Prius enim fuerat dumiceta, post dumecta: ut saliceta, salicta. Constituit autem fines templi sui dumeta, qui & Vespices vocabantur. Templi, inquit, mei fines sunto tesça dumeta, quoad ego eos nuncupavero. Est enim adjectivum tesca, ut mox aperiemus. Scalig. qui tamen postea sententiam suam mutavit. In Appendice enim ad Conjectanea sua inquit: Sine ulla prorsus dubitatione hic legendum est, *Templa tescaque incita sunto, quoad ego caste lingua nuncupavero.* Nam ex his corruptis, *me ita*, egregie *incita* corrigi, quis non videt? *Tesca*, seu templa, sunt promota usque ad suos fines, ita ut ulterius promoveri non possint. Antiqui enim fines, seu terminos, quos amplius promovere non est, *incitos* vocabant. Et qui eo redacti erant, ut nullum certum rerum suarum consilium capessere possent, ad *incitas* redacti dicebantur. Ubi subaudiendum *lineas.* Metaphora enim a ludo duodecim scriptorum. nam cum ad ultimam lineam promoti erant calculi, tum is, cujus intererat, ad *incitas lineas* redactus, calculi vero ipsi *inciti* dicebantur: quod annotat Isidorus. Apud Græcos alia erat tabula calculorum: quippe quinque linearum. Itaque non in ultimis lineis erant inciti calculi, sed in media. Quare cum alteruter ex lusoribus in incitam lineam cogeretur, tunç movebat calculum ab eadem media linea, hoc dicto: κινῶ τὸν ἀφ' ἱερᾶς: nam linea illa vocabatur ἱερά. Plautus Pœnulo:

——— *tacitus tace modo.*
Profecto ad incitas lenonem rediget, si eas abduxerit.
Quin prius disperibit, faxo, quam unam calcem civerit.

Cave *calcem* hic pro ea parte pedis accipias, quam Græci πτέρναν vocant. *calcem* enim vocat hic calculum, alluditque ad proverbium, quod usurpavit. Et ita Lucilius:

Naumachiam licet hæc, inquam, alveolumque putare, &
Calces. ———

Nam calces hic calculi, manifesto. Festus, *Calces* inquit, *qui per deminutionem vocantur calculi.* Vides ergo, quomodo Plautus dixerit *ciere calces*, κινεῖν τοὺς πεσσούς. Et ita hic lo-

cus, qui erat alioqui maximi momenti, illustratur. Neque dubium est, quin ita legendum sit: *Tesca templaque incita sunto, quoad ego caste lingua nuncupavero.* Ita SCALIG. Existimo legendum: *Tesquaque templa. Tesqua templa* dixit Hostius de Bello Istrico:

——tesca violabis templa antiqua Deûm.

Tescam templum mox infra; & in libris pontificiis: *Templumque, sedemque, tescumque.* POPMA.

lin. 26. *Olla ver arbor.*] Semper in antiquitus excusis legitur, *ver arbor*, & *ber arbor.* Nos putavimus aliquando *uber arbor*, id est, ἀμφιλαφής. Idcirco facilius ab augure servabatur, cum in tanto spatio sola foliorum übertate notabatur. Sed non dubito, quin sit legendum *veter arbor*, ex illis vestigiis veteris editionis *ver*, & *ter.* Legit & doctissimus Adrianus Turnebus, *fera arbor*, ut dicitur, fera vitis. Sed verissima est nostra castigatio *veter arbor.* Fuge a Turnebi *fera arbore*, & id genus aliis, quæ ipse, si viveret, nunc mutaret, certo scio. SCALIG. Veteres excusi: *Olla ter arbor.* Unde erui potest vera lectio, ni fallor, *olla tera arbor. Tera* cum *r* uno in Augurum libris scriptum fuisse, Varro libro 4 testatur. idem mox infra tradit, augurem in terra designare arbores, intra quas templum finiat & constituat. & Festus: *Tesca sunt loca augurio designata, cum arbor aliudve finis in terra auguri apponitur.* Liv. lib. 1 de inauguratione Numæ: *Prospectu in urbem agrumque capto, quoad longissime conspectum oculi ferebant, animo finivit.* POPMA.

lin. 27. *Quidquid est.*] *Quisquis est*, ἀρχαϊσμὸς, ut, *Quis tu es mulier?* SCALIG. *Quisquis arbor*, ἀρχαϊκῶς, ut Livius Andronicus: *Mulier, quisquis es, te volumus;* & Cæcilius: *Quisquis es, mea mulier.* POPMA.

lin. 30. *Interea.*] *Intra ea*, scilicet, *tesca dumeta*, aut *spatia effata.* SCALIG. Scribendum: *Intera ea*, pro, *intra ea*, antique, ut *infera, supera, dextera.* Cicero Arato: *Jam supera cernes Arcti caput esse minoris.* Lucretius lib. 1:

Id quod jam supera tibi paulo ostendimus ante. POPMA.

ead. *Concretione.*] Lego, *conregione* augures sic vocabant regionem intra fines comprehensam. TURNEB. Vulg. *Concrecione.* Immo scriptum fuit *conrecione*, depravata illa scribendi consuetudine, qua *inicere* pro *inigere*, *subicitare* pro *subigitare* scribebant. *Conrecione* est *conregione.* Festus: *Conregione, e regione.* hoc est, ut Varro ipse interpretatur, *Intra eas regiones, qua oculi conspicient.* Non enim solum in effandis

templis auguralibus, sed etiam in effandis finibus fanorum & ararum, regionum ipsarum termini concipiebantur, ut in dedicatione aræ Augusti Cæsaris Narbone ita præivit verba pontifex: *Numen Cæsaris Augusti, patri patriæ: quando tibi hodie hanc aram dabo dedicaboque, his legibus hisque regionibus dabo dedicaboque, quas hic hodie palam dixero.* SCALIG.

Pagina 82.

lin. 2 sq. *Qua oculi conspicient, id est tuimur.*] Lego: *Qua oculi conspiciant, id est, tueamur.* TURNEB.

lin. 4. *Apud Ennium in Medea: Contempla* &c.] Hic versus cum alio, quem citat Nonius, conjungendus est:

Asta, atque Athenas antiquum opulentum oppidum
Contempla, & templum Cereris ad lævam aspice. SCALIG.

lin. 5. *Et templum Cereris.*] Hæc non sunt ex Medea exsule, quam vertit Ennius ex Euripidis Græca, quæ hodie exstat. Sed, puto, ex alia, quam ipse scripsit, eaque translata ex alia Euripidis: quæ ne ipsa quidem ad nos pervenire potuit. Nam Attii Medea, tota ipsius sine dubio erat, non ab Euripide translata: quamvis ex Euripide quædam in suam transtulit. ut, cum scribit:

Principio extispicum ex prodigiis congruens ars te arguit.

Sunt ex illis:

Συμβάλλεται δὲ πολλὰ τοῦδε δείματος.
Σοφὴ πέφυκας, &c.

Item quod exprobrat Jason:

Πρῶτον μὲν Ἑλλάδ' ἀντὶ βαρβάρου χθονὸς
Γαῖαν κατοικεῖν, καὶ δίκην ἐπίστασαι,
Νόμοις τε χρῆσθαι, μὴ πρὸς ἰσχύος χάριν.

quis neget ab illis accepisse?

Primo ex immani victum ad mansuetum applicans.

Et forsan illud:

Fors dominatur, neque ulli vita propria
In vita est. —

Etiam elegantius ipso Euripide, qui ait:

Θνητῶν γὰρ οὐδείς ἐστιν εὐδαίμων ἀνήρ.

Item cum Medea jubet arcessi Jasonem, quem dictis mollibus lactare, fallaci simulatione producere conatur, dum illam odii recentis opinionem ex ejus animo dilueret, eum totum colorem adumbrarat Attius. Verba Euripidis:

Μολόντι δ' αὐτῷ μαλθακοὺς λέξω λόγους,
Ὡς καὶ δοκεῖ μοι ταῦτα καὶ καλῶς ἔχει,
Γάμους τυράννων, οὓς προδοὺς ἡμᾶς ἔχει,
Καὶ ξύμφορ' εἶναι καὶ καλῶς εἰργασμένα.
Nisi ut astu ingenii fingam laudem, dictis lactem mollibus.

Hæc satis sint, ut exerceantur magna ingenia in ejusmodi investigandis. Nam in illis nemo sapit, nisi qui animum in utraque lingua subegit. Neque magnopere laboro, quid de illis judicent magistelli de trivio. SCALIG.

lin. 6 sq. *Ideo dicere cum templum faciant augures Conspitione* &c.] Lego: *Ideo dicere tum, cum templum facit, augurem, conspicione, qua oculorum conspectu finiat. Quod cum dicunt conspicionem, addunt cortumionem dicitur a cordis visu. Quod ad id templa ut sint tesca, ajunt sancta esse, qui glossas scripserunt, id est falsum. Dextra* cum legeretur, *tesca* scribendum esse ratus sum, verba Varronis & explicationem secutus. TURNEB.

lin. 12. *Nam curia Hostilia templum est, & sanctum non est.*] Rejicimus te ad Gellium lib. 14, cap. 7. SCALIG.

lin. 14. *Esse templum & sanctum esse.*] Lego: *Esse templum, esse factum.* TURNEB.

lin. 17. *Tesca.*] Forsan ita non male expleri possent lacunæ Festi: *Tesca Varro ait loca augurio designata, quo sit termino finis in terra augurii. Oppilius loca consecrata Diis, quæ non aperta sint, sed sancta loca, undique septa, ut perhibent Pontificii libri, in quibus scriptum est: Templumque sedemque, tescumque locum rite Diis nuncupatum dedicaverit, uti eos adhibessit bonos propitiosque. Hostius belli Histrici lib....*
— perdiu' gentes
Aliger æthereas, atque idem tesca volabis
Templa antiqua Deûm. —
Explicavere aspera, difficilia aditu. Attius, Loca aspera, saxa tesca tuor. Idem Philocteta:
Quis tu es mortalis, qui in deserta Lemnia
Et tesca te apportas loca? —
Ita fortasse hoc modo rudera illa Festi reficere poterimus, quamquam sarta tecta præstare non possumus. SCALIG.

lin. 18. *Apud Actium in Philoctete.*] Vulg. *Attius in Philocteta.* Scripserunt Philoctetam, Æschylus (ut citatur apud Plutarchum & Aristotelem) item Euripides, & post utrumque Sophocles: quæ & ipsa hodie exstat. Sed mihi videtur Attius Euripidis potius fabulam transtulisse. Nam Triclinius ait,

in dispositione dramatis mirifice convenire inter Euripidem & Sophoclem: hoc uno excepto, quod Sophocli Ulysses submittit Neoptolemum: apud illum vero Ulysses solus antrum, in quo jacebat Philoctetа, scrutatur. Cujus hæc verba sunt sine dubio, ut leguntur apud Nonium:

Contra est eundum cautim, & captandum mihi.

Apud Sophoclem Neoptolemus cum Ulysse:

— ἀκμὴ γὰρ οὐ μακρῶν ἡμῖν λόγων,
Μὴ καὶ μάθῃ μ' ἥκοντα, κἀκχέω τὸ πᾶν
Σόφισμα. —

Deinde hæc verba, quæ adducit Varro, ad unum tantum fiunt, quæ sunt Philoctetæ ad Ulyssem:

Quis tu es mortalis, qui in deserta Lemnia
Et tesca te apportas loca? —

Apud Sophoclem fiunt ad Neoptolemum & reliquos nautas:

Τίνες ποτ' ἐς γῆν τήνδε ναυτίλῳ πλάτῃ
Κατέσχετ', οὔτ' εὔορμον, οὔτ' οἰκουμένην;

Item ad unum Ulyssem:

Quod ted obsecro, ne isthæc aspernabilem
Tetritudo mea me inculta faxit. —

Sophocli vero, ad Neptolemum, & alios:

— μή μ' ὄκνῳ
Δείσαντες ἐκπλαγῆτ' ἀπηγριωμένον.

Quam enim pæne ad verbum? Tamen dissentiunt de diutinæ commorationis tempore. Sophocles:

— ἀλλ' ἀπόλλυμαι
Ἔτος τόδ' ἤδη δέκατον ἐν λιμῷ τε καὶ
Κακοῖσι βόσκων τὴν ἀδηφάγον νόσον.

Attius:

Contempla hanc sedem, in qua ego novem hiemes saxo stratus pertuli.

Et hæc, quæ sequuntur, quam similia?

Ubi habet, urbe, agro ne.

Sophocles:

Τίν' ἔχει στίβον, ἔναυλον, ἢ θυραῖον.

Quamquam non sunt ista ad verbum. Item quod citat Cicero ex eadem fabula:

Heu quis salsis fluctibu' mandet
Me ex sublimis vertice saxi?
Jamjam absumor: conficit animam
Vis vulneris, ulceris æstus.

Quam similis desperatio ejusdem Sophocli?

Πρὸς θεῶν, πρόχειρον εἴτι σοι τέκνον πάρα
Ξίφος χεροῖν, πάταξον εἰς ἄκρον πόδα.
Ἀπάμησον ὡς τάχιστα, μὴ φείσῃ βίου.
Ἴθ' ὦ παῖ. —

Apud eundem:

Quod ejulatu, questu, gemitu, fremitibus
Resonando mutum flebiles voces refert.

Quis ex illis versa non diceret?

— οὐδέ με λήθει
Βαρεῖα τηλόθεν αὐδὰ
Τρυσάνωρ· διάσημα γὰρ θροεῖ.

At succurrit versus, unde illa versa sunt, quem reperimus in Hesychii lexico. citatur autem ex Philoctleta cujusdam poetæ, cujus nomen non apposuit. Est autem hic:

Μέλη βοῶν ἄναυδα, καὶ ῥακτήρια.

Item Sophocles inducit Philoctetam pannosum: Attius vero textis pennarum indutum. Ejus enim hæc verba:

——— *ingemiscimus,*
Quod hæc pennigero non armigero corpore
Exerceantur tela, abjecta gloria.

Citat Cicero ad Volumnium. Ita enim disposuerat Attius, quæ Cicero perturbata usurpat. Probant & illa:

Configo tardus celeres, stans volatiles,
Pro veste pinnis membra textis contegens.

Primum versum augurati sumus ex Cicerone: nam apud illum non servatur lex metrica. Alterum invenimus in lectionibus Censorini. Sic enim de Philoctete Q. Smyrnæus lib. 9:

— ἀμφὶ δ' ἄρ' αὐτῷ
Οἰωνῶν πτερὰ πολλὰ περὶ λεχέεσσι κέχυντο.
Ἄλλα δέ οἱ συνέραπτο ποτὶ χροῒ, χείματος ἄλκαρ
Λευγαλέου. —

Ex pennis aucupiorum solere contexi munimenta corporis, scimus nos ex navigationibus Hispanorum: item ex Plutarcho de Fortuna Alexandri: Ζῶα θηρεύοντες ἄνθρωποι, inquit, δορὰς ἐλάφων περιτίθενται, καὶ πτερωτοῖς ἀμπίσχονται χιτωνίσκοις, ἄγραις ἐπιχειροῦντες ὀρνίθων. Seneca epist. 90: *Non corticibus arborum pleræque gentes tegunt corpora? non avium plumæ in usum vestis conseruntur?* Inde plumarium opus. Atque de his quidem satis. SCALIG.

lin. 20 sq. *Cum dicit Lemnia. Præstolare.*] Vulg. *Lemnia peræ esto litor arat.* Non parum præstiterimus, ut puto, si non solum menda, quibus scatent hi versus, sustulerimus:

ſed & ipſos quoque verſus cum iis conjunxerimus, quibus olim continuabantur. Sunt autem anapæſtici cum coronide, ex Philoċteta Attii:

——qui Lemni aſpera
Teſca tuere, & celſa Cabirum
Delubra tenes, myſteriaque
Priſtina caſtis concepta ſacris.

Deinde:

Et Volcania templa ſub ipſis
Collibus, in quos delatu' locos
Dicitur alto ab limine cæli
Ætnea vi ſpirante vapor
Fervidus, unde ignes mortalibus
Diviſſe cluet doċtu' Prometheus
Clepſiſſe dolo, pœnaſque Jovi
Fato expendiſſe ſupremo.

Non dicam, quid de aliorum emendationibus ſentiendum eſt, qui ne anapæſticos quidem hos verſus eſſe ſuſpicati ſunt. Tantum confer hæc cum Romana editione, ut videas, quid potuiſſent præſtare, ſi diligenter Varronis mentem perpendiſſent. Saltem hoc vidiſſent, inepte Nævii nomen hic inductum, cum illa omnia verba non Nævii ſint, ſed Attii. Ex veſtigiis vero veterum excuſorum indubitanter legimus, *Lemni aſpera teſca tuere*, &c. Nam in illis ita excuſum eſt, *Lemnia peræ eſto litor arat.* Prima ſyllaba, quæ eſt in voce *Litor*, extrita conſtituit veram lectionem. Accedit & Feſti auċtoritas, in cujus reliquiis hæc leguntur ···· *aſpera ſaxa teſca tuor* ···· SCALIG. Idem in margine, *Præſto litora rara excelſa.* Vox *Lemnia* hic otioſa eſt, & tolli debet. Apud Attium in Philoċtete, inquit, Lemnia loca dicuntur Teſqua, ubi Philoċtetes ſic alloquitur Ulyſſem:

Quis tu es mortalis, qui in deſerta & teſqua te
Apportas loca?.

Quæ enim ſint illa loca teſqua, deſignat, cum addit:

Præſtolare excelſa Cabirûm
Delubra tenes, myſteriaque
Priſtina, caſtis concepta ſacris. POPMA.

lin. 21. *Et celſa Cabirum delubra.* Poſtea, *Et Volcania templa.*] Hæc declarantur Strabonis verbis ex lib. 10, in quo multa de Cabiris, & hæc præcipue, quæ ad hunc locum faciunt: Ἀκουσίλαος δὲ Ἀργεῖος ἐκ Καβείρης καὶ Ἡφαίστου Κάμιλον λέγει. τοῦ δὲ τρεῖς Καβείρους, ὧν νύμφας Κα-

βειράδας. Φερεκύδης δὲ ἐξ Ἀπόλλωνος καὶ Ῥυτίας Κύρβαντας ἐννέα· οἰκῆσαι δὲ αὐτοὺς ἐν Σαμοθράκῃ. ἐκ δὲ Καβείρης τῆς Πρωτέως καὶ Ἡφαίστου, Καβείρους τρεῖς, καὶ νύμφας τρεῖς Καβειράδας. ἑκατέροις δὲ ἱερὰ γενέσθαι, μάλιστα μὲν ἐν Λήμνῳ καὶ Ἴμβρῳ τοὺς Καβείρους συμβέβηκεν, ἀλλὰ καὶ ἐν Τροίᾳ κατὰ πόλεις. τὰ δὲ ὀνόματα αὐτῶν ἐστι μυστικά. Itaque quod Festus ait ex Cicerone, Tesca esse loca alicui Deo dicata, difficilia aditu: hoc etiam ipsum non prætermisit eruditus scriptor. ἔστι δὲ ἀοίκητα, inquit, τὰ χωρία τῆς τῶν δαιμόνων τούτων τιμῆς. SCALIG.

lin. 23. *Volcania templa.*] Supra ex Strabone, de Lemno. Papinius:

——— Ægæo premitur circumflua Nereo
Lemnos, ubi ignifera fessus respirat ab Ætna
Mulciber. — SCALIG.

ead. *Sub ipseis collibus.*] Nam tales Lemni fumantes. Val. Flaccus lib. 2:

Ventum erat ad rupem, cujus pendentia nigris
Fumant saxa jugis, coquiturque vaporibus aer. SCALIG.

lin. 24. *Alto ab limine cæli.*] Ἀπὸ βηλοῦ θεσπεσίοιο. Alii legunt *lumine*. SCALIG.

ead. & sq. *Et Nævius, Exspirante vapore vides, unde ignes cluet mortalibus diveis.*] *Exspirante vapore videmus, Unde ignis lucet mortalibus clam divisus:* ex Cicerone lib. 2 Tuscul. Gabriel Faernus, qui pleraque alia, emendabat. AUGUSTIN. Lego: *Unde ignis claret mortalibus divus.* Eadem fere verba apud Cic. prima Tusculana exstant. TURNEB. Quod scriptum erat *Ætnæva vi*, putarunt esse *Et nevi*, compendiose, pro *Et Nævius.* At non ita esse, idem genus versuum declarat. Quid quod sequentia Tescorum mentionem non faciunt? Si ergo ex alio poeta sunt, neque ad mentem Varronis faciunt, quo (malum) illa adduceret Varro, quæ ejus verba potius interrumpunt, quam sententiam adjuvant?

lin. 25. *Exspirante vapore.*] Supra admonuimus ita legendum esse:

Ætnæa vi spirante vapor
Fervidus: unde ignes mortalibus
Divisse cluet doctu' Prometheus
Clepsisse dolo, pœnasque Jovi
Fato expendisse supremo.

Nam Varro in his postremis non servavit legem metricam; sed modo verba ipsa citat, quomodo illa citet, susque de-

que habet, ut ne Cicero quidem illos versus satis religiose adduxerit; apud quem ita leguntur: *Unde ignis lucet mortalibus clam divisus: eum Prometheus doctus clepsisse dolo, pœnasque Jovi fato expendisse supremo.* Quæ ita, ut ipse adduxit, relinquenda sunt, etiamsi reconcinnata pristino ordini restitui possunt. At contra sunt alia apud Ciceronem quoque poetarum exempla, quæ nemo, ne isti quidem Tulliastri, suspicati sunt poetæ alicujus, non Ciceronis, esse; ut in Catone majore:

Quam ut adipiscantur omnes optant, eandem item
Adepti accusant: tanta est inconstantia,
Stultities & perversitas. —

Quisquis enim fuit ille comicus, (vereor, ne Cæcilius) vertit ex Antiphane illa; qui ita de senectute scripserat:

Οὗ πάντες ἐπιθυμοῦμεν, ἂν δ' ἔλθῃ ποτὲ,
Ἀνιώμεθ'. οὕτως ἐσμὲν ἀχάριστοι φύσει.

Atqui ille quidem iisdem verbis, sed non eadem structura. At in secunda Tusculana nihil mutavit in tribus versibus cujusdam veteris poetæ: qui tamen leni tractu, & minime elaborata oratione sua cum cetera soluta oratione immiscuerunt se; cum tamen nulla mutatione ita digerendi sint:

Nihil horum simile apud Lacænas virgines,
Quis magi' palæstra, Eurota, Sol, pulvis, labos,
Militia in studio est, quam fertilitas barbara.

Sapiunt enim nescio quid tragicum & Græcanicum: ut si diceres —

— αἷσιν ἤσκηται πόνος
Πλέον, πάλη τε, βαρβάρου χλιδήματος. SCALIG.

ead. *Mortalibus divis.*] *Divisse*, aut, si malis, *divisus*: ut etiam immutatum est apud Ciceronem. nam certe Attius scripsit *divisse*. Cornificius lib. 4: *Prometheus, cum mortalibus ignem dividere vellet.* Vocat autem Prometheum doctum clepsisse dolo, quasi dicas δολοκλέπτην. & illa trita apud nationes poetarum, κλοτοπευτὴν, ἀγκυλόμητιν. Proxime vero hæc legendum esse *cluet*, facile cognoscimus ex prisca scriptura, *clavet*. unde Turnebus *claret* maluit legere. Et hexametros constituit, quos tamen manifesto & videbat, & crediderat olim, persuasus a me, esse anapæstos. Quis tam cæcus, qui illam anapæsticam coronidem non agnoscat, omniaque illa ex choro Philoctetæ Attii petita fuisse? Unum addam, quod ejus δυσπιστίαν mollire possit aliquando. Producit enim illos commentitios hexametros ex Nævio. Atqui scimus, Nævium nunquam hexame-

trum ſcripſiſſe. Punicum bellum tantum ſcripſit Nævius, itemque tragœdias & comœdias. Quid ergo? Ex Punico bello Nævii eos produxit? at Punicum bellum Nævii totum Saturnio carmine ſcriptum fuit: quod alibi diſputavimus. At ex tragœdiis & comœdiis? Nugæ. ne ipſe quidem Turnebus, ſi reviviſceret, comœdiæ ulli aut tragœdiæ illud genus carminis convenire concederet. SCALIG. Pro *divis*, legendum *diviſus*; & totus locus ſic conſtituendus:

Et Volcania templa ſub ipſis
Collibus, in quos delatus locos
Dicitur, alto ab limine cæli.
Ætnea vi exſpirante vapore
Vides, unde ignis mortalibus
Diviſus cluet. eum Prometheus
Doctus clepſiſſe dolo, pœnaſque
Jovi fato expendiſſe ſupremo.

Quæ Varro hic adducit, neglecta lege metrica, ut & Cicero 2 Tuſculan. POPMA.

lin. 30. *Tueor te ſenex proh Juppiter?*] Ex Medo Pacuvii, ni fallor:

Medea. *Atque eccum ipſum in tempore*
Oſtentum ſenem. Tueorne te ſenex? proh Juppiter.
Senex. *Quis tu es mulier, quæ me inſueto nuncupaſti nomine?*
Medus. *Sentio pater te vocis calvi ſimilitudine.*
Sed quid conſpicor? num me lactens calvitur ævitas?
Cælitum Camilla exſpectata advenis: ſalve hoſpita.

Hæc ſane tot locis ſparſa congregaſſe nihil impediverit. Nam ponamus, ita Pacuvium olim non digeſſiſſe: tamen interim pro quodam quaſi centone nobis ſunto. Quia, ut leguntur ſparſa apud grammaticos, ſunt illa quaſi membra quædam manca & mortua: hic vero ita conjuncta, ſi nihil aliud, aliquam tamen ſpeciem & dignitatem obtinebunt. SCALIG.

lin. 31. *Quis pater aut cognatus volet nos contra tueri?*] Ennii, niſi fallor:

Quis pater aut cognatu' volet nos contra tueri?
Avorſabuntur ſemper nos, noſtraque volta.

Secundus citatur a Nonio. Simile item illud ex Attii Erigona:

Quibus oculis quiſque noſtrûm poterit illorum obtui
Voltus, quos jam ab armis anni porcent?

Quod plane redolet Græcorum theatra:

Καὶ πῶς προσειπεῖν, ποῖον ὄμμα συμβαλεῖν
Ἥδη γ' ἐν ὅπλοις ἕξομεν παρήλικες; SCALIG.

Pagina 83.

lin. 1 sq. *Bellum tueor, & tueri villam.*] Marg. Scalig. *Velle tueri villam. Bellum tueri* est administrare & sustinere, quemadmodum lib. 1 de Re rustica: *Ut solent esse pecuaria, quæ pauca habenda, quo facilius tueri possit.* Cicero in Paradoxis: *Antequam tibi ex tuis possessionibus tantum reficiatur, ut eo tueri sex legiones & magna equitum ac peditum auxilia possis.* Liv. lib. 33: *Quantos exercitus terrestres navalesque tuerentur.* At *tueri villam*, est munire & defendere. Varro de Re rustica lib. 1: *Nunc de septis, quæ tutandi fundi causa aut partes fiunt, dicam. earum tutelarum genera quatuor.* Plin. lib. 18: *Optimum est, ut vulgo dixere, aliena insania frui: sed ita ut villarum tutela non sit oneri.* POPMA.

lin. 6. *Tu domi videbis.*] Tueri enim duo significat, & videre, & curare. Ita Græcorum ἐπισκοπεῖν. Cicero 2 de Legib. *Interpretes autem Jovis Op. Max. publici Augures signis & auspiciis postea vidento, disciplinam tenento.* Videre auspiciis dixit, ut hic Videre domi. Callimachus:

Δέσποιναι Λιβύης ἡρωΐδες, αἳ Νασαμώνων
  Αὔλια, καὶ δολιχοὺς θῖνας ἐπιβλέπετε,
Μητέρα μοὶ ζώουσαν ὀφέλλετε. —

Ἐπιβλέπετε, curatis. ἐπισκοπεῖτε. SCALIG.

lin. 7. *Vide, quod opus fiat.*] *Quid opus fiet*; vel, *quid opus fuat.* AUGUSTIN.

lin. 9. *A tuendo & templa & tesca.*] Ego, ut a δᾶς δαδὸς, tæda: a δαίρα, terra: sic a δάσκια, tesca. SCALIG.

lin. 10 sq. *Etiam inde idem, illud enim extemplo.*] Lege, *Etiam indidem illud Ennii*:

Extemplo acceptum me necato, & filium.

Videntur etiam tum ætate Varronis duplices non multum in usu fuisse. Itaque quod ille scripserat *Eni*, pro *Ennii*: putarunt *enim* esse. SCALIG.

lin. 12. *Extemplo.*] Verbum est sacrorum, sicut *ilicet* judiciorum. Ut enim hoc, dimisso senatu; sic & illud, sacrificio patrato, a præcone pronuntiabatur. Quo significabatur, ut exirent ex templo. Quod quia cito fiebat, inde pro cito & propere sumi cœptum est. SCALIG.

lin. 13. *Circum septum.*] Vulg. *Contra septum.* Perperam pro *conseptum.* Utitur eo idem in libris de Re rustica. Festus ait, Ennium dixisse consiptum pro consepto, intelligens hunc locum ex Medea Ennii:

Teneor consipta, undique venor. SCALIG.

lin. 15. *Pervade polum.*]

— Pervade polum
Splendida mundi sidera bigis
Continuis sex apti signis.

Ita facile emendantur illi perturbati & corrupti versus. Ordo est: *Pervade polum bigis*, appositive, *Splendida sidera mundi apti sex signis*: ut, *Axem humero torquet stellis fulgentibus aptum.* Mundum ergo aptum sex signis intelligit hoc superius hemisphærium: nam sex altera signa sunt in inferiore. SCALIG.

ead. *Bigeis continueis secepit spoliis* &c.] Legendum: — *Continuis sex apti signis*, ut supra docuimus. Et *spoliis* depravatum ex voce *signis*. *Signis* legendum esse ipse Varro manifeste docet, qui ejus vocis interpretamentum subdit. SCALIG. Ita citaverat Varro, *Continuis sex apti s. polus Græcum.* Nam quando notissimus erat locus auctoris, qui citabatur, is singularibus literis, non integris scribebatur. Quod fere semper fecerat Donatus in Terentium. Itaque illud *s* singulare, est *signis.* Ex illo igitur *s* & *polus*, fecerant *spoliis.* Et hæc vera est conjectura. *Splendida* in his anapæstis est vocandi casu, genere feminino. IDEM. Forte legendum: *binis Continuis sesepit soliis. Bina solia* vocat utrumque hemisphærium, superius & inferius: quorum unumquodque separatim habet sex signa, unde notantur. *sesepit*, id est, *seorsum munit.* Varro Dolio:

— limbus pictus, Bis sex signis stellimicantibus. POPMA.

lin. 20. *Sidera, quæ insidunt.*] Vulg. *quia insidunt. Insidunt*, ἐστήριχται. Aratus. Unde ἀστέρες. SCALIG.

lin. 21 sq. *Quare & signum candens in Hectore.*] Vulg. *in pectore.* Lego: *A qua re signum candens in pecore.* Virgilius:

——— & nomina gentis inurat.

Instrumentum, quo perurunt, dicitur character rei rusticæ auctoribus. Verbum autem, signare. Nonius: *Signare oportet frontem calda forcipe.* Veteres vocabant *Dignorare.* Festus: *Dignorant, signa imponunt, ut fieri solet in pecoribus.* Sic & equi quadam nota insigniebantur. Anacreon:

Ἐν ἰσχίοις μὲν ἵπποι
Πυρὸς χάραγμ' ἔχουσι.

Inde apud Aristophanem σαμφόραι, apud Lucianum κενταυρίδαι, καὶ κοππαφόροι, qui & κοππατίαι Hesychio. Item apud Strabonem λυκοφόροι in Apulia. Instrumentum, quo in-

urebantur, τρυσίππιον. Qui hic emendarunt *in Hectore*, non mihi fatisfaciunt. SCALIG.

lin. 22. *Quod est terrarum amfracta revisam.*] Coronis anapæstica ex Eurysace Attii:

Nunc per terras vagus, extorris,
Exturbatus regno atque mari
Super Oceani stagna alta patris
Terrarum anfracta revisam.

Ita conjunximus ex Nonio. SCALIG.

lin. 27. *Trivia.*] Τριοδῖτις, καὶ Εἰνοδία. SCALIG.

lin. 28 sq. *Quod in trivio ponitur fere in oppideis Græcis.*] Cum corona quernea scilicet, & draconum voluminibus. Sophocles ῥιζοτόμοις, ut exstat apud veterem interpr. Apollonii:

Ἥλιε δέσποτα, καὶ πῦρ ἱερὸν
Τῆς εἰνοδίας Ἑκάτης φέγγος,
Τὸ δι' Ὀλύμπου πολλὸν προφέρει,
Καὶ γῆς ναίουσ' ἱερὰς τριόδους,
Στεφανωσαμένη δρυσὶ, καὶ πλείσταις
Ὤμων σπείραισι δρακόντων.

Quercina enim corona Deorum inferorum. Sic Parcæ coronantur Catullo:

His corpus tremulum complectens undique quercus
Candida purpureis ramis incinxerat ora.

Ea enim est lectio, quæ etiam exstat in vetustioribus excusis. Nam purpureis ramis dixit τοῖς ἀγλαοῖς. Ita poetæ Latini ἀγλαὸν reddunt. Sic ἀγλαὸν ὄζον in hymnis Homeri. Albinovanus ad Liviam *nivem purpuream* dixit:

——— *Purpurea sub nive terra latet.*

Horatius:

——— *Purpureis ales oloribus.*

ἀγλαοῖς, ἀγλαομόρφοις. Et Anacreon, ut videtur Æliano, ab eadem mente vocavit Venerem πορφυρᾶν. SCALIG.

Pagina 84.

lin. 1. *Titanis.*] Æschylus Eumenidibus:

Τιτανὶς ἄλλη παῖς χθονὸς καθίζετο
Φοίβη.

Et Τιτηνὶς Ἑκάτη, Apollonio lib. 4. SCALIG.

lin. 2. *Manilius.*] Marg. Scalig. *Manlius.*

lin. 3. *Latona parit.*] *Parit.* Et verba usurpat tantum non versus. Ita digerendi sunt:

Deli gemellos creta Titano Deos
Latona pariit casto complexu Jovis.

Græcus epicus dixisset:

Ἐν Δήλῳ Λητὼ διδυμάονε γείνατο παῖδε,
Τιτηνὶς χαριέσσα, Διῒ φιλότητι μιγεῖσα. SCALIG.

lin. 5. *O sancte Apollo.*] Plenius apud Ciceronem:

O sancte Apollo, qui umbilicum certum terrarum obsides:
Unde superstitiosa primum evasit vox fera.

Ita ad verbum:

Ὦ Φοῖβ' Ἀπόλλων, γῆς μεσόμφαλα κρατῶν,
Ὅθεν τὸ πρῶτον θέσφατ' ἐχρήσθη βροτοῖς.

Superstitiosum autem, τὸ ἔνθεον καὶ θέσφατον. Plautus Curculione:

Superstitiosus hic quidem est: vera prædicat.

Item in Rudente:

Quid si ista aut superstitiosa aut ariola est?

Et Cassandra:

Missa sum superstitiosis ariolationibus. SCALIG.

lin. 9. *Neque hic locus.*] Vetus opinio est non modo vulgi, sed etiam hominum doctissimorum, *corporis humani medium esse umbilicum:* ex qua opinione manavit, in regionibus terrarum si qui locus medius esset, is ut diceretur *umbilicus*, Græce ὀμφαλός. Sic in Sicilia prata circa Ennam, ubi Proserpina fertur a Plutone rapta; quia credebantur medium Siciliæ tenere, ideo *umbilicus* Siciliæ appellabantur, ut refert Diodorus Siculus lib. 5. In Peloponneso locus quidam illius regionis medius, ὀμφαλὸς vocabatur, auctore Pausania. In agro Reatino Cutiliæ lacum, in quo fluctuet insula, Italiæ *umbilicum* M. Varro nominavit. Similiter Delphi *umbilicus* terrarum, & τῆς γῆς ὀμφαλὸς vocabantur. Liv. lib. 38: *Etiam Delphos quondam commune humani generis oraculum, umbilicum orbis terrarum, Galli spoliaverunt;* & lib. 51: *Ut repente in medio umbilico Græciæ conspiceretur, Delphos ascendit.* At Varro negat utrumque: neque Delphos esse terrarum medium, neque umbilicum hominis. Nam Delphis, inquit, in æde Apollinis est monumentum e lapide candido exstructum in modum thesauri publici, quod ὀμφαλὸς appellatur a rotunditate, non quod locus ille sit terrarum medius. In homine vero medium est id, quo discernitur homo, mas an femina sit. Itaque pingitur qui vocatur ἡ χθὼν Πυθαγόρα, ita ut media linea cæli & terræ ducatur infra umbilicum, in pubis ossium coalitu. Terra enim corpus est, eaque ambit & includit in medio cælum

five ignem genitalem, ut voluit Pythagoras, auctore Plutarcho in Numa. POPMA.

lin. 11. Ἰχθὸν *a Pythagora.*] Vulg. *Ichthon Pythagora.* Ἡ χθὼν Πυθαγόρα. Plutarchus vita Numæ: Νουμᾶς δὲ λέγεται καὶ τὸ τῆς Ἑστίας ἱερὸν ἐγκύκλιον περιβαλέσθαι τῷ ἀσβέστῳ πυρὶ φρουρὰν, ἀπομιμούμενος οὐ τὸ σχῆμα τῆς γῆς ὡς ἑστίας οὔσης, ἀλλὰ τοῦ σύμπαντος κόσμου. οὗ μέσον οἱ Πυθαγορικοὶ τὸ πῦρ ἱδρύσθαι νομίζουσι. καὶ τοῦτο ἑστίαν καλοῦσι καὶ μονάδα. τὴν δὲ γῆν, οὔτε ἀκίνητον, οὔτε ἐν μέσῳ τῆς περιφορᾶς οὖσαν, ἀλλὰ κύκλῳ περὶ τὸ πῦρ αἰωρουμένην, οὔτε τῶν τιμιωτάτων, οὔτε τῶν πρώτων τοῦ κόσμου μορίων ὑπάρχειν. ταυτὰ δὲ καὶ Πλάτωνά φασι πρεσβύτην γενόμενον διανενοῆσθαι περὶ τῆς γῆς ὡς ἐν ἑτέρᾳ χώρᾳ καθεστώσης. Ex his odorari potes, quæ Pythagoras περὶ χθονὸς ἐδογμάτιζεν in illa sua descriptione, quæ hic in Varrone vocatur ἡ χθὼν Πυθαγόρα. Mirum vero est, id, quod est medium in homine, per quod discernitur homo, mas an femina sit; vocari *terram* seu χθόνα a Pythagora, cum tamen Pythagoras ipse terram mediam universi esse negaverit. Quod patet ex loco Plutarchi a nobis adducto: item ex Aristotelis disputatione libro de Cælo secundo. Quare contra se hoc utitur argumento. Nam si sequitur Pythagoræ sententiam, sane ubi Pythagoras posuit terram, ibi medium non est. posuit autem in pudendis hominis: ergo pudenda hominis non sunt medium hominis. Pythagoras enim negat, terram esse mediam mundi. Quare frustra, ut dixi, hoc exemplo Pythagoræ utitur Varro. SCALIG.

lin. 12 sq. *Per id, quo discernitur homo, mas an femina sit.*] Διὰ τῶν αἰδοίων. Catullus:

Grandia te medii tenta vorare viri.

Martialis:

Et septem medias vorat puellas. SCALIG.

lin. 14. *Ubi.*] Marg. Scalig. *ibi.*

lin. 18. *Sed quod vocant Delphis in æde foramen. adlatum est*] Vulg. *Sed quod vocant Delphis in æde, foramen est, allatum.* Deest hic Græca vox μεσομφαλίαν. Ita legendum: *Sed quod vocant Delphis* μεσομφαλίαν *in æde, foramen est*, &c. Veteres autem omnes excusi habent, *Foramen allatum est quoddam*, non *adlatum*. Quod tamen persuadere conatur Vertranius, ut ex hoc adstruat correctionem suam. Sed profecto illa vetus lectio quam minimo negotio divinari potuit. Qui versati sunt in veterum scriptorum codicum lectione, non ignorant, in

illis scriptum esse, pallum pro palum: paullúm pro paulum, & allam pro alam. Sic hic allatum pro alatum. Alatum ergo foramen *τεταινιωμένον*, a fasciis in modum alarum utrinque pensilibus. Strabo lib. 9: Ἐνομίσθη δὲ καὶ τῆς οἰκουμένης, καὶ ἐκάλεσαν ὀμφαλὸν, προσπλάσαντες καὶ μῦθον, ὅν φησι Πίνδαρος, ὅτι συμπέσοιεν ἐνταῦθα οἱ ἀετοὶ οἱ ἀφεθέντες ὑπὸ τοῦ Διὸς, ὁ μὲν, ἀπὸ τῆς δύσεως, ὁ δὲ, ἀπὸ τῆς ἀνατολῆς. οἱ δὲ κόρακάς φασι. δείκνυται καὶ ὀμφαλός τις ἐν τῷ ναῷ τεταινιωμένος, καὶ ἐπ' αὐτῷ αἱ δύο εἰκόνες τοῦ μύθου. Locus Pindari, quem innuit Strabo, est in tertio Pythiorum. SCALIG. Legendum puto, *Foramen vallatum est.* Erat enim in templo Delphico cella subterranea, lapidibus magnifice exstructa, in qua populorum & regum opes dedicatæ asservabantur. Homerus:

Οὐδ' ὅσα λάϊνος οὐδὸς ἀφήτορος ἐντὸς ἐέργει
Φοίβου Ἀπόλλωνος πυθοῖ ἐνὶ πετρηέσσῃ.

Ubi λάϊνος οὐδὸς idem fere, quod hic *foramen vallatum.* Id autem genus cellæ Latini Græco nomine vocant *thesaurum*, ut Varro hic, & in epistola ad Sulpitium: *Quos thesauros Græco nomine appellaremus, priscos Latinos Flavissos dixisse.* Seneca ad Lucilium: *Nec in thesauro stipe infusa.* Liv. lib. 39: *Admonent deinde quidam, esse thesaurum publicum sub terra saxo quadrato septum.* Porro ita dixit Varro *In thesauri speciem*, ut Sallust. lib. 3 histor. *In modum templi celeberrimi.* Liv. lib. 34: *Locus saxo quadrato septus, atque arcis in modum emunitus.* Vellejus lib. 1: *In formam justi exercitus.* POPMA.

lin. 19. *Ut thesauri speciem.*] Nihil suspicatur de mendo hujus loci Vertranius: quasi in tam angustum foramen tot immanes gentium thesauri includi possent. Id tamen sentit ipse: nos contra. quippe levi mutatione hanc veram putamus lectionem: *Foramen alatum est quoddam tensarii specie.* Est, inquit, foramen simile tensario foramini, quod Græci vocant ὀμφαλόν. Homerus — ζυγὸν ὀμφαλόεντα. Enarrant grammatici, ὀμφαλόεντα, ὀμφαλοὺς ἔχοντα. ὀμφαλοὺς δὲ λέγουσι τὰς ἐν τῷ ζυγῷ τρώγλας, ἐφ' ὧν αἱ ἡνίαι δέδενται. Est ergo illud foramen tæniis utrinque vinctum, quemadmodum & tensarum umbilici, in quos inseruntur funes illi, quibus utrinque ad latus vinciuntur equi funales. Error autem hinc manavit, quod tensaurum pro thesauro scriberent, ut hodie visitur in marmoribus antiquis. Hic vero cum *tensari* scriptum esset, putarunt esse *tensauri* pro *tesauri.* Similis error in exemplo quodam Attii a Nonio adducto: — *frena tesauri equorum*

accommodant. Legendum enim *tensarii.* Tensarii, ut aurigarii, essedarii. Quamquam simplicius fuerit, si dicamus, foramen quoddam allatum esse Delphis, ut ibi esset quasi thesaurus quidam, quod Græci vocarunt ὀμφαλὸν, a similitudine humani umbilici. SCALIG.

ead. & sq. *Quod Græci ὀμφαλὸν, umbilicum, dixerunt.*] Tollenda vox *umbilicum*, quæ tantum erat interpretamentum Græcæ, a quodam studioso in ora libri annotatum. SCALIG.

lin. 21. *Calydonia altrix terra exuberantium virûm.*] Quod succinctius Græcis, βωτιάνειρα, καὶ κουροτρόφος. SCALIG.

lin. 27. *Areopagitæ quid dedere aliud, quam pedam?*] Vulg. *Areopagitæ cui dedere quam pudam.* In veteri lectione, *cui dedere quam peram.* Ex quibus vestigiis multum adjuti sumus ad veritatem ex tam deplorato loco eruendam. Illis enim diligenter pensitatis, succurrit statim esse locum ex Eumenidibus Ennii, quas ipse vertit ex Æschylo. Neque vero mihi dubium est, quin hæc sit vera scriptura:

Areopagiticam ea de re vocant petram.

Æschylus vero:

— ἔνθεν ἔστ' ἐπώνυμος
Πέτρα, πάγος τ' Ἄρειος. —

sed nihil facimus, nisi ostendamus, Eumenidas Æschyli versas esse ab Ennio. Quod faciemus, si ea, quæ in Nonio adducuntur ex Emenidibus Ennii, cum Æschylo conferamus. Primum illud:

——— *tacere opino esse optumum,*
Ut pro viribus sapere, atque fabulari tute noverint;

plane est ex illo:

Σιγᾷν ἀρήγει, καὶ μαθεῖν θεσμοὺς ἐμοὺς,
Πόλιν τε πᾶσαν εἰς τὸν αἰανῆ χρόνον,
Καὶ τόνδ', ὅπως ἂν εὖ καταγνωσθῇ δίκη.

Item:

Id ego æquum aptius fecisse me expedibo, atque eloquar.

Æschylus:

Σύ τ' εἰ δικαίως, εἴτε μὴ, κρῖνον δίκην.
Πράξας γὰρ, ἐν σοὶ πανταχῆ τάδ' αἰνέσω.

Item:

Nisi patrem materno sanguine exanclando ulciscerem;

plane ex illo:

Ἄλγη προφωνῶν ἀντίκεντρα καρδίᾳ,
Εἰ μή τι τῶνδ' ἔρξαιμι τοὺς ἐπαιτίους.

Quod autem est ex eodem,

Dico ego viciſſe Oreſtem, vos ab hoc faceſſite;
latius apud Æſchylum:

Νικᾷ δ' Ὀρέστης, κἂν ἰσόψηφος κριθῇ.
Ἐκβάλλεθ' ὡς τάχιστα τευχέων πάλους.

Illam vero Æſchyli fabulam totam nos vertimus veteri ſtilo Pacuviano. In quo maxime ſunt reprehendendi iſti, qui in veteribus poetis vertendis, eos tam diſſimiles ſui reddunt, ut pudeat me legere Homerum, Silii Italici, Sophoclem Senecæ verbis loquentem. Sed de his alias. SCALIG. In nonnullis antiquitus excuſis eſt: *Areopagitæ qui dedere quam pudam.* ex qua corrupta ſcriptura fortaſſis legendum: *Areopagitæ quoi dedere luam putam.* Ennii tragœdia fuit Eumenides, in qua tractavit judicium Oreſtis, quod ille ex materna cæde ſubiit in Areopago. nam duodecim Dei in illo divini humanique juris domicilio inter Oreſtem & Furias judicarunt, & cum ſententiæ ita variarent, ut eſſent æquales numero, contenderentque Eumenides illum condemnatum; Minerva abſolutioni calculum adjecit, cenſuitque, in pari numero ſententiarum abſolutionem damnationi præponendam eſſe. unde Cic. pro Milone: *Eum, qui patris ulciſcendi cauſa matrem necaviſſet, variatis ſententiis non ſolum divina, ſed etiam ſapientiſſimæ Deæ ſententia liberatum.* Eo fortaſſis pertinent hæc Ennii:

Dico ego viciſſe Oreſtem, vos ab hoc faceſſite;
Areopagitæ cui dedere luam putam.

Dare verbum judiciale, ut *dare ſententiam, litem*, frequens atque uſitata juriſconſultis, atque aliis bonis auctoribus locutio. *Lua* pro purgatione, abſolutione, vox poetica. Nam *Lua mater*, nomen Deæ, a luendo expiandoque, quod luſtrationibus & purgationibus præeſſet. POPMA.

lin. 29. *Muſæ, quæ pedibus magnum pulſatis Olympum.*] Citat Servius ex Ennio. *Pedibus pulſatis Olympum* dixit, ut Virgilius:

Sub pedibuſque videt nubes & ſidera Daphnis.

Aratus:

— θεῶν ὑπὸ ποσσὶ φορεῖται.

Catullus ex Callimacho:

Sed quamquam me nocte premunt veſtigia Divûm.

Ergo hic Olympus pro cælo. Veteres phyſici, atque etiam theologi, unicuique Muſæ ſedem ſuam in cælo aſſignarunt. De quo vide Macrobium in ſomn. Scip. libro 2, cap. 3. Ex quo intelligis, quare evocet Muſam e cælo Horatius, cum canit:

Descende cælo, & dic age tibia
Regina longum Calliope melos,
Seu voce tu mavis acuta,
Seu fidibus, citharave Phœbi.

ut desinat ineptire ille literator, qui nomine Helenii Acronis nescio quas nugas in eum locum effutivit. Nam plane Horatius prima invocatione sequitur veteres theologos: in ceteris autem verbis imitatus est Alcmana, ita canentem:

Μῶσ' ἄγε Καλλιόπα θύγατερ Διὸς,
Ἄρχ' ἐρατῶν ἐπέων· ἐπὶ δ' ἵμερον
Ὕμνῳ καὶ χαρίεντα τίθει χορόν.

citat Hephæstion. SCALIG.

Pagina 85.

lin. 3. *Quasi Hellespontum, & claustra.*] Cur vero hic non viderunt quædam desiderari? Nam hic mutila sunt verba, & nomen auctoris præ se non ferunt. Quamquam & sine auctore potuit adducere Varro, ut sæpe facit. Forsan ita restitui potest: *Ad Hellesponti claustra. claustra, quod Xerxes* &c. ex Medea:

Ἐφ' ἁλμυρὰν πόντου
Κλῇδ' ἀπέραντον.

Κλῇδα hic diserte vocat claustra. Ut etiam Æschylus in Persis dixerit, κλεῖσαι Βόσπορον, quod Herodotus ζεῦξαι. Ita enim scribit:

Καὶ τόδ' ἐξέπραξεν, ὥστε Βόσπορον κλεῖσαι μέγα;

Tametsi de verbis Ennii non satis mihi constat: tamen puto, verba, quæ hic desiderantur, ex illis Euripidis translata esse. SCALIG. Ennius lib. 7 Annal. opinior, dixit, classem illam CLX navium, qua C. Duillius Cos. Pœnos devicit primo bello Punico, cum in ancoris staret, fuisse Quasi Hellespontum, id est, claustra maris aut portus, ut loquitur Varro, & post eum Virgilius,

An memorem portus, Lucrinoque addita claustra.

& Lucanus:

Tunc claustrum pelagi cepit Pharon.

Et fortean de eadem classe procincta intelligenda verba sequentia, quæ ita in numeros redigi possunt:

Ut conferre ratem æratam quivere perite,
Per liquidum mare sudantes eunt, atque sedentes.

Romani milites, inquit, edocti artem remigandi, classem in

altum duxerunt. *Conferre ratem*, est, certatim & obnixe impellere. Ennius:

Cæruleum spumat sale conferta rate pulsum.

Plautus: *Bene navis agitatur: pulchre hæc confertur ratis. Ærata navis*, quæ æreo rostro in prora armata est. Virgil. lib. 10:

Quot prius æratæ steterant in litore puppes. POPMA.

lin. 7. *Concludit*] Marg. Scalig. *Conlidit.*

lin. 8. *Liqui in Ægæo freto.*] Vulg. *Alicui in* &c. Legendum puto, *Allicui in Ægæo freto.* Est antique dictum pro *Allexi*, ut pellicuit, pro pellexit. De Nauplio intelligendum. Euripides Helena de Nauplio:

— πέτραις Καφηρείαις ἐμβαλὼν Αἰγεῖ τε.

Adjuvat & Servius, qui in eum locum Virgilii,

Vel Priamo miseranda manus: scit triste Minervæ
Sidus, & Euboicæ cautes, ultorque Caphareus.

ait, Virgilium a Pacuvio de eadem re loquente accepisse: qui dixisset:

Si Priamus adesset, & ipse ejus commiseresceret.

Cui simile illud Sophoclis:

Ὡς καὶ παρ' ἐχθροῖς ἄξιος θρήνων τυχεῖν.

Restat, ut, ex qua fabula acceptum sit, videamus. Ego puto ex Duloreste Pacuvii, cum eo versu, quem supra adduximus ex Servio. Apud Priscianum ex Duloreste citantur hæc:

——— *pater*
In Caphareis saxis pleros Achæos perdidit.

Quod videtur dictum ex persona Orestæ, qui causam, quod ab omnibus urbe exigeretur, refert ad μῖσος patris, propter quem tot Græcorum proceres perdidisset Nauplius. Id videtur accepisse ex Euripide in Oreste:

ΟΡ. Ἐκβάλλομαι γὰρ δωμάτων ὅπη μολῶ;
ΜΕΝ. Τίνες δὲ πολιτῶν ἐξαμιλλῶνταί σε γῆς;
ΟΡ. Οἴαξ, τὸ Τροίας μῖσος ἀναφέρων πατρί.
ΜΕΝ. Συνῆκα. Παλαμήδους σε τιμωρεῖ φόνου.

Sed & quædam ex Oreste Euripidis in suam Dulorestem transtulisse videtur Pacuvius. ut illa:

Sed incertat me dictio, quin rem expedi.

Nam simile Euripidis:

Τίς; οὐ γὰρ οἶδα μᾶλλον, ἣν σὺ μὴ λέγῃς.

Item Euripidis:

— Ἀργεῖαί τε νιν
Ὑμνοῦσιν ὑμεναίοισιν. αὐλεῖται δὲ πᾶν
Μέλαθρον. —

Pacuvius Duloreste apud Nonium:

——— hymenæum fremunt

Æquales: aula resonit crepitu musico.

Aulam hic τὸ μέλαθρον vel vestibulum vertit. Plato explicat versum Pacuvii, in Symposio: Καὶ ἐξαίφνης τὴν αὔλειον θύραν κροτουμένην πολὺν ψόφον παρασχεῖν, ὡς κωμαστῶν καὶ αὐλητρίδος φωνὴν ἀκούειν. SCALIG.

lin. 13. *Pacuvius. (Æges) ferme aderant.*] Expungenda est vox *Æges.* Est autem versus sine dubio ex eadem fabula Duloreste. SCALIG.

lin. 16. *Dicitur: ut Ennius*] Marg. Scal. *dixit Nævius.*

ead. & sq. *Conferre aut ratem æratam.*] Scio *conferre ratem* Latine dici. Plautus:

Bene navis agitatur: pulchre hæc confertur ratis.

Significat συμβάλλειν, aut παραβάλλειν. ut conferre gradum. Tamen ita potius videtur legendum:

——— conferta rate, inærataque perite

Qui dium mare eunt sudantes, atque sedentes.

Conferta rate. idem:

Cæruleum spumat sale conferta rate pulsum.

Inærata. Val. Flaccus:

Primus inæratis posuissem puppibus arma.

Χαλκέμβολος Græcis. Et dium mare, ut εἰς ἅλα δῖαν. Inærata perite, ut εὖ ἀραρυῖαν. SCALIG. Prisca scriptura habet: *Ut conferre queant.* Ex qua lego:

Ut conferre queant, rate mœrataque perite

Per liquidum mare eant sudantes atque sedentes.

Rate mœrata, hoc est, *mūrata.* nam *muros ratis* dixit Ennius exemplo Græcorum, qui dicunt τοίχους τῆς νεώς. Porro versus isti Enniani, nisi fallor, loquebantur, quomodo primum Romani classem fabricare, & nauticæ rei dare operam cœperunt. quod contigit primo bello Punico, L. Valerio Flacco, & Otacilio Crasso Coss. ut refertur a Polybio lib. 1. Quamdiu igitur fabricabatur classis, consules statuebant exercitum in terra sedentem, & docebant, quomodo hortatori parendum esset, quomodo conferenda navis, quod nunc innuit Ennius. Sed præstat Polybii verba proferre, ut & historiæ progressus intelligatur, & conjectura nostra confirmetur. Οὐ μὴν ἀλλ' οἷς μὲν ἐπιμελὲς ἦν τῆς ναυπηγίας, ἐγίνοντο περὶ τὴν τῶν πλοίων κατασκευήν· οἱ δὲ τὰ πληρώματα συναθροίσαντες ἐδίδασκον ἐν τῇ γῇ κωπηλατεῖν τὸν τρόπον τοῦτον. καθίσαντες ἐπὶ τῶν εἰρεσιῶν ἐν τῇ χέρσῳ τοὺς ἄνδρας τὴν αὐ-

τὴν ἔχοντας τάξιν ταῖς ἐπ᾽ αὐτῶν τῶν πλοίων καθέδραις, μέσον ἐν αὐτοῖς στήσαντες τὸν κελευστὴν, ἅμα πάντας ἀνάπτειν ἐφ᾽ αὑτοὺς ἄγοντας τὰς χεῖρας, καὶ πάλιν προνομεύειν ἐξωθοῦντας ταύτας συνείθιζον, ἄρχεσθαί τε καὶ λήγειν τῶν κινήσεων πρὸς τὰ τοῦ κελευστοῦ παραγγέλματα. Quod vero ait Polybius, ἅμα πάντας ἀνάπτειν ἐφ᾽ αὑτοὺς καὶ πάλιν προνομεύειν τὰς χεῖρας, idem Ennius retulerat 7 Annal. ex quo & superiores quoque versus sumtos esse par est.

Poste recumbite, vestraque pectora pellite tonsis. Et:

Pone petunt, exin referunt ad pectora tonsas.

Quid enim aliud est, quam exercitatio Romanorum adhuc rei nauticæ imperitorum, de qua Polybius agit? Subjicit Polybius, ἄρχεσθαι καὶ λήγειν, τῶν κινήσεων πρὼς τὰ τοῦ κελευστοῦ παραγγέλματα. Ex eodem Annali versus Ennii, qui Polybium ad verbum interpretantur, proferamus:

——— tonsam ante tenentes
Parerent, observarent, portisculu' signum
Cum dare cœpisset ———

Qui enim κελευστὴς Polybio, is est *portisculus* Ennio. Apparet igitur, versus, quos postremos citavimus, non multum abfuisse ab iis, quos Varro hic profert: utpote cum eadem res in ipsis ageretur. SCALIG.

lin. 17. *Perit.*] Margo Scalig. *Peritet.*

lin. 18 sq. *Ratis dicta navis longa propter remos, quòd hi, cum per aquam sublati* &c.] Ubi, obsecro vos, illud etymon, quod Varro velle videtur constituere in voce *Ratis?* Usque adeone oblitus sui, ut præter morem suum contentus fuerit, ratem, quid esset, non unde esset, docere? Atqui metuendum non erat, ne Varroni deessent etymologiæ, non medius fidius magis, quam lusciniæ cantio, ut ait ille. Itaque huic voci reddetur veriloquium suum, si ita legas: *Ratis dicta navis longa, propter remos: quod hi cum per aquam sublati dextra & sinistra duas partes facere videntur, rarescunt: & hoc ratis. Stlatum, illud, ubi plures mali, aut asseres, ac restes: ab lato.* Ergo ratis ab rarescendo, quod rarescant ejus remi, cum dextra & sinistra tolluntur. Stlatum quoque idem erat: sed ille constituit quandam differentiam. SCALIG.

lin. 20. *Sunt dextra & sinistra.*] Vulg. *Sub dextra & sinistra.* Sed melius legeris sine præpositione. SCALIG.

lin. 22 sq. *Aut asseres. —— Agrestis ab agro.*] *Agrestis* male, pro *ac restes.* Quod vero corrupissent illud in *agrestis:* necesse fuit, ut, qui agrestis etymon vellet deducere, illud fa-

ceret ex agro. Quare merito inducendum eſt, & reponendum, *ab lato*. SCALIG. Videtur legendum, *Ac reſtes, a raro. Rates* vult dictas *a raro* ſive *rareſcendo*, quod ex pluribus partibus conſtant. Sunt enim *rates* plures mali aut aſſeres connexi, qui per aquam aguntur. hinc tralatitie *ratis*, navis longa, in qua remi, cum a remigibus ſuper aquam ſublati ſunt dextra & ſiniſtra, duas partes efficere videntur. Sed argutatur Varro, nec animadvertit, primum ſolitos antiquos navigare ratibus & parvis quibuſdam actuariis, inventis in mari rubro inter inſulas ab Erythra rege, ut tradunt Plinius & Diodorus Siculus: poſtea repertis longis navibus, priſtinum *ratis* nomen manſiſſe, id quod in multis aliis accidit. Melius ergo Feſtus: *Rates vocant tigna colligata, quæ per aquam aguntur. quo vocabulo interdum etiam naves ſignificantur.* item remi. POPMA.

lin. 24. *Inſulas dictas apparet.*] Deeſt hic exemplum auctoris veteris, in quo illa mentio inſularum facta erat. Quare hic notandum, quædam deeſſe. Porro inſularum nomen Latinum eſt. Infilare veteres dicebant amicire & velare, ut puto: cum contra exuere dicerent, exfilare. Inde ergo inſulæ. Tæniarum vero appellatio Græca eſt. Clemens Alexandrinus: *Καθαρσίων μεταλάμβανε θεοπρεπῶν, οὐ δάφνης πετάλων, οὐ ταινιῶν τινων ἐρίῳ καὶ πορφύρᾳ πεποικιλμένων.* Et quod ait, velari ſolita ſepulcra, eum morem intellexit Cæcilius Comicus Androgyno:

Sepulcrum plenum tæniarum ita, uti aſſolet.

Tamen eas tænias ſepulcrales melius Græci vocant *κειρίας*, quaſi *κτερίας*, a mortuis. SCALIG.

lin. 26 ſq. *Cum ad ſepulcrum* &c.] Hunc morem plane expreſſit Virg. lib. 2 Æneid. de ſepulcro Sichæi:

Præterea fuit in tectis de marmore templum
Conjugis antiqui, miro quod amore colebat,
Velleribus niveis, & feſta fronde devinctum.

quod Servius interpres non recte accipit de poſtibus, quas novæ nuptæ laneis vittis ſolebant ornare, cum primum mariti domum ingrediebantur. Capitolinus in M. Aurelio: *Tantum honoris magiſtris ſuis detulit, ut imagines eorum additis hoſtiis & floribus ſemper ornaret.* Eodem pertinet illud Nævii:

——— *velatas frondentis comas.*

quod Virgilius imitatus lib. 3 Æneid.

Velataſque comas præſentiaque ora videbat.

& lib. 8:

——— *Herculea bicolor cum populus umbra,*

Velavitque comas, foliisque innexa pependit.
Velatæ autem sunt vittatæ. Plautus Amphitruone:
Velatis manibus orant ignoscamus peccatum suum. POPMA.
lin. 28. *Sed velatas frondenteis comas.*] Locus mendosus. AUGUSTIN. Vulg. *Ideo Nævius ait, Sed velatas* &c. Melius, *velatus frondentes comas.* Forsan ex Alcestide:

— κατεκώμαζον κάρα
Στεφάνοις πυκασθείς.

Verba Herculis. Vertit enim Euripidis Alcestin Nævius. Illa satis probant: *manciolis tene Illis.* Euripides:

Ἐπὶ τοῖσδε παῖδας χειρὸς ἐξ ἐμῆς δέχου.

Item:

Hoc fieri impendio fit.

id est, fieri incipit. Ex illo:

Σύ τ' εἴργεις, τὰ δ' ἕτοιμα.

At illa planius ex chori persona:

Corpore, pectoreque undique obeso,
Mente exsensa, tardigemulo
Senio oppressum —

Supple vidi, aut habui.

Ἐμοί τις ἦν ἐν γένει, ᾧ κόρος ἀξιόθρηνος
Ὤιχετ' ἐν δόμοισι μονόπαις. ἀλλ' ἔμπας
Ἔφερε κακὸν ἅλις, ἄτεκνος ὤν,
Πολιὸς ἐπὶ χαίτας, ἤδη προπετὴς,
Βιότου τε πρόσω. SCALIG.

ead. & sq. *Cornuatam umbram.*] Vulg. *Cornua taurum.* Non est ex superiore Nævii exemplo, sed est aliud testimonium poetæ nescio cujus, ex Coronide anapæstica. ita videtur distinguendum:

——— *cornuat aurum,*
Umbram jacit: icere paret. Cornuat a cornibus. Cornua a curvore, &c. Cornuat, elegans verbum, pro flectit & incurvat arcum, donec cornua arcus inter se coeant; ut Maro:

— *donec curvata coirent Inter se capita.* —

Et aurum pro aurato arcu. Sic Ennius Almæone:

Intendit crinitus Apollo
Arcum auratum luna innixus.

Luna innixus dixit, quod Ovidius lunare arcum. Sic — *pleno se proluit auro*, aurea patera. Sic Pindarus δαμασίφρονα χρυσὸν vocat, quem paulo superius χαλινὸν χρυσάμπυκα. *Umbram jacit.* Sic loquitur Plinius libro 2, id est, jam Umbram jacit imminentis teli, aut sagittæ: ut paulo post, *icere*

paret. Poterat tamen legi, *Vibrans jacit;* aut, *Vibrat, jacit.* Nihil tamen muto. Et, *icere paret,* non *apparet*, ut fiat coronis anapæstica. *Paret* etiam in formulis Jurisconss. legitur. Ad quod allusit Petronius Arbiter:

Jurisconsultus Paret, Non paret habeto. Et *icere paret,* ut Homerus βαλέοντι ἐοικώς. SCALIG. Antiqui libri *Cornua taurum:* unde legendum, *Cornuat aurum.* Mos Romanus, victimas majores cornibus inauratis, & capite velato infula atque candida vitta, ante aras immolandas sistere. Virgil. lib. 10:

Et statuam ante aras aurata fronte juvencum
Candentem, pariterque caput cum matre ferentem.

Ovidius:

——*blandis inductæ cornibus aurum,*
Cæciderant ictæ nivea cervice juvencæ.

Atque eo pertinebant verba Ennii, quæ hic exciderunt, in quibus facta erat mentio infularum: tum illa, *Cornuat aurum, umbram jacit*, id est, cornua hostiæ auro induit & obducit. *Infulæ*, velamenta, ut hic. Arnobius lib. 5: *Quid coronæ? quid violæ? quid volucra mollium velamenta lanarum?* POPMA.

lin. 30 sq. *Quod pleraque curvamus. At quas memorat nosse vos esse.*] *Curvantur* forte. AUGUSTIN. Vulg. — *memorant nosse nos esse.* Apponam hic lectionem, quam puto esse veram, ne quid nos fallat Italorum commentitia: *Cornua a curvore dicta, quod pleraque curva. Musas quas memorant Casmœnas esse. — Casmœnarum priscum vocabulum, &c.* Est ergo testimonium alicujus poetæ: & non dubito esse Ennii. Quare qui melius conjectaverit, palmam ferat, & aheneus stet. SCALIG. Ennius fortassis ita scripsit:

Musai quas memorant Casmenas esse Latini,
Musai quæ pedibus magnum polsatis Olympum.

Nam Homerum suum secutus in principio Annal. invocavit Musas, ut téstatur Varro lib. 1 de Re rustica. POPMA.

Pagina 86.

lin. 5. *Cosauli, Dolosi, Eso.*] Locus mendosus. AUGUSTIN. Vulg. *Orculo, dolosi, ero.* Vetus scriptura, *Cosauli:* forsan *Cæsuli*, pro *Cæruli;* vel, *Cosaullæ*, pro *Corollæ:* ut aula, olla. Tamen dubito. Nam quis hodie Saliaria carmina interpretari se postulet, quæ olim magnis quoque viris laborem facessebant? Quid enim de illis ait Cicero? quid item Varro, qui testatur, Ælium in iis pauca esse assecutum? Quare ego

postulem post tot magnos viros, ut perdam semper, assidue ludere aleam? ut inquit ille. SCALIG.

ead. & sq. *Omnia vero adpatula coemisse. Jam Cusiatii, Muses, Ruse, dumque Janus venet: post Melios, Melior.*] Vulg. *Omnia vero at patula coemisse, jani, cusiames duo nuseruses, dumque janusque venet.* Hæc sat erant, quæ vel eruditissimos viros deterrerent a tanto negotio aggrediendo: nedum ego tam molestam provinciam detrectarem. Quod videri possit aut temerarii in tantis erroribus, aut arrogantis, post tantos viros, manum huic auctori admovere. Tamen quis negarit, nos in multis non infeliciter operam posuisse? Quod quia feliciter cessurum speramus, non est, quod post tanta, prope dixerim, ἀνδραγαθήματα, in hoc uno παρακινδυνεύματι animum despondeamus. Non enim affirmare possum, quid vere hic excogitatum a nobis sit, quid non vere. Hoc relinquimus illis, qui, quod non inepte hic dictum observaverint, industriam saltem, si qua ea est, laudare poterunt: nec, cum perperam aliquid animadversum erit, voluntatem improbabunt. Ponamus igitur, ita Varronem scripsisse, donec majora ingenia aliquid verisimilius comminiscuntur: *Ut in carmine Saliari sunt hæc: Cosaullæ, dolosi, eso. Ennio vero ac Pacuvio, misesia, incusia, mesidie, onese, rudesumque, Venese, quod venere post, melios, melior* &c. Itali multa hinc, quod ea emendare non potuerunt, sustulerunt: quam temerario consilio, vides. SCALIG. Jam, nisi fallor, ex vestigiis antiqui libri veram lectionem hujus depravatissimi loci eruimus, quam antea frivolis conjecturis indagabamus:

——— omnia
Dapatilia comisse Jani cusiones.
Duonus ceruses Divius Janusque venit.

Sunt autem duo versus Saturnii, quo genere conscriptum fuit carmen Saliare. Neque enim ante tempora Ennii aliud genus carminis tractarunt Romani. Nam Livius Andronicus prosa oratione, non versibus, scripsit Odysseam. Illa autem vox *omnia* in primo versu, non est ipsius versus. fortasse est præcedentis. *Dapatica* & *dapatilia* veteres vocabant omnia opipara. *Comisse* igitur est comedisse, ab eo, quod comest, non comedit dicebant. *Comisse* igitur, quod postea *comesse*. Neque aliter invenitur apud Plautum. *Duonus ceruses*, est prisca lingua, bonus creator. Nam Cerus in carmine Saliari erat creator: quod alibi notamus. ut a *gnarus* factum *gnarures*, quo Plautus utitur; & Ausonius:

Non promus instans, non arator gnarures.

ita a *cerus* factum *cerures*, quod veteres dicebant per s *ceruses*. Et hoc est, quod hic disputat Varro. *Divius* & *Divianus*, qui postea Janus. ut Divia & Diviana, quæ postea Jana & Diana, auctore etiam eodem Varrone. *Cusiones* sunt Curiones, nempe ii, qui curialia sacra faciebant. hic vero etiam pro ministris sacrificiorum, ut sæpe. Idem. Marg. Scalig. *convenisse* pro *coemisse*. Videndum, an legi debeat: *Jania vero ad patula convenisse. Jani cusiones Duonus cerus dumque Janusque venet.* fuerunt enim versus Saturnii, quos luxatos suis numeris Varro, ut solet, adduxit. *Jania* templum Jani Quirini, ut *Minervium*, *Dianium* & similia; quod semper patebat, nisi cum pax esset pop. Rom. terra marique parta. *Cusiones* pro *curiones* sunt ministri sacrificiorum. *Duonus cerus* est bonus creator, ut in eodem carmine Saliari Janus indigitabatur *Cerus manus*, id est, creator bonus, auctore Macrobio. *Venet* pro *venit*, ut in columna Duillii, *Pugnandod cœpet*. Popma.

lin. 12. *Divum exta cante.*] Obscurus locus: tamen Divum Deum, puto intelligi Janum, ut conjicimus ex Macrobio: qui eum in Saliari carmine ita vocari scribit. Puto etiam eum per Cerum manum, id est, procreatorem bonum intelligi. *Supplice* autem pro suppliciter. De ejusmodi adverbiis vide Nonium. Scalig.

lin. 14. *Veteres Casmenas cascas res volo profari. Et primum.*] *Profari volo*, quidam. Augustin. Ita dispone:

Veteres, o Camenæ, cascas res volo profarier
Et Priamum. —

O Camenæ, volo profarier veteres & Cascas res, nimirum Priamum. Nam non de Casmenarum appellatione amplius agit, sed de Casco. Scalig.

lin. 18. *Quam primum casci populi genuere Latini.*] Hunc versum Ennii intelligit Cicero prima Tusculana. Cascos autem Latinos interpretor eos, qui ante Romam conditam in colonias deducti sunt a Latino Silvio Albanorum rege. Quæ a Romanis postea Priscæ dictæ sunt. Auctores Livius & Festus. In Dionysio legitur, Λατῖνοι οἱ καλούμενοι Πρῖσκοι. Scalig.

lin. 19. *Manilius.*] Marg. Scalig. *Manlius.*

ead. *Cascum duxisse cascam*, &c.]

Cascum cascam duxisse non mirabile 'st:
Quoniam canoras sanciebat nuptias.

Pertinet huc titulus Satyræ Varronianæ, εὗρεν ἡ λοπὰς τὸ πῶμα. περὶ καθηκόντων, ἢ περὶ γεγαμηκότων. Quam ego utramque scripturam offendi in codice Nonii manu scripto, antequam vidissem annotationes Adriani Junii, viri eruditi, qui περὶ γεγαμηκότων se offendisse in veteri codice testatur. SCALIG.

lin. 20. *Quoniam canoras.*) Legendum omnino: *Quoniam Caron eas faciebat nuptias.* Caron, prout tunc sine aspiratione scribebant, est Charon. Quid igitur argutius hoc epigrammatio? Quod decrepito decrepita nupserit, Charontem eorum fuisse pronubum & auspicem, ait Manilius. SCALIG.

lin. 21. *Papinii epigrammation.*] Exstat hic perlepidum perque venustum Papinii epigrammatium in adolescentem Cascam, sed quibusdam tamen locis inquinatum, atque maculatum, ego creta quadam cimolia ejus maculas detergere conabor, proponamque id, quemadmodum scribi debere censeam:

Ridiculum est, cum te Cascam tua dicit amica,
Fili potoni sesquisenex puerum.
Dic tu illam pusam: sic fiet mutua muli:
Nam vere pusus tu, tua amica senex.

Cum invenissem in vetere libro *potonis esqui senex*, existimavi *potoni sesquisenex* legendum, id est, plusquam anus. *Senex* enim de muliere etiam dicitur, ut, *tua amica senex.* Sunt & duo jambici versus oppido quam elegantes Manilii, de casca cascam ducente. in quibus canoræ nuptiæ sunt congruæ, convenientes, concinentes. TURNEB. *Pomponii* apud Priscianum. Sic autem ejus epigramma legendum est:

Ridiculum est, cum te Cascam tua dicit amica,
Fili Petroni, sesquisenex puerum.
Dic tu pusam illam: sic fiet mutuo muli.
Nam vere pusus tu, tua amica senex.

Secundum autem versum acceptum referimus nunquam satis laudato viro Adriano Turnebo, unico Galliæ nostræ atque adeo totius Europæ ornamento. *Senex* autem feminino, ut Tibullus, si bene memini:

Hanc rident merito tot mala ferre senem. SCALIG.

Pomponii poetæ duo celebrantur, unus *L. Pomponius* Bononiensis, Attellanarum auctor antiquissimus, sensibus celebris, verbis rudis, & novitate inventi a se operis commendabilis, ait Paterculus. Alter *Lucius Pomponius Secundus*, tragicus vates civisque clarissimus, temporibus Caji & Claudii Imperat. de

quo crebra mentio Senecæ, Plinio, & Tacito. Ab utroque diversum puto illum Epigrammatarium, quem Varro hic nominat, ad quem forte referendum poema Marsyas, quod ut impudicum notat Arnobius lib. 2 adversus Gentes: *Fornicem Lucillianum, & Marsyam Pomponii obsignatum memoria tenetis.* Videtur autem tractasse de nocturnis stupris & variis generibus libidinum, quibus infamis statua Marsyæ Dei in celeberrima fori parte, ubi causæ agebantur. Seneca de Beneficiis lib. 6 de Julia Augusti filia: *Pererratam nocturnis comessationibus urbem, forum ipsum ac rostra, ex quibus pater legem de adulteriis tulerat, filiæ in stupra placuisse; quotidianum ad Marsyam concursum, cum ex adultera in quæstuarium versa, jus omnis licentiæ sub ignoto adultero peteret.* POPMA.

lin. 23. *Ridiculum* &c.] Priscianus lib. 3 refert ex Pomponio postrema verba hujus epigrammatis, *tua amica senex 'st.* cetera mendose scripta redegit in hunc ordinem Octavius Pantagathus, qui permulta alia restituit. Veteres libri sic habent: *Ridiculum est cum te cascam tua casca dicit. Amica Philopotonis ejus, qui senex puerum dici pusum, puellam pusam. Sic fiet mutuam mulinam, ut sis vere pusus tu, tua amica senex.* AUGUSTIN.

lin. 24. *Philotonis.*] Antiqui libri: *Filoptonis ejus qui senex.* Unde legendum: *Filia Tithoni, sesquisenex.* Festive vetulam appellat filiam Tithoni, cujus senectus in proverbium abiit, Τιθώνου γῆρας. Ita Martialis de vetula, Pyrrhæ filia, Nestoris noverca. POPMA.

lin. 27. *Cassinum.*] Primam corripuit Silius lib. 12:

——— *Nymphisque habitata Casini*
Rura evastantur. —

Et ita legitur in Plinianis exemplaribus. SCALIG. Idem in margine *Cascinum.*

lin. 29. *Unde & Cassinum forum vetus.*] Quod ait Varro, *etiam nunc Casinum forum vetus appellant*, intelligo, oppidum Casinum a Romanis appellatum fuisse *forum vetus.* Nam fori nomen multis indiderant oppidis, ut *foro Cornelii, foro Sempronii, foro Livii.* TURNEB. Pro *Cassinum* Marg. Scalig. *Cascinum.*

ead. & sq. *Item significant in Attellaneis aliquot pupum senem, quod Osci Casnar appellant.*] In antiquis libris scribitur: *Item significavit in Attellanis aliquot pappum senem, quod casnar appellant.* hic *pappum senem* esse suspicor carduorum lanuginem, senilem hominum canitiem æmulantem: Græci γήρειον appel-

lant. editiones *pupum* habent. qui volet, eas ſequatur. TURNEB. *Pappum ſenem* legimus. Alibi rationes reddimus. SCALIG.

lin. 31. *Oſci Caſnar appellant.*] Ita lege apud Nonium, *Caſnares ſeniles. Varro ſexageſimo : vix ecfatus erat, cum more majorum, ultro Caſnares arripiunt : de ponte in Tiberim deturbant. Senibus craſſis heu muli non videmus quid faciant. Nam quis patrem nunc decem annos natus non modo aufert, ſeu tollit, niſi veneno?* Alluſum autem ad vetus proverbium, Sexagenarios de ponte: quare & depontani ſenes dicebantur. Ab eo inſcripta eſt ſatyra Sexageſimus, Hoc etiam fieri ſolitum in Ceorum inſula. teſtis Menander:

Καλὸν τὸ Κείων νόμιμόν ἐστι Φανία,
Ὁ μὴ δυνάμενος ζῆν καλῶς, οὐ ζῇ κακῶς.

Strabo explicans hos verſus, προσέταττε γὰρ, ὡς ἔοικεν, ὁ νόμος, τοὺς ὑπὲρ ἑξήκοντα ἔτη γεγονότας κωνιάζεσθαι, &c. Meminit & Stephanus dictione ἰουλίς. Ælianus quoque de Varia hiſtoria lib. 3. Ad quod videtur Cæcilius Hymnide alluſiſſe:

Sine ſuam ſenectutem ducat : utique ad ſenium ſorbitio.

ut Perſius, *ſorbitio tollit quem dira cicute.* In Varronis verbis hæc præſtitimus. Teſtimonia tria, quæ diverſis locis divulſa ſunt apud Nonium, conjunximus. Deinde ubi in Nonio ſcriptum erat, *carnales ſedules*, ſcribimus, *Caſnares, ſeniles.* Poſtremo, ubi vulgati codices habebant, *homuli* : manu ſcripta lectio habet, *heu muli.* Erat autem convitium in ſtupidos. Catullus : *Mule nihil ſentis.* SCALIG.

Pagina 87.

lin. 1. *Profectum a verbo Ambe.*] Hoc verbi, ſollicitos & anxios habet grammaticos. Ego *ambe* puto eſſe *circum*, quod diminutum dicitur *an*, ut in *anquiro.* Integrum eſt & incolume in explicatione ancilium in libris antiquis. Nam editionum cenſores eum quoque locum violarunt atque læſerunt. *Ancilia dicta ab ambeciſu.* Dicitur & *ambu*, ut in *ambubajis.* TURNEB. Al. *A verbo Ambio.* Antiqui libri : *A verbo Ambe*, ut fortaſſe legendum ſit, *A præverbio ambe.* Varro appellat *præverbia*, quæ nos *præpoſitiones*, inter quas *am*, id eſt, *circum*, quod idem *ambe*, ut *quamde*, *inde*, vel *endo*, pro *quam*, *in.* Similiter infra, *ancilia dicta ab anciſu* : quidam libri *ab ambeciſu.* POPMA.

lin. 7. *Canis caninam non eſt.*] Juvenalis:

——— *parcit*

Cognatis maculis similis fera. —

Æschylus Supplicibus: Ὄρνιθος ὄρνις πῶς ἂν ἁγνεύοι φαγών; Proverbium. Allusit eo Martialis:

Pellem rodere qui velit caninam.

Caninam, si pro pelle, bene. Nam ita κυνέαν Græci. Si pro carne, melius dixisset *catulinam*. Plinius libro 29: *Catulinam adjicialibus quidem celebrem epulis fuisse, Plauti fabulæ sunt indicio.* Intelligit autem Plinius Saturionem fabulam, in qua Plautus ejus rei mentionem fecerat. Festus: *Catulinam carnem esitavisse, hoc est, comedisse Romanos, Plautus in Saturione refert.* Quamquam ego sane esitavisse non puto, sed tantum Canario sacrificio canes mactari solitas ad Caniculæ sidus placandum. Græce dicitur περισκυλακισμός. Item in Lupercalibus, ut refert Plutarchus. Video & dubitari, quæ esset adjicialis cœna in verbis Plinii. Ea erat, quoties aut inaugurandi alicujus gratia, aut propter aliud quid, puta publicam lætitiam, indicebatur epulum. Idque dicebatur epulum, aut cœnam adjicere. Cornelius Tacitus Annali 2: *Rescuporis sanciendo, ut dictitabant, fœderi, convivium adjicit, tractaque in multam noctem lætitia per epulas ac vinolentiam*, &c. SCALIG.

ead. & sq. *Litera commutata Abagio, dicta.*] Lego: *Litera commutata ambagio dicta. Ambiegna* autem est, circum quam duo sunt agni. TURNEB.

lin. 18. *Tantidem quasi feta canes sine dentibus latrat.*] Ita lege:

Tantidem quasi feta canes sit, dentibu' latrat.

Sophocles Electra, τοιαῦθ' ὑλακτεῖ. Plautus Captivis:

Ne canem quidem irritatam voluit quisquam imitarier,

Saltem ut si non arriderent, dentes ut restringerent.

Festus: *Hirrire, ringere: quod genus vocis est canis rabiosæ.* Lucilius de litera R:

Irritata canes quod, homo quam, planiu' dicit.

Idcirco Persius *caninum* vocat:

——*sonat hic de nare canina Litera.*

Tamen hirriunt & ringunt, cum jam restringunt dentes: Mutiunt vero, cum incipiunt irritari: ab eo, quod *M* vel *Mῦ* videntur edere. Itaque Plautus dixit, *Plautus cum latranti nomine.* est enim M. Plautus. SCALIG.

lin. 19. *Nequam & magnus homo.*] Μέγας apud Aristophanem est stolidus & ineptus. Quidam etiam ita interpretantur

in proverbio οὐδεὶς, σαπρὸς, μέγας, ἰχθῦς. Videtur tamen auctor illius acroteleutii hoc sensisse, Omnis piscis, quantumvis magnus, nullus est, si putidus. Idcirco idem est apud Plautum, *Nequam est piscis, nisi recens.* Stratonicus vero primus hoc protulit in Simylam quendam magnum & procerum, sed ineptum & stolidum, per parodiam, ut puto, ex quodam poeta: non autem quod ita poeta ille sensisset. SCALIG.

ead. & sq. *Laniorum immanis canes ut.*] Homerus eodem modo,

——— ὄρνιθος ὥς. SCALIG.

lin. 24. *Quod latratu signa dant, ut signa canant* &c.] Lego: *Ut signa canunt, canes appellatæ.* TURNEB. Non putarunt, hunc locum mendosum esse, qui tamen ita legendus est: *Quod latratu signa dant, ut, Signa canunt.* — citat enim illud commatium ex Ennio, ut puto. Sic supra, *Canis, quod, ut tuba & cornu, signum cum dant, canere dicuntur*, &c. SCALIG.

lin. 27. *Una trabes remeis.*] Versus hic nescio an sit Ennii, cujus mox subjicit nomen, & notissimum carmen ex Medea? an Livii Andronici, qui res gestas octodecim annorum totidem Annalium libris descripsit versibus heroicis, ut testatur Diomedes. Cujus cujus sit, ita videtur posse suppleri:

Sulcavitque trabes remis rostrata per altum.

Aliis placet:

Una trabes remis sulcat rostrata per altum.

Sed dictio *una* est Varronis, non poetæ. POPMA.

lin. 28 sq. *Casa accidisset.*] Aliis *cecidisset: πεσεῖν.*

Μηδ' ἐν νάπαισι Πηλίου πεσεῖν ποτε Τμηθεῖσα πεύκη.

Prior lectio magis placet. Ita loquitur ipse Varro Parmenone: *Caditur lucus: alia frons decidit Pallados, platanos ramis: alia trabs pronis in humum accidens proxumæ frangit ramos cadens. Alius teneram abietem runis solo percellit: alius caballum arboris ramo in humili alligatum relinquit, ferens ferream humero bipennem securim.* Quæ verba quinque exemplis productis a Nonio dispersa in hunc modum conjunximus: nonnulla etiam ex manu scripta lectione restituimus. SCALIG.

lin. 31. *In Medo Ennius.*] Perperam huc irrrepsit nomen Ennius. Sic apud Diomedem ille versus, *Quis tu es mulier*, &c. falso citatur ex Medo Ennii, pro Pacuvii. SCALIG.

Pagina 88.

lin. 3. *Dicitur in nuptiis Casmillus, qui cummerum fert.*]

Lego: *Itaque dicitur in nuptiis camillus, qui cumerum fert.* Defenditur hæc emendatio Festi auctoritate, vas istud, quod in nuptiis ferebatur, *cumeram* appellantis, & *camillum*: quod &, ut ait, a camillo ferebatur opertum, utensilia nubentis continens. TURNEB. Vulg. *Qui cum merum fert.* Ex Festo repone: *Qui cumerum fert.* Etiam annotavit Vertranius. SCALIG. *Camillus* appellabatur in nuptiis puer patrimus & matrimus, qui ferebat cumeram, vas, in quo erant novæ nuptæ utensilia: in sacrificiis minister flaminis & flaminicæ: in Samothracum mysteriis præminister magnorum Deorum. Est autem hoc nomen origine, non, ut Varro putat, Græcum, sed Phœnicium aut Syriacum. Nam Turreni, sive Osci, qui a Phœnicibus duxerunt originem, & initio habuerunt linguam Aramæam, *cadmolum* appellarunt puerum ingenuum, quem ab illis orti Latini *camillum*, auctore Dionysio lib. 2 Antiquit. Rom. Nimirum a Cadmo illo Tyrio, qui primus literarum usum invenit, & homines ad vitam humaniorem revocavit: quæ omnia Græci transtulerunt ad suum Ἑρμῆν, eumque cognominarunt κάδμον & κάδμιλον, ut est apud Lycophronem. POPMA.

lin. 4. *In quo quid sit in ministerio plerique extrinsecus neclunt.*] Lego: — *plerique extrinsecus nesciunt.* TURNEB. Vera est lectio, *nesciunt.* Festus ait, utensilia novæ sponsæ in eo reponi solita. At apud Græcos, ex quibus hic mos deductus, puer ille ingenuus, quem ἀμφιθαλῆ vocabant, ἐν λίκνῳ, qui hic dicitur cumera, panes gestabat, cum hac incentione, ἔφυγον κακὸν, εὗρον ἄμεινον. SCALIG.

lin. 5 sq. *Casmillus nominatur in Samothraces mysteriis.*] Vulg. *Casmilos.* Μυοῦνται δὲ ἐν τῇ Σαμοθράκῃ, ait interpres Apollonii, τοῖς Καβείροις, ὧν Μνασέας φησὶ καὶ τὰ ὀνόματα. τέσσαρες δέ εἰσι τὸν ἀριθμὸν, Ἀξίερος, Ἀξιόκερσα, Ἀξιόκερσος. Ἀξίερος μὲν οὖν ἐστιν ἡ Δημήτηρ· Ἀξιόκερσα δὲ, ἡ Περσεφόνη· Ἀξιόκερσος δὲ, ὁ Ἅδης. ὁ δὲ προστιθέμενος τέταρτος Κάσμιλος, Ἑρμῆς ἐστιν, ὡς ἱστορεῖ Διονυσόδωρος. Mnaseas iste, quem hic grammaticus citat, fuit genere Phœnix, & Phœnicum gesta omnia in literas retulit, ut novimus ex Josepho. Etiam ipsius nomen Manasses Phœnicium est. Quo magis moveor, ut καβείρους θεοὺς dicam alios non esse, quam Divos potes. Nam Phœnicia & Syriaca lingua Cabir potem & potentem significat. Porro de Camillo puero ingenuo vide Plutarchum in Numa, Dionysium lib. 2, qui ait, quem Romani Camillum vocabant, a Turrenis Cadolum dictum. Camillus ergo

est ille, quem Græci παῖδα ἀμφιθαλῆ vocabant, quem patrimum, matrimumque, & puberem interpretantur. Item ostendit vetus carmen, *Hiberno polvere, verno luto grandia farra camille metes.* Quod Cato expressit his verbis, *Agro sicco per sementim, agro læto per ver.* Plutarchus in Quæstionibus Naturalibus simile refert proverbium: Διὰ τί λέγεται, σῖτον ἐν πηλῷ φυτεύετε, τὴν δὲ κριθὴν ἐν κόνει. Nempe hæc quæstio pendebat ex superiori, διὰ τί πυροφόρος ἡ πίων καὶ βαθεῖα χώρα, κριθοφόρος δὲ μᾶλλον ἡ λεπτόγεως; SCALIG.

lin. 9 sq. *Subulo finitimas propter astabat aquas.*] *Subulo* mihi videtur esse tanquam *sibilo*: exponitur a vetere critico αὐλητής. TURNEB. Puto esse ex Sotadico carmine Ennii. Sotadicum facies, si *aquas* ponas in penultimo loco. Quomodo legitur in Festo, est plane trochaicus septenarius catalecticus: *Subulo quondam marinas propter astabat plagas.* — Forsan & apud Macrobium legendum, *Vicem Planipedis, & subulonis impudica & prætextata verba jacentis*: quod ad tibiam ejusmodi versus impudici funderentur. Tamen nolim mutari lectionem vulgatam, quæ habet *sabulonis*: videturque esse instrumentum citharœdicum. Memini enim me legere apud Apulejum, Sabulum esse genus organi musici, sive illud sit psalterium, sive cithara, sive quid simile, quod fidibus tenderetur, & plectro pinseretur. Ad illud igitur illa impudica & prætextata verba cani solita innuit Macrobius, & nos supra ostendimus ex Varrone ὄνος λύρας:

Et orthopallica attulit psalteria,
Quibus sonant in Græcia dicteria,
Qui fabularum collocant exordia,
Ut comici, cinædici, scenatici, &c.

Astabat, non muto. Tamen poterat legi, *assabat.* Assare tibicines dicuntur, cum canunt tibia, nulla aliorum voce admixta: sicut contra, canere assa voce dicuntur, qui nullis admixtis musicis instrumentis, sola voce canunt. Ab eo Græcis ψιλοκιθαρισταὶ dicuntur, ut Athenæo lib. 12, cum tantum κιθαρίζουσιν. Itaque ea dicebantur ἄφωνα κρούματα Pausaniæ, quæ erant sine voce. Ὀγδόῃ δὲ πυθιάδι, inquit, προσενομοθέτησαν κιθαριστὰς τοὺς ἐπὶ τῶν κρουμάτων τῶν ἀφώνων, id est, assorum. Non enim solum vox dicitur assa, quæ sine tibiis, sed etiam tibiæ assæ, quæ sine voce. Est ergo assum, solum, merum. Unde assare quoque veteres poetæ dicebantur, cum in unum solum hominem poema condebant. Et illa poemata dicta assamenta: ut est maxima pars Silvarum Statii, & olim

Saliorum fuit. Erant enim assamenta Janualia, Junonia, Minervia, priva poemata & carmina, in singulos eos Deos conscripta. Quod vero ait Nonius, assam quoque apud veteres significasse nutricem, idque difficilis esse intellectus, neque ad eam rem ullum veterum producit testem: id nos invenimus alibi apud eundem grammaticum in exemplo Varronis ab eo adducto, cum hujus verbi *Betere* notionem explicat, *Assa non multo post, quod ea parere non poterat mulier, cum betere foras jussit.* Hodie enim perperam legitur, *Assa nos multos*, etiam in manu scripto, quod vidi. Ubi tamen assa non est nutrix, sed adsestrix mulier, ut vocatur ab Afranio, quæ assidet fœtæ. ἀναγέτριαν vocabant Tarentini. Hesychius: Ἀναγέτρια, ἡ ταῖς τικτούσαις ὑπερετοῦσα γυνὴ, ἣν Ἀττικοὶ μαῖαν καλοῦσιν. Itaque supra apud eundem male legitur, ἀναγεστρὶς μάζα, Ταραντῖνοι. lege, ἀναγετρὶς, μαῖα. Obstetricem vocarunt aliter Latini, quod obstare pro assistere usurpabant: ut Ennio occensi pro adcensi, & obmoveto, pro admoveto, &c. SCALIG.

lin. 12. *Versus, quos olim Fauni*] Ennius:

——scripsere alii rem
Versibu', quos olim Fauni, vatesque canebant:
Cum neque Musarum scopulos quisquam superarat,
Nec dicti studiosus erat. —

Hoc Ennius jactabundus tacite jacit in Nævium poetam, qui Saturnio carmine secundum bellum Punicum scripserat. Quod genus carminis ait olim vates & Faunos canere solitos, quod & vetustissimum id fuerit apud Latinos, sicuti Saturnus vetustissimus Deus. Unde verisimile, Faunos Latinorum (qui erant ut Magi Persarum, & Bardi Gallorum) hoc genere carminis fari oracula sua solitos. SCALIG.

lin. 17. *A versibus viendeis.*] Mendum est. Suspicor *vagiendis.* SCALIG.

lin. 18. *Corpore Tartarino prognata paluda virago.*] In hoc versu antiqui poetæ, etsi Varronem suspicio & revereor, parum tamen abest, quin putem eum hallucinatum, qui quidem *paludam* paludatam interpretetur, vocem secutus vitiosam. Neque enim Latini sermonis consuetudo pati hoc videtur posse, ut *paludum* pro paludato loquamur. & poeta ille scripsisse potius videtur, *prognata palude.* Constat enim, Minervam ad Tritonidem paludem natam fuisse, ut ea fere palude prognata videatur, sed tamen fas non sit, a tanti scriptoris sententia recedere. TURNEB. Purus putus Hellenismus:

Ταρτάρου ἐκγεγαυῖα μελάμπεπλος ἀντιάνειρα.
Ubi nullo negotio verbum verbo redditur. Plenius citatur apud Probum:

Corpore Tartarino prognata Paluda virago:
Cui par imber, & ignis spiritus, & gravi' Terra.

Ignis spiritus, πυρὸς μένος. Et gravis Terra, στυφελὴ χθών. Est autem, nisi fallor, illa, quam alloquitur Juno apud Maronem:

Hunc mihi da proprium virgo sata nocte laborem. SCALIG.

Ennius in Epicharmo, opinor, dixit Minervam corpore prognatam Tartarino:

Corpore tartarino prognata paluda virago,
Quoi par Imber, Ignis, Spiritus & gravis Terra.

Tartarino autem ibi est forti & valido, ut in illo Virgilii: *Tartaream intendit vocem.* etsi *tartarino* cum dixit Ennius, horrendo & terribili Verrius vult accipi, a *Tartaro*, qui locus apud inferos. *Paluda virago*, est Minerva, cui Græci dederunt cognomen Pallados, ἀπὸ τοῦ πάλλειν τὸ δόρυ, Romani Bellonæ, Ennius Paludæ, id est, paludatæ, ut interpretatur Varro a paludamentis. Quamquam videri potest Ennii *Paluda* eadem esse, quæ τριτογένεια Homeri, quod ad Tritonidem paludem èdita primum apparuisset. ut enim *humus* facit *humidus*, sic *palus paludus*. Ideo nonnulli legunt *prognata palude*, quasi dicat, Minervam palude prognatam corpore esse tartarino, id est, forti, & composito ex quatuor elementis æquabiliter temperatis. POPMA.

lin. 20. *Plato in quarto.*] Significat quartum Platonis librum, qui Phædo vocatur. TURNEB. In τετραλογίας libros Platonis a criticis digestos fuisse, notissimum ex Laertio, scriptore eruditissimo. Iste vero dialogus, quem citat Varro, est quartus primæ tetralogiæ. Ita & poetarum tragicorum dramata digerebant iidem critici. ut Æschyli Agamemnon, Choephori & Eumenides, sunt τριλογία, quia ejusdem argumenti. Et poetas τετραλογίαις, aut τριλογίαις in sacris certaminibus vincere solemne erat. Plurimumque laudis reportabat, qui τετραλογίᾳ vicerat: quamquam & singulari quoque dramate vicisse, non ignoramus. SCALIG.

lin. 21. *In heis unum Tartarum appellat.*] Ὁ καὶ ἄλλοθι καὶ ἐκεῖνος, καὶ ἄλλοι πολλοὶ τῶν ποιητῶν Τάρταρον κεκλήκασι. SCALIG.

lin. 28. *Epeum fumificum coeum.*] Cocum fuisse, etiam testatur epigramma, quod legitur apud Athenæum: quod quia ante nos indicavit eruditissimus P. Victorius, non apponam.

Tantum afferam ex Theocrito verſus, quos ipſe Victorius non produxit, in quibus & lixa quoque inducitur Epeus. Leguntur autem ἐν πελεκυδίῳ Theocriti:

Οὐκ ἐναρίθμιος γεγαὼς ἐνὶ προμάχοισιν Ἀχαιῶν,
Ἀλλ' ἀπὸ κρανᾶν καθαρὸν νᾶμα κόμιζε δυσκλεής.

Loquitur de Epeo. SCALIG.

Pagina 89.

lin. 1. *Lucam bovem.*] Fortaſſe & ſcarabæi illi, quos vulgo in Gallia cervos volantes vocamus, *Lucæ* dicti ſunt, non *Lucani*, ut eſt ſcriptum apud Plinium lib. 11, cap. 28. Nam ait, Lucanos vocari a Nigidio. Quamquam, ut verum fatear, idem puto eſſe *Lucam* & *Lucanum*, quidquid refragetur Varro: quia Lucana armenta maxima & validiſſima olim in Italia fuerunt, teſte etiam Lucilio:

Quem neque Lucanis oriundi montibu' tauri
Ducere protelo validis cervicibu' poſſent.

Quomodo Λαρινοὶ βόες olim pro magnis apud Græcos, ita & *Lucæ* apud Romanos. Nam primis temporibus videntur Lucas, non Lucanos, populum ipſum dixiſſe. Quod autem opponit Varro, urſos non dici *Lucas*, ſed *Lucanos*, fruſtra eſt. nam etiam ſine adjectione urſus dicitur. at bos, cum ſignificat elephantem, non ſine adjectione dicitur: nam dicitur *bos Luca*. SCALIG.

lin. 4. *Verginii.*] Marg. Scalig. *Vergilii.*

lin. 8 ſq. *Id eſt quadrupedes cornutas.*] Marg. Scalig. *Identidem quadrupedes cornuatas.*

lin. 12 ſq. *Sed lucæ. Si ab Lucaneis dictæ; urſi cur potius Lucani, quam Luci dicti.*] Lego: *Sed lucæ, neque urſi potius Lucani quam luci dicti.* TURNEB.

lin. 17. *Orator ſine pace redit, regique refert rem.*] Iſte orator, qui redit ἄπρακτος, eſt procul dubio Cineas, legatus Pyrrhi regis, quem Senatus pace infecta ad Pyrrhum remiſit. Plutarchus in Pyrrho: Καὶ τὸν Κινέαν ἀποπέμπουσιν, ἀποκρινάμενοι, Πύρρον ἐξελθόντα τῆς Ἰταλίας οὕτως, εἰ δέοιτο, περὶ φιλίας καὶ συμμαχίας διαλέγεσθαι. quod ex auctoritate Appii Claudii Cæci feciſſe Senatum paulo ante ſcribit. Qua de re exſtant luculenti verſus Ennii:

Quo vobis mentes, rectæ quæ ſtare ſolebant
Antehac, dementi ſeſe flexere via?

Sunt enim ex oratione Claudii Cæci, quam Ennius verſibus,

& Plutarchus Græce reddidit, ita ut eadem verba expresserit, cum ait, ποῦ γὰρ ὑμῶν ὁ πρὸς ἅπαντας ἀνθρώπους θρυλλούμενος ἀεὶ λόγος; & quæ sequuntur. SCALIG.

lin. 18 sq. *Qui enim verba haberet orationum publice adversus eum, quo legebatur, ab oratione orator dictus* &c.] Ita scribendum existimo: *Qui enim ut haberet orationem, publice ab universis tum legebatur, ab oratione orator dictus: cum res major erat, legebantur.* TURNEB. Lego, *rationum.* Et, *Adversus eum, quo legebatur*, lego, *quo legabatur.* Apage correctiones Vertranii, qui *belligerabatur* legit. Quasi legati non possint mitti, nisi ad eos, quibuscum bellum esset. Quod omnino falsum est. SCALIG. Emendarim: *Verba haberet & orationem:* quæ fuit vetus formula. Cæsar lib. 2 de Bello civ. *Qui verba atque orationem adversus rempublicam habuissent.* Livius lib. 34: *Verba orationemque eos adversus rempublicam habuisse.* POPMA.

lin. 20. *Cum rès majore ratione legebantur.*] *Cum res major erat, eo legebantur.* conjectura verisimili. AUGUSTIN. *Cum a republica majore ratione legebantur.* SCALIG.

lin. 22. *Oratores doctiloqui.*] Ἠπηταὶ Homero. SCALIG.

lin. 27 sq. *Ollus leto datus est.*] Festus citat, *Ollus Quiris leto datus est.* M. Cicero 2 de Legibus, *Manium jura sancta sunto. Hos leto datos Divos habento.* Verisimilior est Prisciani opinio: Varronis, acutior. Ille a Leo, levi, letum ducit: Varronis vero mens eo spectat, quod veteres abstinebant mortis mentione, ne cogerentur δυσφημεῖν. Itaque abitionem pro morte dicebant, ut Græci οἴχεσθαι. Et eodem modo lethum, quasi λήθην. Et cum aliquem vita cessisse indicarent, non id proprio nomine dicebant, sed tantum hoc, *vixit.* Plutarchus Cicerone: Φθεγξάμενος δὲ μέγα, Ἔζησαν, εἶπεν. οὕτω δὲ οἱ Ῥωμαῖοι οἱ δυσφημεῖν μὴ βουλόμενοι, τὸ τεθνάναι λέγουσι. Quæ ratio similis, cum dicebant πλείονας ἀντὶ τῶν τεθνηκότων. Aristophanes ἐκκλησιαζούσαις·

Ἡ γραῦς ἀνεστηκυῖα παρὰ τῶν πλειόνων.

Glossema νεκρῶν. ubi tamen transpositum est glossema in textum. Ostendit item sepulcreti appellatio, τὸ πολυάνδριον. Item mortuos meliori scæva & omine dicebant μακαρίτας. Horatius, *omnes composui felices*, id est, μακαρίτας. Plinius lib. 28: *Cur ad mentionem defunctorum testamur memoriam eorum a nobis non sollicitari?* Quæ superstitio & vulgo apud nos invaluit, & Judæorum etiam veterum commentariis frequentissima est. SCALIG.

lin. 29. *Mensas constituit, idemque ancilia.*] Al. *Menses.* Qui legunt *menses*, spectant ad menses additos a Numa Pompilio, & meliori ordine digestos. Qui vero *mensas*, quod essent mensæ curiales, ad quas unaquæque Curia sua sacra faceret, quæ videntur constitutæ a Numa: quamquam Dionysius vult a Romulo. Eæ Anclabræ, ab anculando, id est, ministrando, & Assidelæ dicebantur. De quibus forsan Nævius libro 3 belli Pœnici:

At posteaquam avim de templo Anchisa spexit,
Sacra ordine in mensa penatium Deorum
Ponuntur: victimam auream polcram immolabat.

Citat Probus. Ita autem scripserat Ennius:

Mensas constituit, idemque ancilia primus,
Libaque, fictores, argæos & tutulatos. SCALIG.

lin. 30. *Ab ancisu.*] Vetus codex, *ambecisu.* ita reponito. SCALIG.

lin. 31 sq. *Incisa. Saturnio in carmine.*] Vitiosissime legitur *in Saturnio carmine.* Non enim versus Saturnius est, qui est jambicus hypercatalecticus, sed versus Ennii heroicus: ubi narrabat, Numam mensas sacras, quibus ad rem divinam est opus, & ancilia Saliorum constituisse, eundemque liba instituisse ad rem divinam, & fictores, qui sunt panifices, libariique vocari possunt. In vetere inscriptione legi, *discipulum fictorum pontificum.* TURNEB. Ita legendum: *Quod ea arma, ut Thracum incisa, ut Saturnio in carmine.* Quod nimirum in Saturnio carmine armorum anciliorum mentio fuerit. Alioqui ineptum erat, Heroicum sequentem vocare Saturnium, qui est hexameter. SCALIG. Pro *Saturnio in carmine* marg. Scalig. habet, *item alibi, lib.* Forte: *Incisa, ut Saturnio in carmine incisia:* quam vocem etiam reponendam puto lib. 4 illo in loco: *Insicia ab eo, quod insecta caro, ut in carmine Saliorum est Incisia.* Utitur autem testimonio carminis Saturnii, non quod in eo esset nomen Anciliorum, alioquin vulgo satis notum, sed ut illo comprobet suum etymon: *Ancilia dicuntur*, inquit, *quasi amcisia, ut Incisia fuit in carmine Saturnio.* eo intelligit carmen Saliare, quod conscriptum fuit Saturnio versu antiquissimo, quo olim sua oracula cecinerant Fauni Dei Latinorum, & vates Publicius, & Cn. Marcius ille, cujus duo carmina retulit Livius lib. 35. Postea etiam duces triumphaturi titulos rerum a se gestarum in tabulis votivis, quas in æde Jovis Capitolini figebant, Saturniis versibus soliti perscribere, ut auctor est Attilius Fortunatianus de Arte, his verbis: *Apud no-*

ſtros autem in tabulis antiquis, quas triumphaturi duces in Capitolio figebant, memoriæque ſuæ titulum Saturniis verſibus perſequebantur, talia reperi exempla: Ex Regilli tabula Duello magno dirimendo regibus ſubigendis. Ejus tabulæ exemplum poſuit Livius lib. 40; ſed, ut debuit in hiſtoria, deterſo ſqualore verborum, & luxatis numeris carminis Saturnii. Sic enim ibi legendum: *Duello magno dirimendo, regibus ſubigendis caput patrandæ pacis hæc pugna exſtitit Lucii Æmilii M. Æmilii F. auſpicio, imperio, felicitate, ductuque ejus inter Epheſum, Samum, Chiumque, inſpectante eos ipſo Antiocho, exercitu omni, equitatu elephantiſque, claſſis regis Antiochi tanta devicta, fuſa fugataque eſt.* POPMA.

Pagina 90.

lin. 3. *Argei fiunt e ſcirpeeis virgulteis, ſimulacra ſunt hominum triginta: ea quotannis a ponte ſublicio.*] In vetere libro reperio: *Argei ſunt e ſcirpeis ſimulacra hominum XXIV. ea quotannis de ponte ſublicio.* TURNEB. Vetus erat ſcriptura *e ſcirpeis*, pro *ſcirpis*. Ignari homines putarunt aliquid deeſſe, quaſi ſcripeis eſſet adjectivum. Quare inducenda ea vox. SCALIG.

lin. 6. *Tutulati.*] *Tutulati* ſunt, qui in re divina habent in capite tutulum, ut flaminicæ & pontifices. TURNEB. Placiades id intelligit in Virgilio:

Et caput ante aras Phrygio velatus amictu.

Poteſt & videri in Statio:

Lanea cui Phrygii coma flaminis. SCALIG.

lin. 7. *In ſacris in capitibus.*] Vulg. *In ſacris capitibus.* Quaſi alia capita haberent, non unum tantum. Legendum *in ſacris apicibus.* Idem error lib. 4, ut indicavimus ſuo loco. Quis neſcit, pilea ſacerdotum apices vocari? Dionyſius lib. 2: Καὶ τοὺς καλουμένους ἄπικας ἐπικείμενοι ταῖς κεφαλαῖς, πίλους ὑψηλοὺς εἰς σχῆμα συναγομένους κωνοειδὲς, οὓς Ἕλληνες καλοῦσι κυρβασίας. Eſt autem a parte totum. Nam apex proprie erat inſigne, id eſt, faſtigium, quale hodie in pileis honorariis Doctorum, quos vocant. Nam totus pileus, vel potius velamenta, flammeum dicebatur. Unde Flamines dicti. Idem Dionyſius: Οὓς ἀπὸ τῆς φορήσεως πίλων τε καὶ στεμμάτων (ἃ καὶ νῦν ἔτι φοροῦσι, φλάμεα καλοῦντες) οὕτω προσαγορεύουσι. Porro deſinebat in conum, unde Apex

Persius:

——secuit Lucilius urbem,
Te Lupe, te Muti &c.

Item Lucilius ipse, per dialogismum:

——quid, hæc cum fecerit?
Cum ceteris reus una tradetur Lupo.
Non aderit. Ἀρχαῖς *hominem &* στοιχείοις *simul*
Eum privabit. Igni & aqua interdixerit,
Duo habet στοιχεῖα. *Id maluerit: privabit tamen.*

Hortatur ergo hunc Lupum εἰρωνικῶς, ut, relictis minoribus pisciculis illis, ut sunt cordilæ, & saperdæ; tunnos, siluros, & amias immanes pisces consectetur. Manifesto irridet illius capacitatem. *Capto* vero perperam legitur, pro *captato*. Idem mendum in Varronis exemplo ἐπὶ φακῇ μύρον

Nec multinummus piscis ex salo captus
Elops, neque ostrea illa magna captata
Quivit palatum suscitare.

Nam hodie male apud Nonium *capta*. Etiam nos in eodem exemplo *multinummus* restituimus, ut in libris de Re rustica, multinummi muli. SCALIG. Fortasse primus versus non conjungendus cum sequentibus. Nam non est hexameter; ut legendum sit:

Thunno capto corvum excludendum foras.

Videtur enim proverbiale fuisse antiquis. Amphis comicus:

Ὅστις κορακῖνον ἐσθίει θαλάττιον
Γλαύκου παρόντος, οὗτος οὐκ ἔχει φρένας. IDEM.

Versus corruptissimi, qui ita videntur posse emendari:

——thunno capto cordlum excludunt foras.
Occidunt Lupe saperdæ te & jura siluri:
Sume cete atque amiam.

Illi edones, inquit, capto thunno cordulum pisciculum excludunt: similiter tu, Lupe, cum nequeas famem explere minutis istis obsoniis, saperda, & jure siluri, pasce te piscibus majoribus cete & amia. Notat Lucilius rapacitatem & profundam ingluviem Lucii Lentuli Lupi, quem in Satyris acerbe insectatus est. quin libro primo induxit Deos consilium fecisse, Lupum ut perderent, auctore Servio. ex quo ait Horatius:

——famosisque Lupo cooperto versibus.

Fuit Cos. cum C. Marcio Figulo anno DXCVII. POPMA.

lin. 29. *Piscium nomina sunt, eorumque in Græcia origo.*] Librarius ignarus Græcarum literarum, ut apparet, multum

depravavit hos versus Lucilii. Quod & idem commissum est in versibus Ennii, ἰχθυφαγικοῖς, qui leguntur apud Apulejum: ubi maxima ex parte piscium nomina Græca corrupta sunt. Quos tamen emendandos relinquo eruditis viris. Id quod fieri poterit ex poetarum macellis: ita voco, qui citantur apud Athenæum piscinarii & culinarii poetæ. Non tamen prætermittam versus, qui adducuntur a Festo, ubi & piscium nomina Græca mirum in modum depravata & luxata sunt; qui ita restituendi sunt:

Muriatica autem video in vasis stanneis.
Bonam naritam, & camarum & tagenia,
Echinos fartos, conchas piscinarias.

Muriatica vocat τὰ ταριχηρὰ, quæ in muria Thasia servabantur. Ea ita describuntur in Pœnolo:

Quasi salsa muriatica esse autumantur,
Sine omni lepore & sine suavitate,
Nisi multa aqua & diu macerantur,
Olent, salsa sunt, tangere ut non velis.

Narita dicitur ostrei genus, quæ νηρῖται a Græcis. Camarum scriptum est uno *m*, veteri consuetudine: etiam apud Hesychium κάμαρον. Tagenia, sunt pisces, qui & ταγηνισταὶ, qui & ipsi ἐν ἅλμῃ ἐμβαφθέντες ἐπηνθρακίζοντο. Vide Athenæum. Echinos fartos vocat, qui farciebantur, hoc est, saginabantur in vivariis, sicut conchas piscinarias, quæ in piscinis. Atque adeo Muriaticorum nomine Plautus pisces omnes eos, qui ab eo enumerati sunt comprehendit. Et ne dubites de hac correctione, audi, quæ Plin. lib. 31, cap. 8 de ea re scribit: *Sic halex*, inquit, *pervenit ad ostreas, echinos, urticas, cammaros, mullorum jecinora: innumerisque generibus ad saporem gulæ cœpit sal tabescere.* Satin' aperte eosdem pisces inter muriatica (id enim est halex, τὸ τάριχος) recensuit, quos Plautus? Quare tam boni versus in situ & squalore relinquendi non erant. SCALIG.

lin. 30. *Quæque cæruleo freto orta nare cœpta.*] Lego hunc in modum:

——— cava quæque in
Corpore cæruleo cæli cortina receptat.

Tantum e *telo cæli* feci: & in libro antiquo dubium erat lineamentum primum, & ambiguæ inter *c* & *t* figuræ. Hoc versu Ennius hemisphærium cæli cortinam appellavit, de similitudine cortinæ Apollinis, quæ, ut ait, nomen habuit a corde, quod inde primæ sortes existimatæ. TURNEB. Hic placet Ita-

lis deesse quædam. Sed eos decepit perturbatus sensus: quem si aperuero, ostendam, hic nihil deesse. Cum ita legendum sit: *Quæque freto cava cæruleo cortina receptat. Cortina dicta, quod &c.* Intelligit ergo Ennius, quæcunque continentur ὑπὸ τῆ οὐρανοῦ σκέπῃ, ut loquuntur poetæ. Vereor autem, ne cum aliis, quos supra posuimus, conjungendi sint:

Corpore Tartarino prognata Paluda virago,
Cui par imber, & imbris spiritus, & gravi' terra
Quæque freto cava cæruleo cortina receptat.

Freto cæruleo. Ita περιφραστικῶς vocat cælum propter agitationem. Idem apud Nonium:

Crassa polvis oritur, omnem pervolgat cæli fretum. SCALIG.

Scribendum:

Quæque cæruleo freto cortina receptat, Cava.

Nam verba Ennii usurpat tantum, quæ ita possunt redigi in numeros:

Quæque freto cava cæruleo cortina receptat.

Cortina erat operculum tripodis Delphici Apollinis, ex corio Pythonis serpentis, cujus forma similis mensæ rotundæ, ad quam assidens Phœbas rapta vaticinabatur: dicta quasi cortitina, non a corde, ut Varro existimat. Sed & ipsum tripodem significabat, id est, vas ingens, ex quo oracula credebantur exire; sicut apud Græcos ὅλμος, & tripodem, & ipsus integumentum denotabat. Virgilius:

——— *mugire adytis cortina reclusis.*

Hinc varia notio hujus vocis. nam & mensæ æreæ, factæ ad formam illius operculi tripodis, appellantur *cortinæ*, eædem *Delficæ*: & vasa similia tripodi Delphico, in quibus pigmenta coloresque coquuntur sufficiendis lanis. Apud poetas vero etiam licentius, capacitas convexa & intecta vocatur cortina, ut Ennius hic de æthere. Virgil. in Ætna:

Carmineque irriguo magni cortina theatri,
Imparibus numerosa modis cadit arte tegentis. POPMA.

Pagina 91.

lin. 2. *Cortina.*] Τρίπους & λέβης. Ea est proprie, in qua lana suffecta succos ebibit. Ab eo usus est metaphora Cor. Tacitus in dialogo, cum ait, in Cortina esse. Id contrarium est ei, quod Græci δευσοποιὸν vocant. Quæ enim in cortina sunt, nondum penitus imbiberunt succum. *At hercule*, inquit, *pervulgatis jam omnibus, cum vix in cortina quisquam*

assistat, qui elementis studiorum etsi non instructus, at certe imbutus sit, &c. Non multum abest, quod dixit Lucianus, ψαῦσαι λέβητος, Bis accusato, εἰσὶ δὲ οἳ καὶ μόνον ψαύσαντες ἔκτοσθε τοῦ λέβητος ἄκρῳ τῷ δακτύλῳ, καὶ ἐπιχρισάμενοι τῆς ἀσβόλου, ἱκανῶς οἴονται καὶ οὕτω μεταβεβάφθαι. SCALIG.

lin. 3. *Ea a corde.*] Ego puto a rotunditate, quod, ut cortes, ita hæc rotunda esset. Cato in Originib. *Mapalia vocantur, ubi habitant. Ea quasi cortes rotundæ sunt.* Sic ὁλοοίτροχοι λέβητες ab eadem ratione dicti, si bene memini. SCALIG.

lin. 5. *Quin inde invicteis sumserunt perduellibus.*] Reperio in antiquo exemplari: *Quid unde invitis sumserint perduellibus?* quod & adscribendum putavi. TURNEB. Locus mendosus. Puto legendum:

Vindictam victis sumserunt perduellibus. SCALIG.

lin 12. *Quattuor.*] Marg. Scalig. *tribus.*

lin. 14 sq. *Stella, quæ vespere oritur, a quo etiam Opilius scribit vesperum. itaque dicitur, Alter vesper adest.*] Opilius verborum enodator antiquorum fuit. is a stella, quæ vesperi oritur, tempus vespertinum, ipsamque vesperam, vesperum vocari credidit. At vero apud Catullum alia significatione dicitur,

Vesper adest juvenes.

Intelligitur enim ipsa stella. Atque hic sensus erit editiones sequenti. Nam libri manualis literaturæ habent, *a quo eam Opilius scribit vesperum.* quod de stella liquido perspicueque intelligetur, non de suprema tempestate. quo sensu & in Catulliano ceso erit accipiendum, aliudque quiddam significabitur, quam tempus primum noctis. TURNEB. Vulg. *A quo etiam Turpilius* &c. Indubitanter lego: *A quo etiam Turpilius scribit Vesperam. Itaque dicitur alterutrum. Vesper, id est, quem dicunt Græci* ἕσπερον. Non possum non multum conqueri de correctorum audacia, qui hunc auctorem jam per tot secula ægrum, multis porro vulneribus confecerunt. Quod tamen dictum velim sine ulla animi asperitate & malevolentia. Nam quid eos movit, huc vocabulorum monstra infercire, quæ ipsi nesciebant? Ubi enim διέσπερον suum invenerunt? Cur, si nesciebant quid esset, tamen quasi aliquid esset, huc intruserunt? Sed de his satis, ne περὶ σκιᾶς ὄνου. Legendum vero *vesperam*, ut jam admonuimus. Plautus:

Si media nox est, sive prima vespera.

Nonius, Vespera feminino genere: Turpilius Dotata. *Ma-*

nus meas vespera oriente clanculum Ferri ad speciem declino. ita lego in Nonio. SCALIG.

lin. 16. *Quem dicunt Græci διέσπερον*] Eam stellam, ut libri sanctiores loquuntur, Græci vocant *Δία ἑσπέριον.* TURNEB.

lin. 17. *Patrem suum optimum, appellat supremum.*] Ita explebitur Saturnius versus:

Jovem, patrem suum optumum, appellat supremum. SCALIG.

lin. 19. *Solis occasu diei suprema tempestas esto.*] E Gellio scribendum: *Sol occasus suprema tempestas esto.* TURNEB.

lin. 22. *Decem annos.*] *Duodecim annos.* utrumque ex libris. AUGUSTIN.

lin. 26 sq. *Ea enim Merces dicitur Græce λάτρον, καὶ σάτρον.*] Scribendum, omnibus approbantibus & scripturæ gratulantibus: *Ea enim merces, quæ Græce dicitur λάτρον.* TURNEB.

lin. 27 sq. *Ab eo veteres poetæ nonnunquam milites appellant latrones.*] Ennius Annali primo:

Hæc ecfatus ubi, latrones dicta facessunt.

Idem alibi:

——*fortunas ecquas cepere latrones*

Inter se memorent. —

Quæ tamen verba apud Nonium luxata & depravata reperies. Ut λάτρον latronum, sic stips, stipatorum eis nomen fecit. SCALIG.

lin. 29. *Quod item.*] *Quod itent*, non nemo. AUGUSTIN.

lin. 30 sq. *Risi egomet Cassabundum ire ebrium.*] Ennio in libro juratissimæ fidei versus iste tribuitur. *Casabundum* autem, non *cassabundum*, hac de causa scribendum censeo, quod a *cadendo* deducitur a Varrone: vel, ut melius origo intelligatur, quod a *casare* proficiscitur. TURNEB.

Pagina 92.

lin. 1. *Diabathra in pedibus habebat, & erat amictus epicroco.*] Dicitur de homine, cultum muliebrem & molliorem gerente. nam & diabathra, muliebria erant calceamenta, & color croceus in vestitu viris erat indecorus. TURNEB. Ita conjunge:

——*risi egomet casabundum ire ebrium:*

Diabathra in pedibus habebat, atque amictus erat epicroco.

Mirum ni ex Lycurgo Nævii. SCALIG.

lin. 4. *Lanam carere.*] Ubi hodie in Plauti exemplaribus le-

gitur, *lanam carpere*, M. Varro sine controversia legit, *carere*, quod est purgare, ut interpretatur. quo vocabulo usum etiam dicit Nævium in Commotria: sed & ultro ipse ita mox usurpat. TURNEB. *Carere*, vetus verbum pro ξαίνειν. Unde & Carduus, & carminare. Quare perperam hodie in Menæchmis legitur, *carpere*, cum & Nonius quoque *carere* retineat. Carere vero sine dubio παρὰ τὸ κείρειν, ἔκαρον: non ut Varro. SCALIG.

ead. *Cosmotria.*] Marg. Scalig. *Æmathia.*

lin. 7. *Cum caret eo, quod in ea est nequam. Est lana, quam in Romulo Nævius appellat Oscam, ab Osceis.*] Pro *est nequam*, quidam, *hæret.* alii, *est. Nequam est lana.* AUGUSTIN. Vetus lectio: *Cum ex ea carent, quod in ea hæret, neque est lana. quæ in Romulo Nævius appellat osca, ab Oscis.* Purgamenta & sordes lanæ per contumeliam & injuriam summam Oscorum, qui obscœni habebantur, *osca* Nævius appellavit, ut Varro interpretatur. Loci hujus scripturam interpolant multi, aliique aliter evulgant: est qui scribat, *quod in ea est nequam, est lana.* est qui secus, *nequa est lana quam.* hæc excogitata & commentitia lectio, si cui probetur, significabit nequa lana spurcam & impuram, quæ non sit aliqua, id est, alicujus pretii. Nam Sosipater *nequa* dici pro *nequam* docet. TURNEB. *Osca lana*, eadem & solox lana, οἰσύπος, καὶ οἰσπάτη. Lucilius:

Pascali pecore, ac montano, hirto, atque soloce.

Pascale pecus τὸ εἰκαῖον, καὶ νομαδικὸν, ut pascales gallinæ. Alii legunt *passales*, id est εἰκαίους. passim τὸ εἰκῆ. Montanum, id est, sentum & squalidum, qualia in montibus pecora. A quo ὀρεινὸν ἱμάτιον ex lana squalida, & non carminata. Pollux: Τὸ δὲ ἀκνάμπτον ἱμάτιον οἱ μέσοι κωμικοὶ, ὥσπερ ἐν ὄρει εἰργασμένον, ἤτοι οὐκ ἐγναμμένον, καλοῦσιν Hirtum itidem vocat squalidum. Columella: *Dissimilem rationem postulat hirtum, atque Tarentinum.* Vir eruditus Beroaldus putat, idem esse Tarentinum & hirtum, magno sane errore. Quis nescit, ita loqui Latinos? Dissimilem naturam pecus habet atque homo. Plautus: *Illi sunt alio ingenio atque tu.* Ergo pecus montanum, pascale, hirtum, atque solox opponitur μαλακοῖς προβάτοις, qualia erant in agro Tarentino, quæ, ut mollioris velleris essent, pellibus tegebantur. Ab eo dixit Horatius *pellitas oves Galesi.* Polybius in excerptis lib. 9: ἔχων πρόβατα μαλακὰ τῶν εἰθισμένων περὶ τὴν πόλιν τρέφεσθαι. Interpres inepte vertit debiles. Ælianus in Epistolis: Τὴν ὄϊν τὴν τὰ μαλακὰ ἔρια ἣν ἐπαινῶ πρὸς σὲ, παρ' ἐμοῦ πρόσειπε.

In Laertio dicuntur πρόβατα δέρμασιν ἐσκεπασμένα. Columella vetat oves pellibus amiciri festis diebus. Hæ pecudes, quia tenerrimis pascuis alerentur, dicebantur apud Rhodios διακαλαμόσαρκες, ἤγουν τὴν καλάμην τῶν σπερμάτων ἐπιβοσκόμεναι. *Luxuriem segetum summa depascit in herba.* SCALIG. Recte libri veteres: *Neque est lana. Carminari* dicitur lana, inquit, cum caret spurcitia, neque jam amplius est sordida & impura, quod genus lanæ Nævius vocat Oscam, ab Oscis populis Campaniæ, qui obscœni habebantur. Alii mutant: *Nequam est lana.* frustra. POPMA.

lin. 10. *A gerra.*] Γέῤῥα, crates. Etiam fascinos & pudenda interpretatur Nonius. Hesychius: Γέῤῥα, τὰς σκηνὰς, καὶ τὰ ἀνδρῷα καὶ γυναικεῖα αἰδοῖα. SCALIG.

lin. 13. *Adscriptivi.*] Varro de Vita pop. Rom. lib. 3: *De adscriptivis, cum erant attributi Decurionibus & Centurionibus, qui eorum haberent numerum, accensi vocabantur. Eosdem etiam quidam vocabant ferentarios, qui depugnabant pugnis, & lapidibus, iis armis quæ ferrentur, non quæ tenerentur.* id est, τηλεβόλοις βέλεσι, καὶ οὐ σχεδίοις, καὶ σταδιαίοις, ἀγχεμάχοις. SCALIG.

lin. 14 sq. *Militibus; id est, si quis eorum deperisset. In Trinummo, Nam illum tibi ferentarium.*] Lego: *Militibus, si quis eorum deperisset*: &, *nam illum tibi ferentarium.* Ac videtur *ferentarium* amicum potius dixisse Plautus, qui subsidio & auxilio futurus sit, quam quomodo Varro interpretatur, qui inanis & sine fructu sit. Sed Varroni tamen vix reclamare audeo. TURNEB.

lin. 18. *Arma, quæ ferrentur, ut jaculum.*] Τὰ τηλεβόλα, ut jam diximus. SCALIG.

lin. 21. *Ubi rorarii estis?*]

——— sequimini
Me hac sultis legiones omnes Lavernæ. Ubi rorarii
Estis? En sunt. Ubi sunt accensi? Ecce. —

prius membrum invenies apud Festum. SCALIG.

lin. 24. *Potest id ab arbitrio.*] Varro vult accensos dictos ab arbitrio: quod Censere olim significaret arbitrari. Sic de Vita pop. Rom. *Itaque quod hos arbitros instituerunt populi, Censores appellarunt. Idem enim valet censere & arbitrari.* At Rerum humanarum lib. 20: *Consules ac Prætores qui sequuntur in castra, accensi dicti, quod ad necessarias res accientur, velut accensiti.* Ubi vides inconstantiam Varronis. Quare ita obscurum hunc locum, unde satis digne non se extricavit

Vertranius, legito: *Potest id ab arbitrio ejus (nam inde arbitrium) cujus minister.* Accensus, inquit, potest dictus esse ab arbitrio ejus, cujus minister. Nam arbitrium inde est, nimirum a censeo: quod verbum illud Censeo, & Arbitror idem poterat ac valebat, ut idem scripserat Rerum humanarum libro 20. Neque Itali, neque Vertranius, audiendi sunt, qui aliter legunt. SCALIG.

lin. 25. *Nam inde.*] *Nam id est.* ex conjectura. AUGUSTIN.

lin. 26. *Pacuvius Deum triportenta in Mercatore ponit.*] Locus mendosus. & quæ sequuntur, Plauti sunt, non Pacuvii. AUGUSTIN. Post verba *Deum triportenta*, hiatus est. Neque mendum est, sed lacuna. SCALIG.

lin. 27. *Dividia est.*] *Dividiæ 'st*, scribendum. AUGUSTIN.

lin. 28. *In Corollaria.*] Corollaria, στεφανόπωλις. Est autem fabula Nævii, ut citatur a Sosipatro. Versum autem illum, quem intelligit Varro, est hic:

Dividiæ mihi fuerunt te absfuisse desiduo.

Exstat apud Placiadem interpretem priscarum vocum. Tamen apud illum citatur ex Varronis Corollaria, ut verear, ne hic ille versus desideretur. De quo tamen eruditus lector judicaverit. SCALIG.

lin. 29. *Dividia.*] Attius Phœnissis:

Vicissitatemque imperitandi tradidit,
Ne eorum dividiæ discordes dissipent
Disturbent tantas, & tam opimas civium
Divitias. —

Hæc nos non solum correximus, sed etiam divulsa conglutinavimus. Tamen tantum Euripides dixerat:

Ξυμβάντ' ἔταξαν, τὸν νεώτερον πάρος
Φεύγειν ἑκόντα. —

Quid vetat & alia conferre? Intelliges, quantum variavit ab eo, quem vertendum susceperat. Euripides enim:

Σκυλεύματ' εἴσω τειχέων ἐκπέμπομεν,
Ἄλλοι δὲ τοὺς θανόντας Ἀντιγόνης μέτα
Νεκροὺς φέρουσιν ἐνθάδ' οἰκτίσαι φίλοις.

Quam enim recedit ab illis vestigiis?

Ubi nunc vostra mœnia, & omnis saucios
Convisit, ut curentur diligentius.

Illa vero non tam licenter:

— πολύδακρύς τ' ἀφικόμαν,
Χρόνιος ἰδὼν μέλαθρα καὶ βωμοὺς θεῶν,
Γυμνάσιά θ' οἷσιν ἐνετράφην, Δίρκας θ' ὕδωρ.

Nam quædam ex illis hodie exstant:
Delubra cælitum, mari sanctitudines.
Et illa satis bene:
— οὔτε γὰρ γέρας πατρὶ
Οὔτ' ἔξοδον διδόντες, ἄνδρα δυστυχῆ
Ἐξηγρίωσαν. —
Sic enim vertit:
Incusant ultro, a fortuna opibusque omnibus
Desertum, abjectum, afflictum ex animo expectorant.
Ubi expectorare ex animo, ἐξαγριοῦν, efferare. mirum genus loquendi. Sic apud Ciceronem vetus Tragicus:
Tum pavor mihi sapientiam omnem ex animo expectorat.
hoc est,
Ἐξίσταμαί τε καὶ παραφρονῶ φόβῳ.
Gallice, *mettre hors du bon sens.* Porro in his vertendis satis animum intendit, quæ sequuntur. Euripides:
Σαφῶς γὰρ εἶπε Τειρεσίας, οὐ μή ποτε
Σοῦ τήνδε γῆν οἰκοῦντος, εὖ πράξειν πόλιν.
Ἀλλ' ἐκκομίζου. —
Ex Attio separata hæc conjunximus:
Jussit proficisci exsilium quovis gentium,
Ne scelere tuo Thebani vastescant agri.
Egredere, exi, effer te ex urbe, elimina.
Quæ data opera hic scripsimus, ut esset, quo interim lectores animum ex tam minutis animadversionibus possint reficere, dum difficultati hujus laboris consulimus, & illam interdum condimus mitioris & jucundioris lectionis voluptate. Non deerunt tamen, quorum palato hæc non faciant; nec mirum: πολλοὶ ἐν Ἀρκαδίῃ βαλανηφάγοι. SCALIG.

lin. 31. *Sed quid tibi est? lienes necant.*] *Tibi 'st? lien necat.* Plaut. in Curcul. AUGUSTIN.

Pagina 93.

lin. 1. *In Phagone.*] Ejus fabulæ nemo veterum, quod sciam, meminit. Esset Latine Comedo, vel Lurco, vel Gumia, vel Manduco, vel Rapo. Varro: *Cum hic rapo umbram quoque spei devorasset.* Rapo, id est proprie ἀδηφάγος. Apud Ulpianum: *Trebatius ait, non esse morbosum, os alicui olere, ut hircosum, strabonem: hoc enim ex illuvie oris accidere.* Ego ἀναμφισβήτως lego, *ut lurcosum, raponem. Hoc enim ex ingluvie oris accidere.* Ingluviem vocat τὴν ἀδηφαγίαν,

ex qua oris graveolentia conflatur, ut in leone notat Aristoteles. Etiam hircosus defendi potest. Est is, cui os ex fœda & detestabili libidine olet. Ejusmodi enim vocabantur Hirci. Catullus:

——— & putare ceteros hircos.

Et in dicto Attellanæ:

Hircus vetulus naturam capreis ligurit.

Quo fœditas oris hirsuto & olido seni Tiberio exprobrata est. Item dicebantur spurci, & spurço ore, Græce ἀγελασεῖς. Et spurcæ tempestates, Græcis dicuntur ἀσελγεῖς, ἤγουν σφοδραί. Athenæus: Λέπεσθαι, ἐπ' ἀσελγοῦς καὶ φορτικῆς δι' ἀφροδισίων ἡδονῆς. vocat ἀσελγῆ ἡδονὴν eorum, qui id faciebant. Nam ἀσελγεῖς illi, qui hoc patiebantur, dicebantur λέπειν. Latine Glubere. Catullus:

Glubit magnanimos Remi nepotes.

Budæus aliter interpretatur, sed (pace tanti viri dixerim) perperam. Hæc latius a nobis dicta sunto, ut totum Ulpiani locum illustraremus: quia maximus vir non satis digne inde se explicare potuit. SCALIG.

lin. 3. *In Parasito pigro.*] Ea fuit Plauti fabula: &, ni fallor, Græce λίπαργος inscripta fuit. Priscianus citat ex Plauti Lipargo hæc:

Nil moror mihi fucum in alveo, apibus qui peredit cibum.

Quæ manifesto dicta sunt in parasitum pigrum. Hesiodus:

Τῷ δὲ θεοὶ νεμεσῶσι καὶ ἀνέρες, ὅσκεν ἀεργὸς
Ζώῃ, κηφηνέσσι κοθούροις ἴκελος ὁρμήν.
Οἵτε μελισσάων κάματον τρύχουσιν ἀεργοὶ
Ἔσθοντες, &c. SCALIG.

lin. 4. *Trames.*] A trameando, quod scilicet transversi scandant vias rectas. Ab eo Plautus Mostellaria videtur dixisse, *Ambo postes ab infimo trames secat*: quod, qui cæsi sunt intempestivi postes, diffindi solent, & hiare. Sed mihi diligentius consideranti videtur legendum *tarmes*. Is est Vitruvio, qui θρὶψ Græce vocatur, ut intelligat vermiculatos, & θριπηδέστους. Jam secare, & cædere aptum verbum ei rei. Lucilius:

Lanæ opus omne perit, squalor, tineæ omnia cædunt.

Nam Græce κόπτειν, ut κόπτεσθαι ὑπὸ σέων. Aristophanes Lysistrata. Et Theophrast. ἱστορ. lib. 4: Κἂν εἰς ἱμάτια τεθῇ τὸ μῆλον, ἄκοπα διατηρεῖ. Itaque puto *tarmes*, non *trames*, legendum in Plauto. SCALIG.

lin. 5. *In Fugitivis.*] Putant esse comœdiam Plauti: sed

falluntur. Est enim Turpilii, quæ alio nomine inscripta erat Leucadia. Translata est ex Alexide, qui subinde citatur ἐν Λευκαδίᾳ ἢ δραπέταις. SCALIG.

ead. *Age, euge specta* &c.] Lego: *Age, age specta: vide vibices quantas. Jam inspexi: quid est?* Est quadratus jambicus. SCALIG.

lin. 6. *Vibices.*] Ἴβυκας Græci vocant στιγμάς. Hesychius. Inde vibices. SCALIG.

lin. 7. *Excitatum verberibus corpus.*] Hinc Plautus vibices vocat prægnantes plagas. SCALIG.

ead. *In Cistellaria.*] Infinitis prope locis Plautum in Cistellaria citant grammatici: cum tamen, quæ ipsi adducunt testimonia, desiderentur in ea, quæ hostie exstat, ejus nominis fabula. Unde quidam pro Clitellaria, Sisennaria, aut nescio quid nugarum, substituendum putarunt. Sed non ita faciundum erat. Parvum mendum est, quod hujus fabulæ titulum occupavit. Nam *Clitellaria* pro *Cistellaria* legendum. Facilis vero fuit lapsus, ut in Cistellariam notissimam fabulam degeneraret. Est autem eadem atque ea, quam Græco titulo inscripserat Astrabam. ἀστράβη enim clitella. Sic invenies eundem Plautum citatum in Lipargo, & Parasito pigro: Terentium in Heautontimorumeno, & se ipsum excruciante, ut apud Ciceronem: Cæcilium Nauclero, vel portitore: Obolostate, vel fœneratore: Harpazomene, vel rapta: Hypobolimæo, vel subditītio: Laberium Cropio, vel Sarcularia: Belonistria, vel Frugione: Scylace, vel Catularia: Pomponium Hetærisca, vel Prostibulo: Varronem κριομαχίᾳ, vel Caprino prœlio. Quæ cum ita sint, jam satis confirmata est ista conjectura nostra, si ad reliqua pergamus. SCALIG. Marg. Scalig. *Nervolaria.* Plautus festive enumerat vitia & deformitates meretricum in his versibus:

Non quasi ut hæ sunt hic limaces lividæ,
Diobolares, schœnicolæ, miraculæ,
Cum extritis talis, cum todellis crusculis:
Capillo scisso, atque excissatis auribus.

Quorum versuum priores duos Varro hic adducit; tertium Priscianus, ultimum Nonius; & quidem omnes ex Cistellaria. in qua fabula cum hodie non legantur, apparet, titulum ubique corruptum esse. An ergo reponendum *Clitellaria?* quod doctissimis viris placet, & a vulgata scriptura minimum recedit. Sed non est verisimile, Varronem in una pagina eandem fabulam modo *Clitellariam* voce Latina, modo Græce

Astrabam nominare: aut veteres grammaticos, cum Astrabam sæpius citent, Clitellariæ nomen semper omisisse. Mihi videtur, integram inscriptionem fuisse in fragmentis Festi, in quibus tertius versus adducitur ex Sy.·. Forte Sycolaria a sycophantiis. Ut enim Nervolaria, Frivolaria, ita Sycolaria, á syco, quam vocem Latini usu suam fecerunt. POPMA.

ead. & sq. *Non quasi ut hæc sunt heic, limaces lividæ.*] Versus hic Attii subobscurus, *Non quasi nunc hæ sunt hic limaces lividæ:* quem de meretricibus dictum accipio, quas ad despicatum limacibus comparari existimo. TURNEB. Melius, *sumtuis limaces lividæ.* Limaces, a limace, ut apparet, quæ folia plantarum, & olera corrodit. Ejusmodi sunt meretrices, quæ miseros amantes καταφαγοῦσι. A quo illa apud Menandrum meretrix dicitur Αἲξ.

— ἐπεκαλεῖτο δὲ
Αἲξ, ὅτι μέγαν κατέφαγε τὸν ἐράστὴν ποτε Θαλλόν.

Vel potius a limando. Nam Græci quoque τὸ ῥινοῦν in eadem significatione usurpant. Ælianus: Καὶ ὁ μὲν τοῦ Μενάνδρου Θήρων (nomen est parasiti) μέγα φρονεῖ, ὅτι ῥινῶν ἀνθρώπους, φάτνην αὐτοὺς ἐκείνους εἶχεν. Ubi etiam eleganter περὶ τῆς φάτνης. A quo dixit Plautus de Parasito, *Recepit se in præsepim suam.* Itaque limaces meretrices, a limando. SCALIG.

lin. 9. *Diobolares, scænicula, miraculæ.*] Fortasse cum præcedente versu continuari debent elogia hujus jambici, *Diobolares, schœnicolæ, miraculæ.* Ac *schœnicolæ* quidem dicuntur, quæ *schœno unguentario* (sic enim in Varrone legendum existimo) nonnullam odoris gratiam arcesserent; quas in schœno delibutas ipsemet Plautus dixit. TURNEB. Sunt ita digerendi versus hi:

Non quasi ut hæc sumtuis limaces lividæ,
Diobolares, schœnicolæ, miraculæ,
Cum extritis talis, cum crotilis crusculis,
Capillo scisso, atque exeissatis auribus.

Quod secundus versus sit ex Clitellaria, non Nervolaria, ut falso putant quidam, vel hoc uno cognoscimus. In Fragmentis Festi mutilatis, ubi differitur, quæ sint scœnicolæ meretrices, versus hi duo continui citabantur, *Diobolares, scœnicolæ, miraculæ, Cum extritis talis, &c.* Priscianus vero citat ex Cistellaria illum, *Cum extritis talis, &c.* ergo sunt illi duo ex eadem fabula Clitellaria. Quartum vero ex Cistellaria adductum inveni: sed perperam, ubique pro Clitellaria.

Quem cum ceteris conjungendum esse, nemini dubium esse debet. Quæ quamvis satis erant ad fidem faciendam sententiæ nostræ: tamen major huic cumulus accesserit, si ea, quæ citantur ex Astraba, cum illis, quæ ex Cistellaria falso pro Clitellaria adducuntur, conjungamus. Cujusmodi sunt hæc:

——*quasi tolleno, vel*
Pilum Græcum reciproces plana via.
Quæ nisi sic biteris, nimium is vegrandi gradu.
Pol ad cubituram, mater, mage sum exercita.
Reliquum, ad cursuram sum tardiuscula.

Quæ non dicam quam conveniunt, sed quam elegantia sunt. Sed enarrandi sunt, quos supra conjunxi. *Diobolares.* Puto fuisse in Græco:

Διώβολοι, καὶ μορμῦνες, σχοινοτρίβες.

Diobolares. Plautus Pœnolo:

Servolorum sordidulorum scorta diobolaria.

Ad verbum esset,

Δουλαρίων οἰκοτρίβων κασαλβάδες διώβολοι.

Pacuvius apud Placiadem:

——*non ego ita fui,*
Uti nunc sunt meretrices diobolares, suam
Quæ nummi causa parvipendunt gratiam.

Dicebantur & βλιτάδες in contemtum. Βλιτάδες, inquiunt grammatici, αἱ εὐτελεῖς γυναῖκες, id est, nugatoriæ mulieres, ut vocat Festus. Plinius: *Blitum iners videtur, ac sine sapore, aut acrimonia ulla. Unde convicium feminis apud Menandrum faciunt mariti.* Plautus: *Lutea, blitera meretrix.* Apud Catullum:

Non assis facis oblitum lupanar.

Lege:

Non assis facis, o blitum, lupanar.

id est, O blitum, o lupanar, non curas. Lupanar enim etiam vocavit, ut Lucilius:

——*carcer vix carcere dignus.*

Et Terentius, scelus pro scelesto. Martialis, vitium pro vitioso. Virgilius:

——*Et crimine ab uno Disce omnes.*

Crimine ab uno, id est, ab uno reo. Aristophanes: Ἐν κύκλῳ τὰ νοσήματα σκοπῶν, id est, τοὺς νοσηλούς. Itaque lupanar eleganter pro meretrice. At alii aliter. Mox *schœnicolæ* legendum. Exstat & in Plauti Pœnolo. Sed ibi falso legitur *cœnico-*

læ. Miraculæ. Φόβητρα plane exprimi puto, & μορμόνας. Nisi intercederet Varronis auctoritas, legerem, *muricolæ*, pro *myricolæ*, μυροτρίβαι, vel μυροτρίβες. Possent & Miraculæ esse a miraculis. *Miracula, quæ nunc digna admiratione dicimus, antiqui in rebus turpibus utebantur.* Auctor Festus. Inde Catullus monstra pro eodem dixit: *Sed tu cum copone omnia monstra facis.* — *Cum extritis talis.* In aliis legitur *extortis.* Inter laudes mulierum καλλιπλόκαμος, καὶ καλλίσφυρος. Sicut contra inter vitia, Compernis, & valga, & vatia. Lucilius lib. 17:

Num censes καλλιπλόκαμον, καλλίσφυρον ullam
Non licitum esse uterum, æque etiam inguina tangere mammis?
Compernem aut varam fuisse Amphitruonis ἄκοιτιν
Alcmenam, atque alias, Helenam ipsam denique nolo
Dicere. tute vide, atque disyllabon elige quodvis.
Τὴν εὖ πίειραν *aliquam rem insignem habuisse,*
Verrucam, nævum pictum, dentem eminulum unum.

Qui erant extritis talis, λαισποδίαι ab Atheniensibus dicebantur. Quamquam nonnulli dicunt, λαισποδίας eos esse, qui δρεπανώδεις habebant πόδας. Ut ii sint, quos Falcones a veteribus vocatos esse testatur Festus. *Cum crotilis crusculis.* Festus legit *crocotilis.* At altera lectio melior. siquidem Crotilum vocabant exile & tenue. Videtur κροτίλος fuisse, ut κωτίλος. Inde compositum Succrotilus. Titinnius:

Feminea fabella, succrotila vocula.

Ecce autem inconstantia lectionis. In aliis enim legitur, *todellis crusculis*, etiam in Festo ipso. *Todi*, inquit, *genus avium parvarum.* Et putat ab illis cruscula exilia, & tenuia, todella dici. Sane non caret ratione. Nam simili translatione Eubulus Comicus dixit σκέλη κοψίχου, ab ea minuta avicula scilicet. Ita enim ait:

Ἡ Θεανὼ δ' οὐχὶ σειρήν ἐστιν ἀποτετιλμένη;
Βλέμμα καὶ φωνὴ γυναικὸς, τὰ σκέλη δὲ κοψίχου;

Nunc redeo ad Varronem. SCALIG.

lin. 11. *Ab scæno nugario unguento.*] Vulg. *Ab schæno* &c. Nugario potuit dicere, quod toti χλιδῶνες muliebres, quæ vulgo Jocalia vocamus, veteribus dicebantur Nugæ muliebres. Plautus Aulularia:

Ubi nugivendis res soluta est omnibus.

Pollux lib. 5: Καὶ ἄλλους δέ τινας κόσμους ὀνομάζουσιν οἱ κωμῳδιδάσκαλοι λῆρον, ὄχθοιβον, σκέλλυθρον. Etiam λῆροι,

inquit Hesychius, τὰ περὶ τοῖς γυναικείοις χιτῶσι κεχρυσωμένα. Et in 6 Epigrammatum:

— καὶ λήρων οἱ χρυσοῖ κάλαμοι.

Petrus Victorius reposuit *nugatorio* ex veteris scripturæ auctoritate. Id erit futili, καὶ καταφρονητῷ. ut nugatorias mulieres vocat Festus τὰς εὐτελεῖς, καὶ εὐκαταφρονήτους. SCALIG.

lin. 12 sq. *A quo Accius ait, Personas distortas oribus deformeis, miriones.*] De personis histrionum monstrosis & deformibus intelligo. quod & de similibus figmentis ridiculis accipi etiam velim. TURNEB.

lin. 13. *Ibidem scrantiæ, scrupedæ, stritabillæ, tantalæ.*] Versus hic, superioribus, ut apparet, adjungendus; sed in scriptorum libris varie conceptus: cujus haud scio, an verissimam sim formulam exhibiturus literatis. Quemadmodum tamen mihi videatur esse scribendus, dicam. Lego igitur: *Scraciæ, scrupedæ, strictabillæ, tantulæ.* Tantulæ sunt parvæ, breves. ut apud Plaut. *Tantula tanta verba funditat.* Scraciæ sunt æque despiciendæ & comtemnendæ ac screa sputaque, sic vocatæ quasi *screaciæ.* TURNEB. Lege: *Idem Nervolaria: Scrancliæ.* Veteres excusi habebant, *Idem in ervolaria.* Ex eo igitur restituenda vera lectio. Hoc ita esse testatur & Pius Annotationum suarum cap. 204. Similia convicia in meretrices, ut in superioribus: quod fecit, ut superiores versus ex Nervolaria esse putarint propter affinitatem sententiæ. Itaque hinc eraserunt nomen Nervolariæ, quod putarent, id ponendum esse, ubi citatur Cistellaria. *Scrancliæ*, in nonnullis *Scracliæ.* Scracere videtur olim dictum τὸ χρέμπτεσθαι. Quod verbum & hodie quoque vulgo in Gallia usurpamus. In Nonio & Festo manifesto legitur *Scraptæ.* Titinnius Prilla:

Rectius mecastor Piculetæ Postumæ
Lectum hodie stratum vidi, scraptæ mulieris.

Quare *scraptæ*, pro meretricibus, quasi despiciendæ. *Scrupedæ*, quæ ægre incedunt, ab eo quod qui per scrupos & lapillos incedunt, difficile ingrediuntur. Quæ ita ægre consisterent, veteres etiam Petrejas vocabant. Ego puto melius esse, ut dicamus, Plautum, cum hæc ex Græco transferret, Græca quædam vocabula reservasse. Itaque *scrupedas*, quasi *crupedas* dictas, ut tritavus, stritavus, &c. κρούπεδα enim, quæ & κρούπεζα, Græce dicuntur sculponeæ. A quo homines duris pedibus & ligneis vocabantur κρούπεδοι & κρούπεζοι: quia κρούπεδα, inquit Hesych. σανδάλια, καὶ ὑποδήματα ξύλινα μεθ' ὧν τὰς ἐλαίας πατοῦσι. Deinde τοὺς κρουπέδους

interpretans, θέλει οὖν, inquit, δηλοῦν τοὺς τραχεῖς πόδας ἔχοντας. *Stritabillæ*, in nonnullis *strictipellæ*. Eæ erunt, quæ stringunt cutem, & rugas in facie extendunt. Itaque ad id fiebat τετάνωθρον, ut vocat Dioscorides: quod Latine tenipellium. Titinnius:

——— tentipellium
Inducis: rugæ in ore extenduntur tuæ.

In aliis legitur *strictivellæ*, ut apud Nonium. Erunt, quæ psilothro, pumice & volsellis crebro utuntur ad cilia castiganda, & ceteros pilos evellendos. Vel quæ calamistrorum nimio usu pellem adurunt. Propterea dicebantur Incoctæ mulieres. A qua ratione, qui vibrabant capillos, homines molles & effeminatos vocat Strabo καπυριστὰς lib. 14. SCALIG. Magis placeret *scraciæ*, *scrupedæ*. *Scracia* est, quæ molesto & difficili strepitu trahit screatum: cujus causa corpus siccum & aridum, id quod in feminis damnatur. Catullus in Furii novercam:

Atqui corpora sicciora cornu,
Aut si quid magis aridum est, habetis.

Scrupedam Aurelius Opilius putabat dici velut scauripedam, a scauro pede, qui est in vitio. Horatius:

Balbutit scaurum pravis fultum male talis.

Juventius Comicus quasi *erucipedam*: quod pedibus curtis repat potius, quam incedat, more erucæ, quæ cum multis pedibus ad frondes & olera erepit, a quo etiam nomen habet. Valerius Cato a pede & scrupea, quæ habet pedes scabros & duros in modum lapillorum, qui appellantur scrupi. *Stritabillæ*, quæ ægre pedibus insistunt. id enim est stritare, a quo stritillo, ut a conscribo, conscribillo, apud Catullum & Varronem. *Tantulæ*, parvæ, breves, ut Plautus: *Tantula**tanta verba funditat*. Cæsar de Bello Gallico lib. 2: *Homines præsertim tantulæ staturæ*. POPMA.

lin. 14. *Ab screando Scrantiæ sic adsignificat.*] Videtur Varro *scraciam* explicare siccam. Nam in eo videtur legendum, *Scracia siccam significat*, vel *exsiccam significat*. Nam cum siccæ sunt & arentes fauces, magno & difficili strepitu & roncho veluti troclea screatum trahimus. *sic adsignificat*, tamen non muto. TURNEB. Vulg. *Ab exscreando scranciæ: sic adsignificat*. Lego: *Ab exscreando: scrancia siccam significat*. Ariditatem in corporibus mulierum notat etiam Plautus in Curculione:

Tibi qui screanti, siccæ, semisomnæ affert potionem.

Et in Epigrammate:

Quæ succo caret, ut putrisque pumex:
Nemo viderit hanc ut exscreantem.
Quam pro sanguine pulverem scobemque
In venis medici putant habere.

Hic ergo siccæ mulieres, quæ tussiendo & exscreando exhaustæ sunt. Unde ille in Milite Plauti vult scortum siccum, succidum: siccum, non tamen succo carens, & exhaustum. Ideo succidum, ut Terentius, succi plenum. Itaque siccam, minime sputatricem. Unde apud Juvenalem repudiatæ mulieri inter alias causas repudii hæc præcipua velut sontica assignatur, quod nimium emungeretur:

Jam gravis es nobis, nimiumque emungeris. —

Quas causas repudiata quædam apud Afranium a se rejicit, cum ait:

Vigilans, ac sollers, sicca, sana, sobria,
Virosa non sum: &, si sum, non desunt mihi
Qui ultro dent: ætas integra est, formæ satis.

Sunt enim ex Repudiata Afranii. Etsi scio, in Afranii verbis siccam esse posse pro sobria dictum: ut apud Plautum in Asinaria, & Ciceronem in Academicis sicci homines pro sobriis: sicut contra madidus, & madulsa, pro ebrio. Ita etiam ξηρὸν Græce. Pindarus apud Plutarchum περὶ σαρκοφαγίας· Γυῶναί τε ἔπειτα αὐγᾷ ξηρᾷ ψυχὰ σοφωτάτα. Et Athenæus lib. 2, ξηρὰν τροφὴν vocat abstemiam. ἐκ τροφῆς ξηρᾶς οὔτ' ἂν σκώμματα γένοιτο, οὔτ' αὐτοσχέδια ποιήματα. SCALIG.

lin. 15. *Scrupedam Aurelius scribit Auscaripedam.*] *Scrupedam* Aurelius exponebat a scauro pede, vel *scauripedam*. Nam sic lego. *Scaurus* autem exponitur στρεβλόπους & σκαμβὸς σκέλος a vetere critico. Horatius quoque in Sermonibus:

Balbutit scaurum pravis fultum male talis. TURNEB.

Transpositio facta est, pro *scauripedam*. Scauri erant homines pravis fulti male talis, ut verbis Horatii utar. Ergo Scauripedæ eædem erunt quæ supra, extritis talis. id est, non καλλίσφυροι, neque εὔπεζοι. SCALIG.

lin. 16. *A vermiculo piloso.*] Juventii sententia postulat, ut legatur *Ascaripeda.* ἀσκαρίδες enim sunt illi vermes, quos intelligit. Sed, quod cum bona Varronianorum omnium venia dixerim, lumbrici nusquam in frondibus inveniuntur, sed ἴουλοι potius. ἀσκαρίδας perperam Gaza Tipullas vertit. Siquidem Tipullæ, non sunt vermes, sed potius aliud insecti genus, quod semper in rivis & fontibus visitur, summa celeritate

superficiem aquæ percurrens. Quas vulgus Aquitanum & accolæ Garumnæ Capras vocant. Itaque dicta sunt παρὰ τὰ τίφη. τίφεα enim τὰ ἕλη, ubi eæ versari solent. Varro:

——— levis
Tipulla lymfôn frigidos transit lacus.

Ita enim legendum in Nonio. SCALIG.

lin. 18 sq. *Ex eo ab Actio positum, Incuriosa itaque es; Menalippe? Rejicis abs te religionem? scrupeam imponas.*] Lego: *Ex eo ab Actio positum in curiosa. Itaque est in Menalippa, rejicis abs te religionem scrupeam pone.* Actius, inquit, scrupeum pro curioso usurpavit in Menalippa, cum religionem scrupeam dixit, quam post tergum rejiciendam ait. TURNEB. Totus hic locus perturbatus est. Ita, meo judicio, legendus est: *Ex eo ab Attio positum pro curiosa: itaque est in Menalippo: Rejicias ab te religionem, scrupeæ imponas.* Scrupea, ἡ δεισιδαίμων. *In Menalippa*, legendum omnino, *in Menalippo.* Nam ex Menalippo Attii sæpe producit testimonia Nonius. Ennius vero scripsit Menalippam, quam vertit ex Sophocle. *Rejicis abs te religionem*, melius, *rejicias.* Rejicit a se religionem, qui omen ad alium transfert. Sicut contra objicere religionem, ἐπιθειάσαι; nimirum ex observatione ominis δεισιδαιμονίαν incutere. Plautus Mercatore: *Religionem illic objecit: recipiam me huc.* Sic Horatius religionem objicit Galateæ profecturæ, ab omine: scilicet ab exemplo Europæ. Suetonius dixit, afferre religionem. *Fuere*, inquit, *qui proficiscenti Othoni moras, religionemque nondum conditorum anciliorum afferrent.* SCALIG. Attii fabulæ *Menalippus* & *Menalippa*, & hæc posterior etiam Ennii. *Scrupeus*, asper, & difficilis attrectatu. Ennius Andromeda:

Scrupeo investita saxo atque ostreis.

Attius tralatitie pro superstitioso. Rejice, inquit, a te religionem, quam objecit saga ex observatione ominis illius:

Regina erit tempus, cum hic torris, quem amburi vides.

& transfer in ipsam sagam, nimia & superstitiosa religione alligatam. POPMA.

lin. 20. *Stritabillas, a stritilando. Stritare ab eo* &c.] *Strictabillæ* dicuntur non tam ambulantes, quam summo pede vel talo terram stringentes. quod usu venit iis, quibus pedes læsi sunt, vel crura. Non enim planum ponunt vestigium pedis, sed ejus extremo tantum radunt solum, qui iidem pedibus suis ægre stant & insistunt. A stringendo deducitur *strictare:*

a strictando *strictillare* per diminutionem: & per eandem iteratam *strictibillare*, vel *strictabillare*, ut a conscribere, conscribillare. unde *strictabillæ* sunt appellatæ, ut Varro ait. Nec vero scriptura, quam hic tueor, mea est, sed eorum librorum, quibus hodie solis testimonii (ut placet quibusdam) dictio est. TURNEB. Vulg. *Scritart*. In veteribus excusis *Strictare*. Erit a terendo Tritare & Stritare, ut stritavus: id est, διατρίβειν, καὶ βαμβακίζειν. A quo nonnulli Hispani dicunt hodie *Bambanear*. Latini veteres dicebant talipedare. Et Attas, qui ita ægre incederent. Vel potius *Structare*. Id erit derivatum a Struo. ut in XII Tabulis, *Pedem struere*, est vix pedem pedi præferre, ait Verrius: hoc est, vix γόνυ γονυὸς ἀμείβειν, diceret poeta quidam. SCALIG.

lin. 22. *Actiosa annonam e vili concinna vireis.*] Lego: *Axiciosæ annonam e vili caram concinnant viris.* TURNEB. *Axiosæ.* SCALIG.

ead. & sq. *Ideo in Sitelitergo idem ait, Mul'eres uxorculavit: ego novi, scio actiosas.*] Lego: *Mulier es, uxor, cujam te ego novi: scio axiciosam.* TURNEB. Tu meo periculo pro *Sitelitergo* repone, *in Scythe liturgo*. Hæc fabula translata est ex Antiphane, quem citat Athenæus ἐν σκύθῃ. λειτουργοὶ vero καὶ δημόσιοι ὑπηρέται vocabantur Scythæ. τοξόται, inquiunt grammatici, οἱ δημόσιοι ὑπηρέται, φύλακες τοῦ ἄστεος, τὸν ἀριθμὸν χίλιοι· οἵτινες πρότερον μὲν ᾤκουν τὴν ἀγορὰν, μέσον σκηνοποιησάμενοι, ὕστερον δὲ μετέβησαν εἰς Ἄρειον πάγον. ἐκαλοῦντο δὲ οὗτοι καὶ Σκύθαι, καὶ Σπευσίνιοι, ἀπὸ Σπευσίνου τινὸς τῶν πάλαι πολιτευομένων, συντάξαντος τὰ περὶ αὐτούς. Apparet, apud Græcos, Scythas eundem ordinem tenuisse, quem apud nos Germani in stipandis regum & principum corporibus. λειτουργὸς quoque Σκύθης introducitur ab Aristophane ἐν ἐκκλησιαζούσαις. Quare vera est conjectura nostra. Et falsus est memoriæ Festus, qui ex Scythe liturgo (sed & ibi quoque depravata est lectio) citat ea, quæ exstant in Milite Plauti. Sane Scythæ λειτουργοὶ nihil aliud erant, quam Stipatores, & qui vocabantur olim Latrones. Mox *uxorculare*, poterat dictum videri sicut mulierare. Varro, γνῶθι σεαυτόν· *Et rex, & misellus ille pauper amat. Hic ephebatum mulieravit. Hic apud mœchada adolescentem cubiculum pudoris polluit.* tamen video, hanc esse veram lectionem:

Mulier es, uxor. Cuja, vir? Ego novi, scio: axiosa es.

Hoc enim convitio irati dimittebant a se mulieres, sicut &

hodie quoque ſolemus facere in communi ſermone. Terentius:

Oh pergin' mulier eſſe?

Plautus Caſina:

Inſipiens ſemper tu huic verbo vitato abs tuo viro.

CLI. *Cui verbo?* MU. *I foras: mulier es.* —

In Pœnolo:

Tacitius tibi reſiſtam, quam quod dictum eſt malæ mulieri.

Rixanti enim & garrienti dicunt, *Mulier es.* Itaque garrientem mulierem malam vocat: quia videtur fuiſſe proverbium, *Mulier, cum tacet, bona eſt.* Idem in Rudente:

Eò tacent, quia tacita bona eſt mulier ſemper, quam loquens.

Ex illo:

— γυναιξὶ κόσμον ἡ σιγὴ φέρει. SCALIG.

Exiſtimarim legendum, *Synteleturgo.* Συντελετουργὸς eſt actor & effector operis communis: qua voce ſi Plautus fabulam inſcripſit, forte intellexit hominem nequam, qui cum mulierculis operatur res Veneris. Veteres dixerunt *axitioſum* & *axitem.* Feſtus: *Axitioſi ut factioſi dicebantur, cum plures una quid agerent facerentque.* Axit autem antiquos dixiſſe pro egerit manifeſtum eſt. unde *axites mulieres* ſive *Dii* dicebantur una agentes. Gloſſarium: *Axites*, ἀποτελεσματικαί. Dionyſius Areopagita τελετουργὸν δύναμιν vocat vim divinam, operantem in ſacramentis eccleſiaſticis. Omnino autem legendum, *Mulieres uxor calavit*: feſtive, quod ſicut pontifex minor calabat in Capitolium plebem, & quot numero dies a Kalendis ad Nonas ſupereſſent, edicebat; ita uxor vocabat mulieres ad conventum, & mariti flagitia evulgabat. POPMA.

lin. 24. *Quas ſic Claudius ſcribit actioſas demonſtrari ſuſpicatrices, ab agendo actioſas.*] Reperio: *Quaſi Claudius ſcribit axicioſas demonſtrari conſupplicatrices, ab agendo axicioſas.* Mulieres rebus divinis deditæ, ſimpulatrices dicebantur, ut ait Feſtus. Idem ſcribit, antiquos Axit pro Egerit dixiſſe, ut apud Plautum *adaxint*, pro adegerint, in Aulularia reperitur. Axieſque refert eſſe mulieres in ædibus una agentes, & Axicioſos, factioſos: ut *axies* fortaſſe Pompejo mulieres ſint, quas *axicioſas* Varro vocat, quæ una agunt cum aliis. *Axitas* etiam reperio in antiquo lexico exponi ἀποτελεσματικάς. Alii hic *actioſas* ubique legunt, & *ſuſpicatrices*, non *ſupplicatrices.* Nos iſtam varietatem lectori potius proponimus, quam noſtram ſententiam interponimus. quam tamen ſi quis requirat, putem Plautum *axicioſam* ſcripſiſſe. Varro autem Claudii non ſequitur interpretationem, ſed eam affert, quam retulit Feſtus.

TURNEB. Pro *Claudius* vulg. *Carbilius*. Scribendum: *Aur. Opilius*. Nam *C* hic adhæsit ex fine præcedentis *sic*. SCALIG. *Quas* abest a libris veteribus. Itaque legerim: *Hic Claudius scribit*. Et fortassis est Servius Claudius, cujus Commentarium quendam citat Gellius lib. 13, & meminit Cicero lib. 1 ad Atticum: *Lucius Papirius Pætus vir bonus amatorque noster, mihi libros eos, quos Ser. Claudius reliquit, donavit*. & in epistola ad Pætum: *Ut Servius frater tuus, quem literatissimum fuisse judico, facile diceret, hic versus Plauti non est, hic est, quod tritas haberet aures notandis generibus poetarum & consuetudine legendi*. POPMA.

lin. 27. *Actiosæ*.] Vulg. *Axiosæ*. Festus legit *Axies mulieres*. SCALIG.

ead. *In Cestione*.] Vulg. *Gestione*. Poterat legi, *in Restione*. Is est Mimus Laberii. Sed Varro æqualem suum non citasset, ut puto. Poterat & *Æschrione*. Ea est fabula Cæcilii. Magis placeret *Quæstione*. Eam scripsit Nonius Attellanarum scriptor. Sed hodie desideratur illud testimonium in vulgatis Nonii codicibus libro de Contrariis generibus nominum. Id autem adducit, ut probet, *savies* olim pro *saviere* dictum fuisse. Quare ita repones ex scripto codice, *Suavies*, *pro suaviere*, *Pomponius Munda*:

Ego illam non amplectar? ego non saviam? Nonius Quæstione:
Mammas teneas, pedes extollas, congenues, savies.

Ego quoque id enarrabo. *Congenues* dixit, genua jungas. quod obscœnum est. Item illa obscœna, *Pedes tollere*, & *mammas tenere*. Sed posterius minus animadversum. Plautus Pseudolo:

——ubi mamma manicula
Opprimitur alia: aut, si lubuit, corpora
Conduplicant. —

Et alibi:

Papillarum horridularum compressiunculæ.

Aristophanes Pace:

Τί δῆθ' ὅταν ξυνὼν τῶν τιτθίων ἔχωμαι;

Euripides Cyclope:

Ἵν' ἐστὶ τοτὶ τοὐρθὸν ἐξανιστάναι,
Μαστοῦ τε δραγμὸς, καὶ παρεσκευασμένου
Ψαῦσαι χεροῖν λειμῶνος. —

At ineptus poeta omni abjecta verecundia & majestate heroici carminis, illam fœditatem etiam ipsis verbis expressit, libro 4 Argonaut.

Ἀκροχάλιξ οἴνῳ καὶ νέκταρι, καλὰ μαμαρπῶς
Στήθεα παρθενικῆς Μινώίδος. —

Hæc ſane explicanda fuerant, quia hactenus in ſitu latuerant. Non tamen propterea legerim *in Quæſtione*; ſed *in Gaſtrione*, vel, ſi mavis, *Gaſtrone*. In veteribus enim diſerte excuſum eſt *Geſtrione*. Ea fabula verſa eſt ex Antiphane, qui citatur ἐν γάστρωνι ab Athenæo libro 10. SCALIG. Videtur mihi legendum, *In Gaſtrone*. Gaſtronem fabulam ſcripſerunt Antiphanes & alii Græci, a quibus Plautus titulum ſumſit. POPMA.

ead. & ſq. *Ceraſtibola, ut de lumbo obcœnabis. Ceraſtibola Opilius ſcribit circum coxendices ſunt nobis.*] Legendum: *De ſtribula ut delumbos cœnabis Charea. Stribula, ut Opilius ſcribit, circum coxendices ſunt nobis.* Strebula Pompejus ait Umbrorum lingua appellari partes carnium ſacrificatarum. Arnobius lib. 7 fere ut Varro interpretatur, ſic ſcribens: *Non enim placet carnem ſtrebulam nominare, quæ taurorum e coxendicibus demitur.* Etymologiam ei Græcam reddit Varro, a verbo στρέφειν, quod eſt vertere. TURNEB. *Caro ſtrebola, vitellina eſt: cœnabis.* Ita enim legendum mihi videtur. Carnis ſtrebulæ meminit Feſtus: item & Arnobius. *Nonne*, inquit, *placet carnem ſtrebulam nominare, quæ taurorum e coxendicibus demitur?* Videtur κωλὴ dicta a Græcis, ἡ γοῦν ἀγκύλη ὀστώδης. A qua curvatura & verſura dicta Strebula. στρεβλὸς enim Curvus & pravus. Unde Stribligo depravata oratio, ὁ σολοικισμός. Videtur eſſe & quod ſcribit Heſychius. Κόττταρον, inquit, τῶν ὀπισθιδίων τοῦ βοὸς ἡ σὰρξ ὑπὲρ τὰ ἄρθρα. SCALIG. Lego, *Creaſtrebula aut.* ſunt κρέατα στρέβλά, carnes ſtrebulæ circum coxendices in bobus, a curvatura & verſura ita dictæ, auctore Varrone. etſi Feſtus ait, Plautum in Frivolaria ſtrebulas Umbrorum lingua appellaſſe partes carnium ſacrificatarum. Arnobius lib. 7: *Nonne placet carnem ſtrebulam nominare, quæ taurorum e coxendicibus demitur?* POPMA.

lin. 30. *Scobinam ego illam actutum adraſi.*] Legendum exiſtimo: *Scobinam ego lima actutum abraſi.* Nam Varro limam interpretatur: quod non faceret, niſi ejus poeta mentionem feciſſet: quam materiam, & inſtrumentum, & rem fabrilem dicit. TURNEB.

Pagina 94.

lin. 2. *Grallatorem.*] Nonius: *Grallatores ſunt Calobathrarii* (melius καλοβάται.) *Grallæ enim ſunt fuſtes, qui innituntur. Varro, Mutuum muli ſcabunt,* περὶ χωρισμοῦ: *Grallato-*

res qui gradiuntur, perticæ sunt ligneæ. Ab hominis quoque vi istæ agitantur. Sic illi animi nostri sunt. Colla, crura, ac pedes nostri, etiam κινητὰ, sed ab animo moventur. γύπωνες, ut puto, a Græcis vocabantur. Pollux: *οἱ δὲ γύπωνες, ξυλίνων κώλων ἐπιβαίνοντες, ὠρχοῦντο διαφανεῖ ταραντίδι ἀμπεχόμενοι.* SCALIG.

lin. 6 sq. *Hoc factitatum Aristoteles scribit in libro, qui inscribitur, Nomina Barbarica.*] Contra librorum testationem omnium gestit animus scribere, *νόμιμα βαρβαρικά.* Nam, ut opinor, Aristoteles de legibus & institutis barbarorum scripserat, non de eorum lingua: & Varronis verba nescio quid tale demonstrant. TURNEB. *In libro, qui inscribitur νόμιμα βαρβαρικά.* Sic citatur *ἐν Τυῤῥηνικοῖς νομίμοις* ab Athenæo. Sed quare in barbaricis institutis & legibus, Præficarum meminerat Aristoteles? Quia Phryges proprie dicuntur Barbari: eorum autem inventum Præficæ, & Nænia. Papinius in Epicedio patris:

Ut Pharios aliæ ficta pietate dolores,
Mygdoniosque colunt, & non sua funera plorant.

Unde Nænia Phrygium vocabulum, Latine Lessus. Pollux: *τὸ δὲ νηνίατον, ἐστὶ μὲν Φρύγιον, Ἱππῶναξ δὲ αὐτοῦ μνημονεύει.* Unde *νηνυρίζεσθαι, τὸ θρηνεῖν.* Ea canebatur ad tibias, quæ *θρηνητικοὶ αὐλοὶ* dicebantur. Id quoque Phrygium inventum, ut etiam Catullus vocarit barbaram tibiam. Varro de Vita pop. Rom. lib. 4: *Ibi a muliere, quæ optima voce esset, Pergama laudari: deinde neniam cantari solitam ad tibias & fides eorum, qui ludis Troicis cursitassent. Hæc mulier olim vocitata fuit Præfica usque ad secundum Pœnicum bellum.* In quibus verbis, quæ & corrupra antea, a nobis emendata sunt, & lacera, conglutinata, aperte indicat Varro hunc morem præficarum manasse ex Phrygia in Italiam per comites Æneæ. Statius Thebaidos libro 6, in exsequiis Archemori pueri:

Cum signum luctus cornu grave mugit adunco
Tibia, cui teneros suetum producere manes
Lege Phrygum mœsta, Pelopem monstrasse ferebant
Exsequiale sacrum, carmenque minoribus umbris
Utile, quo geminis Niobe consumta pharetris
Squalida bissenas Sipylen deduxerat urnas.

Ubi & de tibiæ forma indicatur, & primum neniam cantari solitam in funere infantium. A quo, ut puto, quoddam ge-

mus legis puerilis dictum est Νηνίατος. Hesychius: Νηνίατος, παιδαριώδης νόμος. Horatius:

Roscia, dic sodes, melior lex, an puerorum
Nenia, quæ regnum recte facientibus offert?

Inde Neniæ dici cœptæ pro frivolis, & nugis. Nugæ etiam erant proprie, quæ canebantur in mortuorum laudem. Plautus Asinaria:

Hæc sunt non nugæ: non enim mortualia.

Etiam origo id declarat. Nam Nugæ Hebraicum & Syriacum vocabulum. Id sonat mœrorem, sicut Nenia planctum eadem lingua. Neque enim Phrygium est, quod putant grammatici. In Plauto Nugæ & mortualia vocantur carmina præficarum. Gellius: *Vos Philosophi mera estis, ut M. Cato ait, mortualia glossaria: nam qui collegistis & lectitastis res tetras, & inanes, & frivolas, tanquam mulierum voces præficarum.* Ergo Neniæ Phrygum inventum, ut volunt grammatici. A quibus Cares quoque id didicerunt. λέγεται δὲ, inquit Pollux, καὶ Φρύγας εὑρεῖν αὐλὸν θρηνητικὸν, ᾧ κεχρῆσθαι τοὺς Κᾶρας παρ' ἐκείνων λαβόντας. θρηνῶδες γὰρ τὸ αὔλημα Καρικόν. Illud vero μέλος Καρικὸν, quod canebant ad tibiam, constabat ex trochæo & jambo. Itaque quæ apud eam gentem id canebant mulieres, vocabantur Καρῖναι, a natione. Hesychius: Καρῖναι, θρηνῳδοὶ μουσικαὶ, αἳ τοὺς νεκροὺς τῷ θρήνῳ παραπέμπουσαι πρὸς ταφὰς καὶ τὰ κήδη. παρελαμβάνοντο δὲ αἱ ἀπὸ Καρίας γυναῖκες. Quo titulo Menander & Cæcilius comœdiam inscripserunt. SCALIG.

lin. 12. *Præfatione.*] Marg. Scalig. *Præfectione.*

lin. 13 sq. *Decem coclites, quos montibus summeis ripeis sedere.*] Al. *Decem coclites, quos montibus scimus riphæis fodere.* De Arimaspis intelligo unoculis, qui Riphæos montes incolebant, & auraria metalla fodiebant, quæ rumor erat a Gryphis custodiri, quos Latini picos appellant. Ergo cum in Aulularia scribitur, *Pici divitiis, qui aureos montes colunt:* Gryphi intelligendi sunt. de quibus ita Mela scribit: *Gryphi, sævum & pertinax genus ferarum, aurum terra penitus egestum mire amant, mireque custodiunt, & sunt infesti attingentibus.* TURNEB.

——Decem coclites, ques montibu' summis
Ripeis fodere.—

Ques, pro *qui*, ἀρχαϊσμός. ita lego. Coclites, quos hic vocat Ennius, sunt Arimaspi, præcipue cum de Ripeis montibus agat, in quibus eos constituunt Herodotus, & alii ve-

tores scriptores. Id nos admonuit vir incomparabilis, quem nonnisi honorifice appellare debemus, Adrianus Turnebus. SCALIG.

lin. 15. *Ab oculo Cocles.*] Non dubium est, quin a κύκλωψ. Sic duplices Græcorum literas desinentes Latini mutant in S. κύκλωψ, Cocles. ἀλώπηξ, Æolice Fαλώπαξ, Valopes: quæ deinde volpes, non volipes, ut Varro. SCALIG.

lin. 16. *Quocirca in Curculione est, De coelitum prosapia te esse arbitror.*] Non de Romanorum Coclitum familia, sed Arimaspis dictum intelligo, qui erant (ut historici scripserunt, etsi, ut existimo, falso) unoculi. TURNEB.

lin. 18. *Quod est apud Cassium, Nocte intempesta nostram devenit domum.*] Lego: *Quod est apud C. Actium, Nocte* &c. Locus enim est sumtus e Bruto Actii. TURNEB. *Apud Cassium*, eodem errore, quo supra. Nam legendum, *apud Attium*. SCALIG.

lin. 22. *Quid noctis videtur? in altissimo cæli clypeo temo superat stellas sublime cogens etiam atque etiam noctis iter.*] Versus hi, qui de intempesta nocte anapæstici proferuntur, a duabus personis dicuntur: una interrogat, *Quid noctis videtur?* altera respondet, *In altisono cæli clypeo temo superat stellas sublimis, agens etiam atque etiam noctis iter.* Atque hos versus, ut scripsi, ita legendos arbitror, modulo nobis favente, editiones condemnante. TURNEB. Vulg. *Cum nox videtur.* In veteribus excusis: *Quid nox.* Ergo ita & corrigendum & distinguendum:

Quid nocti' videtur? in altisono
Cæli clupeo temo superat
Stellas, cogens sublime etiam
Atque etiam noctis itiner.

Coronis anapæstica ex Iphigenia Ennii, quæ est ex Euripidis Græca. Ita enim Euripides:

Τίς ποτ' ἄρ' ἀστὴρ ὅδε πορθμεύει;
ΓΕΡ. Σείριος ἐγγὺς τῆς ἑπταπόρου
Πλειάδος αἴσσων ἔτι μεσσήρης.

In quibus vides, quid sibi permiserit Latinus poeta, qui non interpres, sed ne imitator quidem esse voluit. Varronem fugit ratio, qui initio quarti libri ait hæc prolata ab Agamemnone: cum sint ex persona senis cum Agamemnone verba facientis. Sunt item & alia, quæ ostendunt, Iphigeniam Ennii versam fuisse ex Euripide, ut illa apud Festum:

Procede: gradum proferre pedum
Nitere. cessas?

Euripides:

Ἀλλ' ἴϑ' ἐρέσσων σὸν πόδα, γήρᾳ
Μηδὲν ὑπείκων.

Quos vero trochaicos adducit Gellius ex eadem Iphigenia Ennii, non sunt ex Græco, sed est ἐπεισόδιον ab Ennio insertum fabulæ. Ita enim mos est veterum tragicorum & comicorum, pleraque de suo addere præter fabulæ argumentum. SCALIG. Verba sunt Agamemnonis, ut indicat Varro lib. 4:

Quid noctis videtur? In altisono
Cæli clupeo temo superat
Stellas, cogens sublime etiam
Atque etiam noctis iter.

ad quæ respexit Apulejus in libro de Deo Socratis: *In hoc perfectissimo mundi, ut ait Ennius, clupeo.* POPMA.

lin. 28. *Tempus designandum.*] Scribo: *Ad tempus designandum.* TURNEB.

lin. 29 sq. *Quod has septem stellas* &c.] *Septemtriones* ait, a Latinis vocari *septem stellas.* Sic a Cicerone appellantur I Tusculan. ita scribente: *Quarum altera, quam nos incolimus, sub axe posita ad septem stellas.* TURNEB.

lin. 30. *Ut Homerus vocat ἄμαξαν.*] Ἄρκτον ϑ' ἣν καὶ ἄμαξαν ἐπίκλησιν καλέουσι. SCALIG.

lin. 31 sq. *Nostri eas septem stellas, boves, & triones, & prope eas axem.*] Lego: *Nostri eas septem stellas, boves & temonem, & prope eas axem.* Nam mox ostendit, *triones* esse boves, quasi *terriones*; sed er detritum esse censet. TURNEB.

Pagina 95.

lin. 1. *Triones.*] Nævius: — *Trionum hic moderator rusticus.* Puto Striones prius dictos a stria, quam proscindendo, sulcos faciunt. Sic & ipse Varro in striam jubet sulcos imprimi. Sic Plinius vetat in arando sæpius striare, id est, sæpius iterare striam. quamquam melius alii apud Plinium legunt *strigare.* Ab eo ergo Striones: ut in Tritavus & similibus S, quæ erat adventitia, sic in Strione, quæ nativa erat, periit. SCALIG.

lin. 4. *Valentes, Glebarii.*] Ita vocabant eos rustici. Græci χαμίνους, ἤγουν εὐπλεύρους βόας, ἰσχυροὺς, καὶ εὐισχίους. Hesychius. SCALIG.

lin. 6. *Unde Triones, ut dicerentur a detritu.*] Legendum

arbitror: *Unde triones ut dicerent, et detritum.* TURNEB. Marg. Scalig. *e detrito.*

lin. 10. *Aliquod lumen jubarve in cælo cerno?*] Sunt verba Ajacis ex tragœdia Ennii, quæ nomine ejus inscripta est, ut e lib. 5 constat. Itaque quod hic in nonnullis libris est, *Aliquod lumen*, mutaverim in, *Ajax quod Lumen* &c. POPMA.

lin. 15. *Inde hic bene potus.*] Vulg. *Inde bene appotus.*

Inde bene appotus primulo crepusculo
Domum ire cœpi tramite dextra via. SCALIG.

lin. 18. *In Condalio.*] Ea fuit translata ex Menandro. Is enim laudatur ab Athenæo ἐν δακτυλίῳ. Condalium enim δακτύλιον. SCALIG.

ead. *Tam crepusculo* &c.] Fortasse: *Tam crepusculo fere, ut amens, lampadas accendit.* SCALIG.

lin. 23. *At redito conticinio.*] Lego: *Redito huc conticinio.* TURNEB. Marg. Scalig. *I, redito.*

lin. 28. *Reciproca tendens nervo equino concita tela.*] Ita accipiendum auguror: Cum arcus tenditur, sagitta ad nos versus trahitur, quæ mox, dum mittitur, in eam partem, unde trahebatur, redit: idque est, quod reciprocum appellat. TURNEB. Erit trimeter Jambicus cum principio ἀκροστιχίδος. Sed melius puto ita concinnari:

Tendens nervo tela reciproca
Concita equino.

Simile apud Sophoclem in Trachiniis:

— ὁ δὲ βακχείας ἄπο
Ἤλθε παλίντονα Θήβας
Τόξα, καὶ λόγχας, ῥόπαλόν τε τινάσσων.

Reciproca, τὰ παλίντονα. Non tamen affirmem, esse ex illis Sophoclis versa. Quamquam Trachiniæ versæ sunt ab Attio. Ex quibus Cicero 2 Tusculana Herculis jam propemodum depositi exclamationes illas ad verbum ex Sophocle versas adducit. Neque tamen nomen Attii posuit, ut in alteris versibus, quos mox adscribit, non laudat auctorem Attium in Prometheo, qui illos versus scripsit, sed Æschylum, ex quo illi translati sunt: cum tamen esse ex Prometheo Attii, aliquot Nonii & Prisciani indiciis cognoscamus: qui illa, quæ exstant apud Ciceronem, nominatim ex Prometheo Attii citant. Utrasque ergo versiones unius Attii esse, hinc manifesto apparet. Et stilus ipse multo plenior, quam Ciceronis in transferendis poematis Græcis, & aliud seculum redolet, & mehercule longe felicius ingenium poeticum. Quod idcirco admonui, ne

fallantur omnes cum erudito viro, qui in Sophoclem commentaria edidit, putatque, eos versus Ciceronis esse. Nam profecto fallitur. Sed magis accusandi illi, qui cum mordicus teneant, atque adeo pertinaciter sibi persuaserint, illos esse a Cicerone conversos, in alium errorem incidunt: qui tam magnificos versus improbare audeant, tanquam a Cicerone poetices ignaro, ut ipsi volunt, conscriptos. Qui cum hoc profitentur, procul dubio declarant, quanti futuri essent in hoc genere scribendi, cum, quales sint in existimando, facile appareat. — *Nervo equino.* Tamen Homerus ἀπὸ νευρῆφι βοείας. Hesych. ἱππικὴ τάσις, ἡ νευρὰ τοῦ τόξου, διὰ τὸ ἐξ ἱππείων γίνεσθαι τριχῶν, οἱ δὲ θώμιγγα νευρῶν ἱππικὴν καλοῦσιν. Etiam Virgilius dixit *nervum equinum.* SCALIG.

Pagina 96.

lin. n. *Quasi cancer solet.*] Ex Pseudolo. Idem est, quod alibi idem ait, imitari Nepam. Intelligit καρκῖνον λοξοβάταν, ut in epigrammate Græco. SCALIG.

lin. 12. *Quod* ἀνδρὶ μάχεται.] Crebri sunt in hac licentia ac nimis invenusti Græci poetæ; sed maxime Euripides: ut de Polynice, quod sit νεικέων ἐπώνυμος: de Pentheo, μὴ πένθος εἰσοίσῃ δόμοις. Æschylus de Prometheo, quod eum oporteat προμηθέως ex malis evolvi: de Artapherne nimis putide, quod φρένας ἔχοι ἀρτίας. Nam quis sanus Persico nomini etymon Græcum attribuat? Sic Euripides de Thyeste:

— ἐπώνυμα δεῖπνα Θυέστου,

ut citant grammatici. & de Apolline:

Ὦ χρυσοφεγγὲς ἥλι' ὥς μ' ἀπώλεσας.
Ὅθεν σ' Ἀπόλλων' ἐμφανῶς κλήζει βροτός.

Citat Macrobius. Sophocles etiam aliquando, ut de Ajace. Sed parcius, ut decet sanum & sobrium poetam, & qui sane principem locum in theatro Græco obtinet. In Græcis hoc tolerandum erat: at quis ferat in Ennio? item in Plauto:

Quid refert mihi Chrysalo esse nomen, nisi factis probo?

Tolerabile, quod dixit Ausonius de Protesilao:

Victima quod Trojæ prima futurus eras.

At non ferendum, quod Protesilaum videtur sentire dictum, quod πρῶτος ἱλάσατο τὸν θεόν. Cum sit πρῶτος λαοῦ: & Πρωτεσίλαος similis compositio cum pleonasmo, ἑλκεσίπεπλος, ἀλκεσίμαρχος. SCALIG.

lin. 13. *In versu.*] Vulg. *In versum.* At melius, *in versu.* μεθερμηνεύσει. SCALIG.

lin. 18. *Jamque auroram rutilare procul cerno.*] Simile in Iphigenia in Aulide:

Ἴθι. λευκαίνει τόδε φῶς ἤδη
Λάμπουσ' ἠώς. —

Quod hic λευκαίνειν, non idem est rutilare, sed tamen pro eadem re usurpatum. Albicare dixit Mattius in Mimiambis:

Jam jam albicascit Phœbus & recentatur,
Commune lumen omnibus, voluptasque. SCALIG.

lin. 22. *Rutilæ.*] Russus & Rutilus idem erat: aut certe parum intererat. Cato Originum lib. 7: *Mulieres opertas auro, purpuraque: arsineum, rete, diadema, coronas aureas, russea facie, galbeas lineas, pelles, redimicula.* ita enim ille locus legendus est. Quas Varro vocat *rutilas*, Cato *russas* dixit. Alibi tamen rutilas vocat. *Mulieres nostræ*, inquit, *cinere capillum ungitabant, ut rutilus esset crinis.* Serenus:

Ad rutilam speciem nigros flavescere crines
Ungento cineris prædixit Tullius auctor.

Apud Maronem:

Immundum effœtos cinerem jactare per agros.

Ibi Servius, *Dicit*, inquit, *ad discretionem illius, quo utuntur puellæ.* Id genus cineris fiebat ex fæcibus vini in cinerem redactis. Idque vocabant Fæculam. Ea dicitur Dioscoridi τρὺξ κεκαυμένη. λεπροὺς ὄνυχας ἐκβάλλει σὺν ῥητίνῃ, καὶ τρίχας ξανθίζει μετὰ σχινίνου ἐλαίου νύκτα ὅλην συγχρισθεῖσα. Conciliabatur ille color & θάψῳ. Quæ, ut puto, idem faciebat quod Russum, seu Ruscum, genus virgulti. Ab eo dixit Russea facie Cato. Vocabatur & σκυτικὸν id genus virgulti: & θάψον nonnulli τὸ σκυτικὸν interpretantur. Cratinus Hipponicum quendam vocavit σκυτικὸν, quod πυῤῥὸς esset, id est, rutilus. Apparet, Rutilum πυῤῥὸν εἶναι, Russeum ξανθόν. Apud Catullum ex Apulejo legi debet: *Dentem atque russam defricare gingivam.* Russam gingivam, id est, dentes, dicit habere Egnatium: quia eum colorem contraxerat ex lotii defricatione. Lotii vero color russus est, maxime οὔρου πεπαλαιωμένου, ut vocat Strabo. Itaque quo plus russam gingivam haberet, eo plus urinæ ebibisse videretur. SCALIG.

lin. 23. *Scortatur, potat.*] Omnes in Terentio uno consensu & conjuratione editiones hodie *obsonat* exhibent. TURNEB.

lin. 29. *Ne quid scorteum adhibeatur, ideo ne morticinium.*] *Morticinum.* AUGUSTIN. Ovidius:

Scortea non illi fas est inferre sacello,
Ne violent puros exanimata Deos.

Morticina autem κενάβρια dicebantur. Etiam morticinus erat convicium in tetros & exsangui facie homines. Plautus Persa:

Non hercle, si os perciderim tibi, metuam morticine.

Græci vocant δημητρείους & δημητριακούς. Plutarchus interpretatur νεκρώδεις. Ab eo Cadaverosa facies Terentio. Latini etiam vocant Cereritos, postea Cerritos: interpretantes illud δημητριακούς. SCALIG.

lin. 31. *Scorto.*] Marg. Scalig. *scorteo.*

Pagina 97.

lin. 1. *Multeis nomen* &c.]

——— *Multis nomen*
Vostrum numenque ciendo.

Coronis anapæstica. SCALIG.

lin. 3. *Omnia.*] Marg. Scalig. *Omina.*

lin. 4. *Homerus, & aliquotiens Livius.*] Ἦ, καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων. SCALIG.

lin. 5 sq. *Si unum epityrum edam apud illum esuriens insane bene.*] Lego:

Si unum epityrum esuriens apud illum insane edam.

Quam scripturam, ut nihil aliud dicam, certe versus ipse flagitat, qui alioqui conturbatior erit. TURNEB.

lin. 10. *Flexanima tanquam lymphatá.*] Ita legendum pro vulg. *Flexaminat aquam lymphatam.* Ex Cic. lib. 1 de Divinatione. AUGUSTIN. Et mancus & corruptus locus. Ita explendus est:

Flexanima, tanquam lymphata, & Bacchi sacris
Commota. —

Ex Pacuvii Teucro, ut citat Cicero. SCALIG.

lin. 12. *Ea Thetis illi mater.*] Scribo: *Ea Thelis illi mater.* Nam quæ Thetis a Græcis appellatur, eam Ennius Thelin vocabat. Varro de Re rust. *Nec continuo his, quas melicas appellant falso: quod antiqui ut Thetin, Thelin dicebant, sic medicam melicam vocabant.* TURNEB.

lin. 14. *Bacchus Liber* &c.] Interpretatur Varro, quod Pacuvius dixerat, *ut Bacchi sacris commota.* Nam *Baccha* in Cicerone pro *Bacchi* male legitur. TURNEB.

lin. 17. *Halcyonis ritu litus pervolgans furor.*] In hoc ver-

su, *litus pervolgans*, est, litus pererrans, obiens, lustrans; ut apud Lucretium:

Multiplexque loci spatium transcurrere eodem
Tempore, quo cæli pervulgant fulgura cælum.

TURNEB.

Flexanima, tanquam lymphata, & Bacchi sacris
Commota, in tumulis Teucrum commemorans meum,
Alcyonis ritu litus pervolgans feror.

Pervolgant sidera cœlum. Lucret. Fallitur Adrianus Junius, qui *pervolans* legit. quæ lectio Vertranio quoque temere recepta est. — *Feror.* Apollonius lib. 4:

— τηλόθι δ' εἴη
Λυγροῖσιν κατὰ πόντον ἅμ' ἀλκυόνεσσι φορεῦμαι. SCALIG.

lin. 21. *Ritu.*] Ritus, institutum, ut interpretatur Varro. Castum vocabant etiam veteres, ut apud Nonium. Varro rerum humanarum lib. 1: *Nostro ritu sunt faciunda civilius, quam Græco castu.* In casto Cereris esse dicebantur, qui Cereri operabantur. Festus: *Minuitur populo luctus, cum in casto Cereris constitit.* Historicus quidam in collectaneis Sudæ, τὰς δὲ μητρωακὰς παρὰ Ῥωμαίοις, ἢ καὶ πρότερον παρὰ Φρυξὶ σπουδασθείσας καστείας ἑκάστου μηνὸς ἥγνευε. Varro, *& religiones & castus id possunt, ut ex periculo eripiant nos.* Hic castus, τὰς ἁγνείας. Ergo in casto Cereris esse τὸ ἁγνεύειν Δήμητρι. Aliter, Pariter facere Cereri. Nonius Attellanarius:

— *Sequere me, puriter facias, volo: Igni aqua volo hunc accipere* — —

Hoc annotavi, quia ritus & castus idem, rite & caste τὸ ἁγνῶς. SCALIG.

lin. 23. *Duodecim.*] Marg. Scalig. *Quindecim.*

lin. 25. *Recte perfecteis sacreis vult accipi.*] Quid si legamus, *rite perfectis sacreis, recte vult accipi?* Nos tamen aliis id judicandum relinquimus. TURNEB. Ex Attii Trachiniis videtur acceptum. Nam plane est ex illo:

Αὐτὸν δ' ἐκεῖνον, εὖτ' ἂν ἁγνὰ θύματα
Ῥέξῃ πατρῴῳ Ζηνὶ τῆς ἁλώσεως,
Φρόνει νιν ὡς ἥξοντα. — SCALIG.

lin. 29. *Latina.*] *Latine.* AUGUSTIN.

lin. 30. *Apud Atilium.*] Apud Macrobium perperam citatur Atilius pro Mattius in Mimiambis. Iste vero est, qui integras fabulas ex poetis Græcis vertit. Eum Cicero durum vocat. Miror tamen, cur ille sit a Volcatio non solum in nu-

merum comicorum relatus, sed & Terentio prælatus. SCALIG.

ead. *Cape, cæde Lyde, come, conde.*] Vulg. *Cape, cæde, lude, conde.* Plautus Curculione: *Cetera rape, trahe, fuge, late.* In Pseudolo:

Rape, clepe, tene, harpaga, bibe, es, fuge.

Diphilus apud Clementem & Justinum:

Ἅρπαζ᾽, ἀπελθὼν, κλέπτ᾽, ἀποστέρει, κύκα,
Μηδὲν πλανηθῇς. SCALIG.

Melius: *Come, tonde.* Venusta antitheta. Pomponius Prostibulo: *Jamne abierunt? jamne obtundunt? jamne ego sum in tuto satis?* Nonius Præcone posteriore:

——— *tibi cum tunderem labias lubens.*

Sic autem lenones & parasiti comici docebant adolescentes suas artes Dare & accipere, palpare & percutere; ut Plautinus Ballio:

— *ubi data occasio est, rape, clepe, tene, harpaga.* POPMA.

Pagina 98.

lin. 2. *Nulla res neque cicurare* &c.] Ita distingue:

——— *nulla res neque*
Cicurare, neque mederier potis est, neque
Reficere.

Curare, pro *cicurare*, dixit Nigidius in historia animalium: *Omne pecus indomitum, habet quiddam in se ferum: sed tamen ea natura est, ut curari & domari possit.* Sciebat enim, Hipponem, a quo hoc accepit, dixisse θεραπεύειν. Theophrast. lib. 3 ἱστορ. Καίτοι φησὶν Ἵππων ἅπαν καὶ ἄγριον καὶ ἥμερον εἶναι. καὶ θεραπευόμενον μὲν, ἥμερον· μὴ θεραπευόμενον δὲ, ἄγριον. Ut pulchre huc respexerit Horatius:

Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit,
Si modo culturæ patientem accommodet aurem.

Tragicus quidam apud Plutarchum:

Καὶ γὰρ κάπρον φριξαύχεν᾽ οὐ μόνον γυνὴ,
Παῖς δ᾽ ἂν νεογνὸς χειρὶ προσκνήθων νέα
Κλίναι, παλαιστοῦ παντὸς εὐμαρέστερον.

Attius:

— *neque vi tanta quisquam est, neque tam ferox,*
Abundans fortunis: neque ullum est ingenium tantum, neque
Cor tam ferum, quod non labatur lingua, mitescat malo.
Neque fera hominum pectora fragescunt, donec vim persenserint Imperii. —

Si non ita continuata erant apud Attium, tamen in illis valde sententia cohæret. SCALIG.

lin. 7. *Cicum.*] Al. *Ciccum.* In Hesychio, κικκὸς, διαχώρησις enarratur. SCALIG.

lin. 9. *Densum cicum non interduo.*] Vulg. *Densum ciccum non inter duo. Interdico*; ut in Captivis: *Dum pereas, nihil interdico dicant vivere.* οὐδὲν διάφορον ποιοῦμαι, ἀδιαφορῶ. Tamen apud Plautum hodie in Rudente *interduim* legitur, & leviter lectio immutata est. Sic enim habet: *Eluas tu, an exungare, ciccum non interduim.* Tamen ut citat Varro, *densum ciccum*, est simile illi Theocriti, θρὶξ ἀνὰ μέσσον. Idem alibi dixit, *Pluma non interest.* SCALIG.

lin. 10. *Eccum.*] Marg. Scalig. *Circum.*

lin. 13. *Evax jurgio uxorem.*] *Evax jurgio Hercle tandem uxorem.* Plaut. in Menæch. AUGUSTIN.

lin. 15. *Effutitium.*] Marg. Scalig. *Effutitum.*

lin. 16. *Hehe.*] In veteribus excusis *hebæ*, ut sit αἰβοῖ. SCALIG.

lin. 17. *Puella spe.*] *Puella sæpe*, vir doctus opinatur. AUGUSTIN.

lin. 18. *Heu qua me causa* &c.] Scribe:

Eheu qua causa fortuna infesta premis me.

Scripsit enim epigrammatia & elegidia poeta ille. SCALIG.

lin. 24. *Apud Lucretium* &c.] *Apud Lucilium*:

Atque aliquos ibus ab rebus clepsere foroque. SCALIG.

lin. 29. *Apud Mattium.*] Est Mattius ille, qui & Mimiambos exemplo Herodoti λογομίμου scripsit, & Iliada Homeri transtulit: ut Livius Andronicus, qui ducentis aliquot annis antea Odysseam Homeri Latine verterat. Fuit & doctissimus, & C. Cæsaris amicissimus. Hujus nomen varie depravatum est apud veteres grammaticos. Apud Macrobium Attilius. Apud Nonium, *Crassus lib. 16, Iliados socii nunc fite viri.* legendum *Cn. Mattius*:

Nunc socii nunc fite viri. —

Homerus:

Ἀνέρες ἐστὲ, φίλοι. —

Etiam nomine Cassii perperam citatur, ut apud Priscianum: *Nimius Cassius Iliados lib. 23*:

Nam non connivi oculos ego deinde sopore.

Restitue *Cnejus Mattius Iliados lib. 24*, ex illo:

Οὐ γάρ πω μύσαν ὄσσε ὑπὸ βλεφάροισιν ἐμοῖσι.

Apud Diomedem alio modo corruptum est: *Cn. Atticus* 20.

Iliados. Ille hiat herbam moribundus ore. Puto corrigendum:
Ille hiat at animam moribundior. —
Αὐτὰρ ὁ θυμὸν ἄϊσθε, καὶ ἤρυγε.
Apud Gellium lib. 6, cap. 6, male *Trimatius*, pro *Cn. Mattius. Dum det vincenti præpes Victoria palmam.* ἰλιάδ. ή·
— εἰσόκε δαίμων
Ἄμμε διακρίνῃ, δῷηδ' ἑτέροισί γε νίκην.
In eodem Gellio diserte Mattius legitur, sed pro *13 Iliados* scribendum *23 Iliados*.
An maneat specii simulacrum, in morte, silentum.
ἰλιάδ. ψ.
Ὢ πόποι, ἦ ῥά τις ἐστὶ καὶ εἰν ἀΐδαο δόμοισι
Ψυχὴ καὶ εἴδωλον.
Apud eundem recte Mattius Iliad. 21:
Altera pars acii vitasset fluminis undam.
ἰλιάδ. φ.
Ἧπερ οἱ ἄλλοι ἀτυζόμενοι φοβέοντο.
Male apud Priscianum *Mallius*,
——— *celerissimus advolat Hector.*
— ὁ δ' ἄρ ἔσθορε φαίδιμος Ἕκτωρ. ἰλιάδ μ. SCALIG.
Idem in Marg. *Apud Marcium vatem.*
ead. & sq. *Corpora Grajorum mærebar mandier igni.*] Scribendum *mærebant*, ut apparet ex Homero:
Ὡς δ' αὔτως ἑτέρωθεν ἐϋκνήμιδες Ἀχαιοὶ
Νεκροὺς πυρκαϊῆς ἐπενήνεον ἀχνύμενοι κῆρ. ἰλιάδ. ή.
SCALIG.

Pagina 99.

lin. 1. *Manducum.*] Ego tamen pro manducone, non pro obsonio, invenio in Attellana Pomponii:
Magnus manducus camelus cantherius.
Apud Plautum Manducus est μορμολυκεῖον, quod in ludis circumferebatur inter ceteras ridicularias & formidolosas personas, magnis malis, lateque dehiscens, & clare crepitans dentibus, in Attellanis præsertim. Juvenalis:
——— *tandemque rediit ad pulpita notum*
Exodium, cum personæ pallentis hiatum
In gremio matris formidat rusticus infans.
Intelligit manducum: quem magnis dentibus effingebant, ut dixi. Dentes enim magnos & voracitatem attribuebant nocturnis illis terriculamentis. Quo nomine factum, ut Lamiam puerorum infantium deglutricem fingerent. Inde Pomponius

Hunc locum Titinii habuit in animo Serenus, cum scribebat de fascino. SCALIG.

lin. 13. *Bonæ scævæ causa.*] Ita etiam Festus: *Scævam volgus quidem & in bona & in mala re vocat, cum ajunt bonam & malam scævam.* SCALIG.

lin. 15 sq. *A quo dicuntur comitia, aliudve quid fit, dici ave sinistra, quæ nunc est.*] Vulg. *A quo dicuntur comitia, aliudve quid fit, aut sinistra quæ est.* Lego: *A quo dicuntur Comitia, aliudve, quod fit aut sinistra, scæva.* Minus prudenter hic quædam mutata sunt in Romana editione. *Sinistræ* dicebantur aves prosperæ. Contra, impedientes aves aut dicebantur Arculæ, ab arcendo: aut Cliviæ, quia difficilia vocabant Clivia, ad verbum προσάντη: aut remores aves, a remorando: aut Inebræ & Enebræ. Eo nomine omne obstaculum intelligebatur. Aut alteræ aves: cum alteræ supervenirent, quæ felici auspicio vitium facerent: aut Volsgræ, quæ se vellendo malum auspicium faciebant. Eas intellexit Statius:

——— *Simul ora recurvo*
Ungue secant rabidæ, planctumque imitantibus alis
Exagitant Zephyros, & plumea pectora cædunt.

Æschylus Persis:

Μεθύστερον δὲ κίρκον εἰσορῶ δρόμῳ
Πτεροῖς ἐφορμαίνοντα, καὶ χηλαῖς κάρα
Τίλλοντα. —— SCALIG.

lin. 20. *Quia ego antehac.*] *Cum ego antehac.* Plaut. in Cistell. AUGUSTIN.

lin. 24. *Quo de sinu.*] Marg. Scalig. *Quod est mihi.*

lin. 25. *Qui adest, adsiduus.*] In eadem sententia Q. Cicero in libello de Petitione consulatus: *Jam assiduitatis nullum est præceptum: verbumque ipsum docet, quæ res sit. Prodest quidem vehementer nunquam deesse*, &c. At Plautus etiam jocando extulit verum etymon, in Truculento:

Postidea ego tota tecum, mea voluptas, usque ero
Assiduo. DI. *Immo hercle vero accubuo mavelim.* SCALIG.

lin. 26. *Ferre quem.*] *Fert qui*, doctus vir scribendum putat. AUGUSTIN.

lin. 28. *Tanti.*] Marg. Scalig. *facile.*

lin. 30. *Apparet dicere facile est, curare.*] Marg. Scalig. *Apparatum dicit facilem, est curare.*

Pagina 100.

lin. 1. *Decretum est fossare corpora teleis.*] Vulg. *Decretum*

est stare &c. Hic unum testimonium Ennii divulsum est: & ex uno facta duo. Neque id solum erroris admissum. corrupta enim sunt quædam, propter divulsionem ac distractionem duorum membrorum. Quare ita luxata in suum locum restituenda sunt, deinde emendanda: *Decretum est stare corpora telis, quibus concidet fossim obrutus.* Quæ verba non multum absunt a senariorum ordine, & lege. Quamquam eo magis inclinat animus, ut ista putem ita concinnanda esse:

——— corpora telis
Decretum stare est, quibu' concidet obrutu' fossim.

Stare corpora telis, eleganter, ut idem dixit, *Stat polvere cælum.* Quocirca nihil mutandum. SCALIG. Ennius lib. 6 Annal.

——— decretum est fossare corpora telis,
Dum quidem unus homo Roma tota superescit.
Orator sine pace redit regique refert rem.

Quibus versibus indicat, senatum censuisse, bellum contra Pyrrhum regem persequendum, neque deponendum, dum unus homo Romanus supersit. Tum Cyneam legatum, a Pyrrho Romam missum de componenda pace, infecta re rediisse. POPMA.

ead. & sq. *Hoc verbum Ennii dictum a fodiendo.*] Nimirum *fossim.* Ita enim legendum pro vulg. *faxim.* Sed qui lectionem mutarant, decepti sunt consuetudine Varronis. Ille enim & nomina, & participia, & adverbia, & alias plerasque omnes partes orationis vocat verba. SCALIG.

lin. 2. *Apud Ennium.*] Hic ea, quæ sequuntur, perperam divulsa esse, & connectenda cum superioribus, demonstravimus. Quare testimonium aliud Ennii de verbo Mussandi deest: aut illud ex 6 Annali:

Intus in occulto mussabant; —

aut aliud:

Namque decet mussare bonos. —

Utrumque refertur a Sex. Pompejo in Fragmentis. SCALIG.

lin. 3. *Vocibus concide* &c.] Suspicor, mutilum hunc locum ita restitui posse: *Vocibus concidet. faxim, ut obrutus musset. Mussare* &c. Sunt autem verba Ennii ex tragœdia nescio qua. *Vocibus concidet*, ut Plautus Amphitruone: *Ut quisque institerat, concidit crepitu.* Cicero ad Atticum lib. 1: *Magnis clamoribus afflictus conticuit, & concidit. Obrutus*, stupidus, ab obsoleto verbo *obruteo*, quo usus est Afranius:

Non possum verbum facere; obrutui. POPMA.

lin. 6 sq. *Quod minimum est, neque ut ajunt, μῦ facere audet.*] Vulg. — *mu facere audent.* Allusit Lucilius:

Nec laudare hominem quemquam, neque mu facere unquam.

Charisius citat. Mu canum est: unde dicuntur Mutire: sicut γρὺ, porcorum: unde Grunnire. SCALIG.

lin. 8. *Dii monerint meliora.*] Ex Pacuvii Chryse. Nonius. SCALIG. Idem pro *monerint* in marg. *munera dent.*

lin. 11. *Pipulo te differam.*] Περικωκύειν dixit Aristophanes Equitibus: fictum & ipsum a cantu gallorum, ut & illud a pipatu pullorum.

Ἀπεπυδάρισα μόθωνα, περιεκώκυσα.

Pipare Osci dicebant, pro eo quod est ejulabunde conqueri. Ab eo cocus iste in Aulularia pipulo differre dixit. Pro quo erat in XII Tabulis Obvagulari. *Cui testimonium defuerit, is tertiis diebus ob portum obvagulatum ito.* SCALIG.

lin. 15. *Animus cum pectore latrat.*] Scribendum:

——— *animusque in pectore latrat.*

Quod imitatum ex Homero lib. 20 Odysseæ:

Πολλὰ δὲ μερμήριζε κατὰ φρένας, ἢ κατὰ θυμὸν,
Ἠὲ μεταΐξας θάνατον τεύξειεν ἑκάστῃ,
Ἦέ τ' ἐῷ μνηστῆρσιν ὑπερφιάλοισι μιγῆναι
Ὕστατα καὶ πύματα. κραδίη δέ οἱ ἔνδον ὑλάκτει.
Ὡς δὲ κύων ἀμαλῇσι περὶ σκυλάκεσσι βεβῶσα
Ἄνδρ' ἀγνοιήσασ' ὑλάει, μέμονέν τε μάχεσθαι.

Quæ docent, ita conjungendos duos locos Ennii:

——— *animusque in pectore latrat.*
Sicuti si quando vinclo venatica aeno
Apta solet cani forte feram si ex nare sagaci
Sensit, voce sua nictatque, ululatque ibi acute.

Apud Festum annotatur, Latrare positum esse ab Ennio pro poscere. Sed non puto hunc locum intellexisse, aut perperam eum sensisse. quamquam pro Poscere Lucretius usurpavit.

lin. 16. *Gannit odiosus omni totæ familiæ.*] Vulg. *Gannuit* &c. Melius *oggannuit.* Ganniunt canes gestientes ob herorum adventum, ut apud Lucretium:

——— *gannitu vocis adulant.*

Et Homero γάνυσθαι semper est gestu quodam oris exprimere gaudium ob amici aut alius cari adventum.

Οὐδὲ γὰρ ἡ προμάχοιο δάμαρ Ἀλεγηνορίδαο
Ἀνδρὶ φίλῳ ἐλθόντι γανύσσεται, ὁππότέ κεν δὴ
Ἐκ Τροίης σὺν νηυσὶ νεώμεθα κοῦροι Ἀχαιῶν. Ἰλιάδ. ξ.

Item:

— τῶ δ' οὔτι γυνὴ καὶ νήπια τέκνα
Οἴκαδ' ε νοστήσαντι παρίσταται, οὐδὲ γάννυται. Ὀδυσσ. μ.
Hoc voluit Pindarus Pythiis: Οὐδὲ μολόντων πὰρ ματέρος ἀμφὶ γέλως γλυκὺς ὦρσεν χάριν, id est, οὐδὲ οἱ μολόντι ἐγανύσσατο μήτηρ. SCALIG.

lin. 17. *Tantam rem dibalare, ut pro nihilo habuerit.*] Dibalare pro deblacterare non inepte dictum videri posset. Ego puto dibalare rem, καταφαγεῖν τὴν οὐσίαν. Sic Nicostratus apud Athenæum περικοκκύειν. Hoc fictum a gallorum pipatu, ut supra admonuimus; illud, a balatu pecorum:

Οὐσίδιον γάρ μοι καταλιπόντος τοῦ πατρὸς
Οὕτω συνεστρογγύλικα, κἀξεκόκκυσα.

Sic ἀποκοκκύσαι ψυχὴν Æschylus dixit ἀντὶ τοῦ ἐκπνεῦσαι. Ergo videtur exclamatio in eum, qui bona sua lancinaverat: qualis Alexidis Comici apud Athenæum:

— καταφαγεῖν
Αὐτὸν τοσοῦτ' ἀργύριον;

Tantam pecuniam dibalasse? abliguriisse? SCALIG.

lin. 18. *Hæc, inquam, rudet.*] Plenius apud Nonium ex Lucilii libro 6:

Hæc, inquam, rudet e rostris, atque heiliitabit,
Concursans velut angarius, clareque quiritans.

Hodie in recentioribus Nonii codicibus legitur *arenarius*. At in superioris memoriæ excusis *ancarius*. Quod etiam retinet calamo exaratus codex. Nos *angarius* fecimus. SCALIG.

lin. 20. *Aperiant.*] Marg. Scalig. *aperta.*

lin. 21. *Volutare ululantis.*] Puto *volutares ululantes.* Volutares sues, qui & Colluviares, quod in colluvie nutrirentur. χαμευνάδας ait vocari Appion grammaticus apud Hesychium. Dictum ergo in homines spurcos, & quasi cœno & colluvie demersos; de quibus Varro Prometheo, lib. 1: *In tenebris ac suilla vivunt: nisi non forum, hara, atque homines, qui nunc plerique sues sunt existimandi.* SCALIG.

lin. 22. *Tibicina maximo labore mugit.*] Acroteleuticum ex Sotadico carmine. Plinius, de ranis loquens: *Tunc extenti buccarum sinus perlucent, oculi flagrant labore perculsi.* SCALIG.

lin. 24 sq. *Clamor ad cælum volvendus per æthera vagit.*] *Ad cælum clamor.* AUGUSTIN. Poterat sic:

Clamor it ad cælum volvendu': per æthera vagit.

Sed vera lectio, ni fallor:

Clamor it ad cælum, volitatque per æthera vagor.

Idem Ennius:

Qui clamas oppugnantes vagore volanti.

Ubi vagor volans, ut hic volitat vagor. SCALIG.

lin. 25 sq. *Et a frendice, Frunde frutimi suaviter.*] Locus mendosus. AUGUSTIN. Vulg. *Esueta frendice frunde frutini suaviter.* Hæc est lectio veterum excusorum. Exstabunt quidam, ut puto, qui, quod tam deploratis vulneribus manus admoveam, mirabuntur. Sed & non deerunt etiam, qui in minimis me commorari, graviora præterire conquerentur, vel potius calumniabuntur. Quare utrisque satisfacere possumus, si nec ea prætermittamus, & aliquid verisimile afferamus. Videtur igitur mihi hæc lectio ex his vestigiis erui posse:

Ejusdem ab Irundine — nefrende fritinni Suaviter. —

Nunc reddundæ sunt causæ. *Ab irundine.* Ita eruendum ex illo corrupto *frendice.* Non dubium est, ita legendum, maxime propter verbum fritinnire, quod est hirundinum, τὸ ψιθυρίζειν, ut infra aperietur. Hic locus postulat, ut enarremus locum Aristotelis in Poeticis a nullo hactenus explicatum. Verba illius magni magistri sunt hæc: Ἐξῆν ἄν ἔνια καὶ ἐνεγκεῖν· καὶ ἐν τῷ Σοφοκλέους Τηρεῖ ἡ κερκίδος φωνή. In Tereo non dubium est, quin ageretur μεταμόρφωσις Procnes in hirundinem. Quare ad imitandam vocem hirundinis, dum ea μεταμόρφωσις ageretur, adhibuerunt τὴν κερκίδα, radium textorium, quæ ob id dicta est παρὰ τὸ κρέκειν. Idcirco in Epigrammatis Græcis scribitur:

Κερκίδας ὀρθρολάλοισι χελιδόσιν εἰκελοφώνους.

Apparet, ætate Sophoclis hydraulica organa non fuisse. Nam postea usi sunt antiqui hydraulicis ad imitandam minuritionem avicularum: quæ Vitruvius vocat Engibata, & Merulas, si lectio mendo non caret. Sane videtur Attius vertisse Tereum Sophoclis. Ex ea fabula Attii Nonius recitat versiculum, qui ad hanc rem facere videtur:

O suavem linguæ sonitum, o suavitas conspiritum
Animæ.

Ubi *conspiritum* manifesto ex συναυλία versum. Est autem admirantis vocem hirundinis, aut lusciniæ, quæ in eo dramate introducebatur. — *Nefrende.* Nefrendis & nefrendus puer, vel senex, ὁ νωδὸς, qui dentibus frendere non potest, id est, frangere. Frendere duo significat, τὸ ἐμπρίειν τοὺς ὀδόντας, τὸ ἐμβρύκειν. Pacuvius Antiopa:

——— *perdita illuvie atque insomnia*
Frendere noctes misera, quas perpessa sum.

Sic enim conjunge hæc duo exempla: quorum primum adducitur a Charisio, alterum a Nonio. Deinde frangere: unde nefrendus, qui per ætatem adhuc dentibus frangere non potest: vel senex, qui dentes amisit. Livius Andronicus:

Quem ego nefrendem alui, lacteam immulgens opem.

Inde nefrendes porculi. Inde frendere fruges, τὸ ἐρείκειν. Pacuvius Antiopa:

Fruges frendeo solas, ac sicco robore.

Serenus:

Copia farris uti frendentibus eruta saxis.

Hinc frendere fabam, & fressa faba, ἐρεγμός. Attius Troadibus: *Saxo fruges frendam:* σιτοποιήσω. Transtulit enim ex illo Euripidis:

Τούτοις μὲ προσθήσουσιν ἢ θυρῶν λάτριν
Κλῇδας φυλάσσειν, τὴν τεκοῦσαν Ἕκτορα·
Ἢ σιτοποιεῖν, κἀν πέδῳ κοίτας ἔχειν.

Fritinni. Ergo *nefrende fritinni*, pro ὦ νεοδὲ ψιθύριζε. Nam fritinnire proprium hirundinum. Varro Virgula divina:

Et pullos peperit fritinnientes,
Quos non lacte novo levata pascat,
Sed pancarpineo ocimo coacto
Libamenta legens caduca veris.
Ad quos tum volucres venit pusillos,
Usque ad limina nidica, esca vilis.

Hi luculentissimi versiculi a nobis non solum emendati sunt, sed &, quod quatuor locis dispersi sunt apud Nonium, in unum corpus collecti & digesti. Valde enim delectant me hæ reliquiæ veterum auctorum, tanquam quædam ex naufragio tabellæ. SCALIG. Al. *Ire sueta frendice.* In nonnullis libris antiquis est, *Ne sueta frendici.* Forte totus hic locus ita legendus: *Et a sue, Sueta grundire: ab irundine, Fritinni suaviter.* Nam porcorum proprium est *grundire*, sive *grunnire*. Hirundinum *fritinnire.* Varro Virgula divina:

Et pullos peperit fritinnientes. POPMA.

lin. 28. *Sues avolverat* &c.] Locus etiam mendosus. AUGUSTIN. Ex his depravatis suspicor eruendum hoc: *A sue: suboluerat, ita rudebat.* Suboluerat ei de facto, inquit, quisquis est comicus ille: eos clamores edebat. Lucilius:

Hæc, inquam, rudet e rostris, &c.

Rudere, suum & leonum, & aliorum animalium. Ovidius & Persius asinis attribuunt. Tamen oncant asini, non rudunt: ὀγκᾷν. SCALIG. Locus est manifeste mendosus: de quo ta-

men conjecturam meam, qualis qualis ea sit, proponam. Videndum ergo, an legi possit: *Sunt & ab solemni ritu, Nexum in rem, Nexum in judicium, æs; ob id Nexi, artati in collare. Nexum Manilius.* Nexum æs dicebatur pecunia, quæ per æs & libram obligabatur: & Nexum in rem erat, cum adhibito ære & libra res pro appenso pretio obligabatur. item Nexi, qui propter æs alienum compingebantur in nervum. Collare hic idem est, quod nervus in XII Tab. *Vincito aut nervo aut compedibus.* POPMA.

ead. *Ita trude.*] *Ita rudebat*, videtur legendum. Suspicor, Varronem *rudebat*, pro grundibat, in Cæcilio legisse. Nonius: *Etiam hominum esse grunnitum Cæcilius imbris designat.* Quæ verba Cæcilii desiderantur in Nonio, ea protulit Diomedes, sed fabulæ non meminit:

——— ita cruento ore grundibat miser.

Videtur hunc locum intelligere Varro: sed *rudebat* pro *grundibat* legisse. Quamquam hæc sunt non certi juris, sed arbitrarii. SCALIG.

ead. & sq. *Neque in re, neque in judicium Æsopi, nec theatrales. In Colace, Nexum.*] — *neque theatrides in colace nexum.* Ita in illis, quos semper sequor, antiquitus excusis legitur. In quibus videtur transpositum nomen fabulæ, cum ita legendum sit, *In Colace, Neque in rem, neque in judicium Æsopi, neque theatri des nexum.* SCALIG.

Pagina 101.

lin. 6. *Debeat.*] Marg. Scalig. *Debeat, dat.*

lin. 7. *C. Popilio.*] Marg. Scalig. *C. Pœtelio Visolo.*

lin. 11. *Deliquium est.*] *Deliquom 'st.* Plaut. in Casina. AUGUSTIN.

lin. 15. *Auctorem Cæcilium.*] Vetus lectio *Accilium.* lege *Attilium.* Is est, qui plures fabulas e Græco conversas in scena Latina docuit. de quo superius meminit, & Porcius Licinius in judicio poetarum de eodem dixerat:

Ferreum scriptorem opinor, verum exscriptorem tamen,
Ut legendus sit. —

Putat ferreum scriptorem, sed tamen verum, & fidum interpretem, ut dignus eo nomine sit, qui legatur. immo jocose exscriptorem vocat, qui nihil de suo ederet, sed aliena omnia, & ad verbum e Græcis expressa. quod genus interpretandi ri-

diculum est, & liberali homine indignum. Versus Licinii ita legendi ex veteri codice apud Cic. 1 de Finibus. SCALIG.

lin. 16. *Per lætitiam liquitur animus.*] Apollonius:

— Τῇ δ' ἔντοσθε κατείβετο θυμὸς ἀκουῇ, &

— ἰαίνετο θυμὸν Τηκομένη. SCALIG.

ead. *Aliquando liquitur.*] *Liquitur* vetere declinatu. Varro lib. 3 Rerum divinarum: *L. Scipio cum aurum haberet in cista viminea, fulmine ita est ictus, ut cista esset integra, aurum colliquisset.* Quæ nos emendavimus, cum prope deplorata sint apud Nonium. Simile apud Plutarchum Symposiacis: Καὶ κυλιχνίων ἀργυρῶν ξυλίνοις ἐγκειμένων ἐλύτροις, τὸν μὲν ἄργυρον συζέσαι τακέντα, τὸ δὲ ξύλον ἄθικτον καὶ ἀπαθὲς εὑρεθῆναι. SCALIG.

lin. 19. *Enimvero gladii lingula.*] Desunt paucula, quæ expleri possunt ex Gellio. SCALIG. Malim, *E numero gladii*: quæ sunt Varronis, non Nævii; cujus versus ex Hesiona citatur a Gellio:

Sine mihi gerere morem videar lingua, verum lingula. POPMA.

lin. 20. *Vitulantes.*] Nævius Lycurgo:

Vos, qui regalis corporis custodias
Agitis, ite actutum in frondiferos lucos, ubi
Ingenio arbusta innata sunt, non obsita.
Ducite eo argutis linguis mutas quadrupedes:
Ut in venatu vitulantes ex aviis
Locis, nos mittant Pœnis decoratos feris.
Alii sublime alios saltus illicite, ubi
Bipedes volucres lino linquant lumina.

Quod toties in his Conjectaneis fecimus, hic præstitimus, quatuor exempla ex Lycurgo Nævii, a Nonio diversis locis citata, hic in unum conglutinavimus, & verba mendosa emaculavimus. SCALIG.

ead. *A vitula.*] Macrobius, *a Dea Vitula.* Puto Varronem recte judicasse. Id enim est μοσχιᾷν Græce. Menander Hypobolimæo:

— μικρὰ Παναθήναι' ἐπεὶ
Πέμποντες οὗτοι δι' ἀγορᾶς ἐμόσχιων,
Μήτηρ ἑώρα τῆς κόρης ἐφ' ἅρματος.

Ita reddes comicis senariis:

——— *cum minusculas Quinquatrias*
Celebrantes isti toto vitulabant foro,
Spectabat in pilento mater virginis. SCALIG.

ead. & sq. *In Duloreste.*] Vulg. *In Dolo.* Forsan erat scri-

ptum *in Obolo*. Nam ita citatur Cæcilius compendiose, pro *Obolostate*: quam etiam comœdiam grammatici Latine vocant *Fœneratorem*. Eodem modo in Nonii libris calamo exaratis citatur Pacuvius in *Dolo*, pro *Duloreste*. Idque verum puto. Nam versus, qui adducuntur ex ea fabula, cum iis verbis, quæ producit Festus & Nonius, cohærere possunt ita:

Hicine is est, quem gratia formæ ante omnes nobilitat viros,
Amplus, rubicundo colore, spectu protervo, ferox,
Caperata fronte? SCALIG.

lin. 21. *In Demetrio*] Non est Ennii, ut putat Vertranius, sed Turpilii. Ea versa est ex Alexide. Ex cujus Demetrio hæc producuntur ab Athenæo, libro 8:

Πρότερον μὲν εἰ πνεύσειε βορρᾶς, ἢ νότος
Ἐν τῇ θαλάττῃ λαμπρὸς, ἰχθὺς οὐκ ἐνῆν
Οὐδενὶ φαγεῖν.

Turpilius Demetrio apud Nonium:

Antehac si flabat Aquilo, aut Auster, inopia
Erat piscati. — SCALIG.

lin. 22. *Persibus.aperite.*] Vulg. *Persibus a perite. Persicus* fortasse scribendum ex Sex. Pompejo, qui peracutum interpretatur, & hæc Nævii verba refert:

Et qui fuerit persicus, carpenti adest ratio. AUGUSTIN.

Scribo, *Persibe, perite*. Persuaserunt Itali Vertranio, legendum *Persicus*. At nos id diserte negamus. Nam apud Festum quoque legendum *Persibus*, pro *Persicus*. Quippe simplex fuit Sibus. Festus: *Sibus, callidus, vel acutus*. SCALIG.

lin. 23. *In Lampadione.*] Nescio an *in Lampade*. Nam Alexis & Antiphanes citantur ab Athenæo ἐν λαμπάδι. Quamquam Lampadione eodem modo dictum, quo Ἰκαριώνη. ut apud Plautum & Varronem Agathone:

Quid tristiorem video te esse? quem angit hæc
Lampadione? quid? familiaris filius
Amatne? spes isthæc est argentaria,
Ideoque scapulæ metuunt virgidemiam. SCALIG.

ead. & sq. *Protinam a protinus continuitatem significans.*] Nonius Marcellus refert, Varronem scripsisse, *protinam vel protinus continuatione vel præteritæ vel futuræ longitudinis dici.* AUGUSTIN.

lin. 24. *In Agidone Candacus.*] Vulg. *In Agedone caudatus.* Nescio an *in Agone*, (Alexis citatur ἐν ἀγῶνι apud Athenæum) an *in Ædone*. Ea est fabula Livii Andronici apud Priscianum. Si tragœdia est, nescio an *in Ægæone*. Eam scri-

psit Euripides: ex qua etiam hos versus diverse citatos in unum conjunxi:

Ποίαν σε φῶμεν γαῖαν ἐκλελοιπότα
Πολυξενοῦσθαι; γῆ δὲ τίς; πάτρας θ' ὅρος;
Τίς ἐσθ' ὁ φύσας; τοῦ κεκήρυξαι πατρός;
Τί σ' ὠνόμαζεν τῇ δεκάτῃ μήτηρ τόκον;

Primos tres reperies apud Clementem Alexandrinum, quartum apud interpretem Aristophanis. — *Caudatus.* In illis, qui olim excusi sunt, *Cavadatus.* Manifesto legendum *Clucidatus*, ex Festo, qui id interpretatur dulce & jucundum. Et alibi apud eundem *Glucidatus* scribitur, eodem sensu, παρὰ τὸ γλυκύ. SCALIG. Puto rectius legi: *In Acedone, Saudatus. Acedo*, ut comedo, mando, est homo segnis & iners, a Græco ἀκηδέω. nam poetæ vetustissimi ab hominum moribus plerumque nomina Græca, perinde atque essent Latina, fabulis suis inscripserunt, ut Plautus *Phagonem*, Afranius *Pantaleonem*, Nævius *Lampadionem. Saudatus* est sedatus, antiquo more a quo pleraque enuntiabantur diphthongis, quæ postea simpliciter, ut *ausculor, aulla, leibertas*, pro osculor, olla, libertas. Varro deducit a suavi, ut a Græco γλυκῦ *glucidatus*, dulcis & jucundus, auctore Festo. Sed tunc exigit analogia *savidatus.* nam *savior* & *savium* veteres dixerunt, quod nos *suavio* & *suavium.* & hinc *savillum* apud Catonem genus operis pistorii, a suavitate. POPMA.

lin. 26. *In Romulo, Sponsus.*] Legendum *Consponsus*, ut est lib. 5. POPMA.

lin. 27. *Præbia a præbendo.*] Scribendum, *Proebia, a prohibendo.* ut etiam in Festo: *Proebia Verrius vocari ait ea remedia, quæ Cata Cæcilia uxor Tarquinii Prisci invenisse existimatur, & immiscuisse zonæ suæ, qua præcincta ejus statua est, in æde Sangi, qui Dius Fidius vocatur. Ex qua zona periclitantes ramenta sumunt. Ea vocari ait Proebia, quod mala prohibeant.* Eandem vim habebant anuli apud Græcos, qui dicebantur φυσικοὶ δακτύλιοι; & intus erant pervii & cassi, ut scribit Artemidorus. Ab eo scriptum in Cærimoniis flaminis Dialis, *Anulo, nisi pervio, cassoque, ne oiitor.* Habebant & aliquid ἀλεξίφθορον anuli ferrei, qui dicebantur Samothracii. Eorum meminit Lucretius. SCALIG.

ead. *Ut sit tutum.*] Vulg. *Ut si lorum.* Omnes antiquitus excusi, *ut sit totum.* Ego indubitanter lego, *Proebia a prohibendo usitatum*, id est, παρηγμένον. Proebia, τὰ ἀλεξίφθονα, amuleta. Poterat & legi *Proebra*, sicut Inebra, Enebra. Et

ſane eam puto rectam eſſe lectionem: & ita legendum eſſe in Feſto, ut Inebra ab inhibendo, ſic Proebra a prohibendo. SCALIG.

lin. 28. *In Therimo.*] Vulg. *in Technico.* Neſcio an Cæcilii, qui ſæpe citatur in Fallaci, vel Fallacia. Τεχνικὸς enim fallax. SCALIG. Antiqui codices nonnulli, *In Technico*: ut forte legendum ſit, *In Therino*, vel, *Therico*: quæ idem ſignificant. POPMA.

ead. & ſq. *Conſiditant, a conſicto convenire dictum.*] Vulg. *Conſiciant* &c. Scribendum, *Convitant a Convito, convenire dictum.* Sed hæc ſcriptura eſt ex veteri errore librariorum, qui *pervitere*, pro *perbitere*, & *invitere* pro *imbitere* ſcribebant. Omnino Combito, eodem modo declinatum, quo Imbito, ineo, in Epidico Plauti, & Præbito, prævenio, in Pſeudolo: & Rebito in Captiv. redeo: & Perbito, pereo. Ennius Hecuba:

Sed non ſcripſiſti, quis parentem aut hoſpitem
Necaſſet: quo quis cruciatu perbiteret.

Plaut. Capt.

Qui per virtutem perbitat, non interit.

Perbitat, pereat. Non enim per diæreſes neſcio quas expediendus verſus: quod facit corrector Plautinarum fabularum, qui patrem meum audiendum non cenſet, quod creticos in jambum admittat. Sed de eo alias erit loquendi locus. Itaque combito, præbito, perbito, rebito, imbito, compoſita ſunt e ſimplici Betere. Plautus Aſtraba:

Quæ niſi ſic beteris, nimium is vægrandi gradu.

Sed error hujus depravatæ ſcripturæ hinc manavit, quod Invitere pro Imbitere ſcribebant, ut ſupra admonuimus. Quare apud Plautum Truculento, ubi hodie legitur,

——— *quid tibi hanc, inquam, notio eſt,*
Amicam meam? moriere ocius, ſi manu niceris.
Quid manu nicerim?

caſtigandum eſt:

——— *moriere ocius, ſi viam inviteris.*
GE. *Quid viam inviterim?* STR. *Fac quod juſſi, mane.*

ubi etiam perſonas ſuo loco reddidimus. SCALIG. Legendum *Conlicitant a conlicito.* Eſt autem *conlicito*, de pretio convenio & contraho, ut *conſpondeo*, contra ſpondeo, ſive mutuam fidem obligo. Vetuſtiſſimi ſimplex *licitor* μεταφορικῶς uſurparunt pro congredior & pugno. Feſtus: *Licitati, in mercando ſive pugnando inter ſe contendentes.* Ennius:

Pars ludicra jactant ſaxa, inter ſe licitantur. POPMA.

lin. 29. *In Tarentilla Pacuvii.*] Nam est & alia Nævii. Ex ea hæc adducit Isidorus:

——— quasi in foro pila
Ludeis datatim dat se, & communem facit.
Alium tenet, alii adnictat, alibi manus
Est occupata: ast alii percellit pedem.
Alii dat anulum exspectandum de labris.
Alium invocat, cumque alio cantat: attamen
Aliis dat digito literas. —

Qui versus quia sunt non aspernandi, præterire nolui, sed ideo adduxi, ut explicarem. Primum apud Isidorum male Ennius, pro Nævius. Sed ex Festo novimus, quomodo nomen auctoris restituendum esset, & ex qua fabula adduceretur. Quod ait de meretrice, quæ omnium libidini se prostitueret, a lusu pilæ eleganter dixit, quod datatim sese dederet. Artemidorus libro I: Ἁρπαστὸν δὲ καὶ σφαῖρα φιλονεικίας ἀπεράντους σημαίνουσι. πολλάκις δὲ καὶ εἰς ἑταίρας ἔρωτα. ἔοικε γὰρ ἡ σφαῖρα καὶ τὸ ἁρπαστὸν ἑταίρᾳ, διὰ τὸ μηδαμῆ μένειν, καὶ πρὸς πολλοὺς φοιτᾷν. *Alii adnictat.* Plautus Asinaria:

Neque illa ulli homini nutet, nictet, annuat.

Alii pecellit pedem. Idem:

Neque isthæc ulli suo pede pedem homini premat.

Anulum spectandum. Idem:

Spectandum ne cui anulum det, neque roget.

Alium invocat: in talorum jactu scilicet. Exempla sunt in Asinaria, & in Curculione. *Dat digito literas.* Ovidius:

Et tacitam mensæ duxit in orbe notam.

Propertius:

Aut mea cum digitis scripta silenda notas. SCALIG.

Videtur mihi hic locus ita legendus & distinguendus: *In Tarentilla, Pellucium ab luce, inlustre.* Tarentilla fuit Comœdia Nævii, cujus testimonio utuntur Festus & Charisius: ac Pacuvii ejus nominis fabulæ apud veteres Grammaticos nulla, quod sciam, mentio. *Pellucium* est vox efficta a Nævio, quam Varro interpretatur inlustre, ab luce. Sic mox *reserare* ab sera aperire. POPMA.

Pagina 102.

lin. 1. *Nec satis resarrire, ab serra.*] *Reserare, ab sera*, magis placet. AUGUSTIN. *Satum.* Acroteleutium Saturnii versus. SCALIG. Cn. Nævius descripsit versibus Saturniis bel-

lum Punicum primum. in eo fuit: *Nec satis reserare*, scilicet potuisse Musarum fores, aut quid simile. hoc Ennius ab illo sumsit, & sibi vindicavit hanc gloriam lib. 1 Annal. cum ait, *Nos ausi reserare*. Cic. in Oratore: *Ergo Ennio licuit vetera contemnenti dicere:*

Versibus, quos olim Fauni vatesque canebant:

mihi de antiquis eodem modo non licebit? præsertim cum dicturus non sum, Ante hunc, ut ille; nec quæ sequuntur, Nos ausi reserare. POPMA.

lin. 2. *Aperire.*] *Operire.* SCALIG.

lin. 7. *Producendum.*] *Procudendum*, ex libro eruditissimi P. Victorii. SCALIG.

IN LIBRUM VII.

Pagina 103.

lin. 1. *Quom oratio natura.*] Oratio habet tres partes naturales, quibus tanquam gradibus ascendit: Verborum impositionem, declinationem, & compositionem. Nam primum duce natura homines vocabula rebus imposuerunt: deinde ea in casus & tempora declinarunt: tum inter se conjunxerunt, ut sententiam efficerent. Itaque, quod scribitur lib. 1, *Verbi uniuscujusque duas naturas esse, a qua re, & in qua re vocabulum sit impositum*; & lib. 8: *Natura quadruplicem esse formam, ad quam verba in declinando accommodari debeant*, hoc pertinet ad priores duas partes orationis, quas diximus. POPMA.

lin. 2. *Ejus:*] Marg. Scalig. *cujus*.

Pagina 104.

lin. 4. *Cognatio.*] Marg. Scalig. *Agnatio.*

lin. 12. *Cognationes.*] Marg. Scalig. *Agnationes.*

lin. 24. *Historia opus est.*] Duæ partes Grammatices: Historice in poetarum & bonorum auctorum enarratione occupata est: Methodice artis præcepta tradit. illa verborum impositorum ætates & progressus inquirit, quia, ut ait Horatius,

——— *verborum vetus interit ætas*

Et juvenum ritu florent modo nata, vigentque.

hæc docet verba declinata per casus & tempora inflectere. POPMA.

Pagina 105.

lin. 2. *Omnis.*] Marg. Scalig. *Nomina.*

lin. 21. *Causam, quare ab impositeis nominibus declinarint, ostendi.*] *Causa, inquam, cur eas ab impositis nominibus declinarint: quam ostendi.* sic libri fere omnes. AUGUSTIN.

Pagina 106.

lin. 1. *Et in.*] Marg. Scalig. *Ea in.*

lin. 3. *Ac heis.*] *Atque heis* scribendum, vel *ac* delendum est, ut Faerno nostro placet. AUGUSTIN.

lin. 11. *Cum fiunt tunc ex* &c.] Locus mendosus. AUGUSTIN. Videndum, an hic locus, qui manifeste corruptus est, ita restitui possit: *Omnia nomina, atque adeo etiam omnia verba, cum fiunt unum ex una syllaba, illud Et ut maneat unum.* Omnia nomina & verba, inquit, in loquendo junguntur una monosyllaba copula *&*, ut ipsa maneat eadem una. sive enim dixeris Tullius & Antonius, sive Lego & scribo, legam & scribam, copula *&* non mutatur. POPMA.

lin. 12. *Ut maneat.*] *Remaneat*, non nemo AUGUSTIN.

lin. 15. *Declinatus.*] Marg. Scalig. *declinandas.*

ead. & sq. *Quorum generum.*] Legendum, *duorum generum.* Ne putarent, inquit, omnes voces declinari, (nam copulæ non declinantur) factæ sunt declinationes duorum tantum generum, verborum scilicet & vocabulorum. Verba sunt lego; curro; vocabula, homo, equus. POPMA.

lin. 23. *Quædam priora, quædam posteriora.*] Verba Aristotelis: Ἔστι δὲ εἷς πρῶτος λόγος ἀποφαντικὸς, κατάφασις, εἶτα ἀπόφασις. οἱ δὲ ἄλλοι πάντες συνδέσμῳ εἷς. SCALIG.

Pagina 107.

lin. 6. *Ab equo equito.*] *Ab equo equile*, quidam. AUGUSTIN.

lin. 22. *Propter eorum, quam dicuntur.*] Locus mendosus. *Eorum, propter quæ dicuntur*, quidam scribendum esse opinatur. AUGUSTIN. Pro *quam* marg. Scalig. *qui.* Al. *Propter eorum, quorum.* Suspicor esse legendum: *Propter eos tum qui dicunt.* Est enim alterum membrum e duobus illis, quæ proposuit: *In sua discrimina declinantur verba, aut propter ipsius rei naturam, de qua dicuntur, aut propter illius, qui dicit.* POPMA.

Pagina 108.

lin. 31. *Jonam.*] Suspicor *Jonem* legendum, id est, Ἴωνα.

Alioqui si legis *Jonam*, erit Ἰωνᾶς ἀπὸ τοῦ Ἰώνιος. vel Ἰονᾶς ἀπὸ του Ἰόνιος. ut Ἀρτεμᾶς ἀπὸ τοῦ Ἀρτεμίδωρος. SCALIG.

Pagina 109.

lin. 6. *Artemidori.*] Marg. Scalig. *Artemæ*, & mox *Jonis*.

lin. 27 sq. *De quibus quæ experiero, singuleis tribus; tum de altereis totidem scribere ac dividere incipimus.*] *De quibus quæ ex prioribus, tum de alteris totidem scribere, ac* &c. SCALIG. Idem pro *experiero* in marg. *expedierint*.

Pagina 110.

lin. 6. *Quæ petimus, quod.*] *Quippe quod*, forte scribendum. AUGUSTIN.

lin. 15. *Quod is utilitatis.*] Marg. Scalig. *Quom utilitatis.*

lin. 22. *Quærere.*] Marg. Scalig. *Quærimus*.

lin. 25 sq. *In ædificiis, quod non videmus habere atrium περίστυλον, similitudinem, & cubiculum ad æquale; cum tamen.*] *Atrium περιστύλιον simile*, doctus vir putat scribi oportere. AUGUSTIN. *In ædificiis quid? non videmus atrium habere peristylii similitudinem, & cubiculum ædiculæ.* SCALIG. Al. *Cubiculum adæquales*. Placet magis, *ad ea æquale*. Ut in vestitu, inquit, sic & in ædificiis analogia negligitur propter utilitatem. non enim atrium habet peristylii similitudinem, aut cubiculum illi simile & æquale: quod utilitas suadet dissimilitudinem hic sequi, negligere similitudinem. POPMA.

Pagina 111.

lin. 9. *Solum, quod.*] *Solum, quo*, non nemo. AUGUSTIN.

lin. 22. *Nec tum ad tricliniarem gradum* &c.] Melius: *Nec cum ad tricliniarem gradum, tum item ad*: vel, *& tantum ad tricliniarem gradum, non item*. Lecti veterum alii erant tricliniares, sive discubitorii, in quibus discumbentes sumebant cibum: alii cubiculares, in quibus dormiebant, & cubabant. Cic. in Verr. lib. 4: *Jam non quæro, unde tantam Melitensem vestem habueris, unde quinquaginta tricliniorum lectos*. Idem lib. 2 de Divinatione: *Quidam somniavit ovum pendere e fascia lecti sui cubicularis*. Lampridius Heliogabalo: *Hic solido argento habuit lectos & tricliniares, & cubiculares*. Hinc Varro appellat *gradum tricliniarem & cubicularem*, quo ad eos lectos ascendebant: sed tricliniaris ut lectus, sic gradus altior. POPMA.

Pagina. 112.

lin. 5. *Duo verba in quatuor.*] Locus est obscurus, cujus sensum ita concipio: Si eam analogiam sequemur, quæ non est in consuetudine, ut quisque duo verba finxerit similiter in quatuor obliquis casibus, quamvis illa merito repudiaremus, tamen erunt sequenda, ut Juppiter, Marspiter, recto casu sunt similia: a quibus si quis conformet similes quatuor obliquos casus, Juppitris, Juppitri, Juppitrem, & Juppitre, & Marspitris &c. idque genus analogiæ in communi sermonis usu servet & sequatur, pro insano sit reprehendendus. Quamvis enim possint habere casus obliquos non minus, quam pater, mater, tamen repugnante consuetudine communi non utimur. POPMA.

lin. 20. *Sed etiam ab iisdem.*] Hoc dicit: In dissimilibus magis est analogia; atque etiam ab iisdem vocabulis finguntur dissimilia: neque tantum a dissimilibus similia, sed etiam eadem. Est autem ellipsis antiqua, *Neque a dissimilibus*: cujus exempla in jurisconsultorum libris plurima docti viri annotarunt. POPMA.

lin. 23. *Cum duæ sint Albæ.*] Quinctilianus lib. 1 utitur quoque hoc exemplo adversus analogiam. *Quid vero*, inquit, *quæ tota positionis ejusdem in diversos flexus exeunt? Cum Alba faciat Albanos & Albenses, Volo volui & volavi.* Sed Varro dissimilitudinis causam hic ostendit, quam Charisius explicat his verbis: *Albani dicuntur ab Alba; Albenses autem ab Alba Fucente: cujus rei causam Varro ait esse, quod in naturalibus nominibus tantum servatur analogia, in voluntariis vero negligitur. Nam ut a Roma Romanus dicitur, a Nola Nolanus, ab Atellis Atellanus, sic Albanus ab Alba dici debet. in illa autem Fucente Alba non conservatur hoc, quod alterius nomine cognominetur.* Intelligit autem locum Varronis lib. 8: *Itaque in voluntariis declinationibus inconstantia est, in naturalibus constantia.* POPMA.

lin. 26. *Si ex diverseis.*] *Sic ex div.* AUGUSTIN.

lin. 27. *A luo, luam.*] *Ab luo luam.* IDEM.

lin. 28 sq. *Liberalia & muliebria.*] Legendum. *Virilia & muliebria.* nam scripserat librarius *birilia*, unde factum *liberalia.* SCALIG.

Pagina 113.

lin. 29. *Albus.*] Marg. Scalig. *Gallus.*

Pagina 114.

lin. 7. *Exspectari.*] *Spectari.* AUGUSTIN.
lin. 13. *Nunc discrepant.*] *Num discrepent.* IDEM.
lin. 19. *Quæ.*] Marg. Scalig. *quod.*
lin. 23. *Quarum vis.*] *Quojus.* AUGUSTIN.
lin. 25. *Servanda.* Marg. Scalig. *secanda.*

Pagina 115.

lin. 3. *Quisque.*] *Quis quæ.* AUGUSTIN.
lin. 7. *Effinitum.*] *Finitum.* IDEM.
lin. 14. *Dicteis.*] Marg. Scalig. *Discreteis.*

Pagina 116.

lin. 5. *Cujus.*] Marg. Scalig. *quojus.*
lin. 6. *Quæ quam.*] *Qua quam.* AUGUSTIN.
ead. *Cujus.*] Marg. Scalig. *quojus.*
lin. 7. *Cui.*] Marg. Scalig. *quoi.*
ead. *Quæ.*] Marg. Scalig. *quai.*
lin. 13. *Sic eeis.*] *Eæis.* AUGUSTIN.
lin. 21. *Ad finitam.*] *Ad infinitam.* IDEM.
lin. 24. *Nominandei.*] Magis placeret *denominandi.* Intelligit enim, quæ *πατρωνυμικῶς* dicta sunt. SCALIG.

Pagina 117.

lin. 2. *Servare.*] *Servari.* AUGUSTIN.

lin. 4. *Dicitur Bubile, non bovile.*] Antiqua editio: *A bove bovile non dicitur:* quod licet Varro hic tradat sua ætate non fuisse in consuetudine vulgi, ipse tamen usurpavit, & Cato in oratione de Abrogandis legibus, ut testatur Charisius lib. 1, ubi hunc locum adducit e libro 8, cujus varietatis causam annotavi in Bibliotheca. POPMA.

lin. 5. *Neque dicitur, ut ab ave.*] Suspicor legendum: *Æque dicitur ab ave.* Cum sit simile, inquit, Avis & Ovis, nihilominus dicitur ab ave Aviarium, ab ove Ovile. POPMA.

lin. 8. *A sessione sediculum non est.*] Tamen apud Festum reperias, sediculum dictum pro sede. Quamquam, ut verum dicam, legendum videtur *sediculum ὑποκοριστικῶς*, a sede. SCALIG. Al. *A sessione sessiculum.* Malim *sediculum.* etsi illud quoque non dicitur a sessione, ut a cubatione cubiculum, a

cœnatione cœnaculum, ſed eſt ὑποχοριστικὸν a ſede, ut ab æde ædicula. Feſtus: *Sediculum*, *ſedile*. POPMA.

lin. 21. *Parma*, *Alba*, *Roma*; *Parmenſes*.] Doctus vir putat, poſt verbum *Romà* ſcribendum *Romenſes*, & *Albenſes*, ut *Parmenſes*. AUGUSTIN.

Pagina 118.

lin. 1. *A cantando Cantator*.] Deeſt huic loco particula negativa, quæ ita forte reſtituenda: *Non a cantando cantator*; vel: *A cantando cantator non eſt*. Cantor a canendo fuit in uſu ætate Varronis, non Cantator a cantando; cum tamen non minus ſit juxta analogiam, quam Amator, ſalutator: poſtea receptum eſt, ut Martialis indicat:

Cantator cygnus funeris ipſe ſui. POPMA.

lin. 14 ſq. *Sic amabor*, *legor*, & *ejuſmodi verbi*, *eſt vocabullum*.] *Sic ab amor*, *legor*, & *ejuſmodi verbeis vocabulum*, ex conjecturis mutandum. AUGUSTIN. Pro *legor* marg. Scalig. *legar*.

lin. 16. *Fit*.] Marg. Scalig. *ſic*.

ead. *Amatus*.] Marg. Scalig. *amaturus*.

lin. 25. *Quod*.] Marg. Scalig. *quid*.

Pagina 119.

lin. 19. *Non ſalſum inſulſum*.] *Inſalſum*, quidam. AUGUSTIN.

Pagina 120.

lin. 9. *Nam dicunt ab alaco alacus*.] Suſpicor legendum eſſe, *ab Alauda alaudas*. Ergo declinantur. Id quod volebat probare nunc Varro. SCALIG. Antiqua editio *ab alavo alaucus*, ut fortaſſis legi poſſit, *ab alauda alaudas*. Nam Alauda fuit Gallicum nomen aviculæ, quam Latini vocant Caſſitam, vel Galeritam, quod habet plumam in capite elatam ad ſimilitudinem galeri vel caſſidis. hinc Alaudæ nomen legioni Cæſar dictator in Gallia impoſuit, quod milites eſſent inſignes galeis, ſimillimis ei apici, qui in capite aviculæ, quam alaudam vocabant Galli. Plinius lib. 11: *Galerita appellata quondam Gallico vocabulo*, *etiam legioni nomen dederat Alauda*. Id autem declinari pluribus caſibus, præter Varronem, teſtatur etiam Cicero ad Atticum: *Antonius cum legione alaudarum ad urbem pergeret*. Vetus inſcriptio: C. SALLIO MATERN. BUCINATORI LEG. V ALAUDÆ. *Popma*.

lin. 10. *In quod scribent.*] Marg. Scalig. *Id quod* &c. Vulg. *scribunt.* Videndum, an legi possit, *Sin quod scribunt dicent;* hac sententia: Si Græci elementa illa, quibus in scribendo utuntur, (ideo enim Græcæ literæ appellantur,) quia Pœnica sunt, singulis casibus declinant; sequitur, ut etiam Latina nomina debeant senis casibus declinare, non quinis. Cum enim Pœni habeant singulos casus, Latini senos, & Græci Pœnica vocabula singulis casibus declinent, cur non etiam Latina vocabula senis casibus inflectunt? sunt enim utraque ipsis quidem peregrina. POPMA.

lin. 19. *Patrico.*] Marg. Scalig. *patrio.*

lin. 27. *Patricus.*] Marg. Scalig. *patrius.*

Pagina 121.

lin. 1 *Surus.* lin. 2 *Suro.* lin. 4 *Sure.*] *Sciurus, sciuro, sciure*, scribendum arbitror. AUGUSTIN.

lin. 2 sq. *Si respondent similia.*] Rectius legi possit, *His respondent.* Nam Crates Mallotes, & ab eo grammatici dicebant, similia nomina esse, quæ in recto casu simili proportione efferuntur, ut Philomedes, Heraclides, Melicertes. His respondebat Aristarchus, non esse similia, quæ in vocando sunt dissimilia, ut cum E longo Heraclide, cum E brevi Philomede & Melicerte. In quo vanus est, nec sibi constat Aristarchus. nam in Μελικέρτη non est η breve, & casus vocandi potius est Μελίκερτα, quem etiam ipse agnovit, ut auctor est Varro lib. 8. POPMA.

lin. 7. *In vocando.*] *In vocandei.* AUGUSTIN.

lin. 9. *E brevi Melicerte.*] Atqui Μελίκερτα potius facit: quod non erit *e* breve. Nam pone esse per η: quis unquam vidit η breve? Sane, quid sibi voluerit Aristarchus, nescio. Hoc repetit alibi Varro. SCALIG.

lin. 11. *Quidquid.*] *Quidque.* AUGUSTIN.

lin. 31 sq. *Quibus das.*] *Quibusdam.* AUGUSTIN.

Pagina 122.

lin. 1. *Sed queis das.*] *Sed queisdam.* AUGUSTIN.

Pagina 123.

lin. 4 sq. *Neque alia trisyllaba fierent.*] Locus mendosus. AUGUSTIN. Legendum omnino: *Neque alia perissosyllaba fierent.* Si analogia esset, inquit, comparativa horum nomi-

num, macer, facer, tener, essent similia, neque diceretur macrior, magis sacer, tenerior. Cum enim positiva similes habeant casus genitivos, macri, sacri, teneri; non debent alia & diversa fieri comparativa, sed unius syllabæ adjectione similiter crescere, macrior, sacrior, tenerior. quod in altero mutat. *Perissosyllabam* vocat, quæ in comparativo accedit genitivo positivi. oportet enim comparativum una syllaba vincere genitivum positivi, ut teneri, tenerior, docti, doctior. Charisius lib. 1: *Comparatio absolutionis perissosyllabam necesse est ut habeat, ut doctus doctior, facilis facilior: sed si inciderit appellatio, quæ non potest habere perissosyllabam in comparatione, nec comparari potest.* POPMA.

lin. 7 sq. *Ut candidus, candida, pauper, paupera.*] Legendum, *Ita candidus candida, pauperus paupera:* quod unicuique planum esse potest, qui totum locum attende perlegerit. IDEM.

lin. 22. *In mediis.*] *In aliis media*, ut docto viro placet. AUGUSTIN.

Pagina 124.

lin. 11 sq. *Perperni filia.*] Suspicor esse legendum, *Perpenni ut Ilii.* Ostendit, nomina propria, quæ sunt a nominibus propriis, non servare analogiam, quia ab *Ilo* dicitur *Ilium*; at a *Romulo Roma*; cum debuisset esse *Romula*, & ab *Ilo Ilia*, nomen mulieris. contra *Perpenna* nomen virile, quod ipsum sæpius adducit in exemplum & argumentum contra analogiam. POPMA.

lin. 24. *Libertini a municipio.*] Oppida, municipia, itemque societates & fana habebant servos publicos, quos etiam manumittebant, impositis a se nominibus: in quibus, inquit Varro, non servarunt proportionem & similitudinem ad nomina Romanorum libertorum. De servo publico civitatum meminit Plinius epistola ad Trajanum: *Utrum per publicos civitatum servos, quod usque adhuc factum, an per milites asservare custodias debeam.* De municipali idem lib. 7 Ep st. *Agrum ex meis longe pluris actori publico mancipavi.* & Festus: *Municeps, qui in municipio a servitute liberatus.* IDEM.

Pagina 125.

lin. 1. *Qui manumissi ante, quam* &c.] Locus corruptus, quem alii aliter conati sunt emendare. Origo autem mendi ex ignoratione antiquæ ellipseos. *nomina, qui*, pro eorum qui, ut

lib. 4: *Domus, cui cognomen fuit Macellus*, pro ejus, cui. Quare sic arbitror legendum & distinguendum. *Qui manumissi antequam sub magistratu, in nomina, qui eos liberarunt, succedere cœperunt.* Servi publici populi Rom. dicebantur, qui in urbe officium & ministerium publicum aut sacerdotibus, aut magistratibus populoque exhibebant. erant autem ordinis libertini, quod præter Varronem ostendit Tacitus lib. 13: *Quippe late fusum id corpus. hinc plerumque tribus ducurias, ministeria magistratibus, cohortes etiam in urbe conscriptas.* Itaque liberati servitute, manuque missi jam erant, antequam apparebant & serviebant magistratibus: manumissi vero assumebant nomina dominorum, a quibus erant liberati, & in eorum nomina quasi succedebant. Sic Tiro & Laurea servi, manumissi a M. Tullio Cicerone, dicti M. Tullius Tiro, M. Tullius Laurea; Epirota manumissus a Q. Cæcilio Attico, Epicadus a L. Cornelio Sulla, alter Q. Cæcilius Epirota, alter L. Cornelius Epicadus nominatus: & similiter alii. Cic. ad Attic. lib. 4: *De Eutychide gratum, qui vetere prænomine novo nomine T. erit Cæcilius, ut est ex me & te junctus Dionysius, M. Pomponius.* POPMA.

lin. 3. *Lesas, Usenas* &c.] Marg. Scalig. *Lænas.* Scribendum *Lænas, Susenas*, ut est apud Quinctilianum lib. 1: *Si ut Mæcenas, Susenas, Asprenas dicerentur.* Lænas est cognomen Popiliorum: Susenas Noniorum, ut constat ex antiquis denariis, in quorum altera parte legitur: SEX. NONIUS PR. L. P. F. in altera SC. SUFENAS. *Carinas* cujus gentis cognomen fuerit, non sat scio: sed nisi me fallit memoria, Cicero ad Atticum nominat *T. Carinatem. Mæcenas* Cilniorum. unde *Cilnius Mæcenas*, amicus Cæs. Augusti, apud Tacitum. IDEM.

IN LIBRUM VIII.

Pagina 126.

lin. 10. *Id quidem est verum*] Locus mendosus, ut arbitror. AUGUSTIN.

lin. ult. *Et ex hac consuetudo ex dissimilibus & similibus.*] Locus non satis integer. IDEM. Locus mutilus & stigmate notandus ad hunc modum: *Ex dissimilibus & similibus verbis...*

eorum. . . quod declinationibus constat. fortassis autem tale quiddam deest: *duorum generum unum sterile, alterum quod.* POPMA.

Pagina 127.

lin. 13. *An usus.*] *An unius*, fortasse scribendum est. AUGUSTIN.

Pagina 128.

lin. 1. *Aliter; ac inde.*] *Aliter atque in*, docto cuidam viro placet. AUGUSTIN.

lin. 30. *Unum dant, non oportere* &c.] Totum hunc locum ita legendum & distinguendum censeo: *Unum dant, hoc oportere dici, quod sit in consuetudine; alterum non conceditur, quin ita dicatur, ut sit simile cum id faciat. At si quis*, &c. Cum duo sint, inquit, peccati genera circa declinationes, unum, quod in consuetudinem perperam receptum est, alterum, quod nondum receptum est, sed a multis dicitur perperam; illud dant adversarii analogiæ, oportere nos id dicere, quod in consuetudinem venit, neque illam licet depravatam corrigendum: hoc non concedunt, ut verbum aliquod præter consuetudinem dicatur: nisi cum id faciat & inducat, sit aliud simile. At si concedant, corrigi eum puerum, qui per delicias male ponere pedes atque imitari vacias cœperit; eum vero, qui consuetudine ambulandi jam factus sit vacia aut compernis, si corrigi non concedant; haud sequitur, eos stulte facere, qui crurum vitia, & distortiones serperastris corrigunt. Similiter non peccant, qui sermonis pravam consuetudinem ratione analogica emendant. Sunt autem *serperastra* adminicula, quæ geniculis puerorum primum ambulantium alligata adhibentur, ne ii vari aut compernes fiant. Cicero ad Atticum lib. 7: *De serperastris cohortis meæ:* quo nomine ibi notat præfectos cohortis suæ & comites in provincia: quod illi militum, quibus præerant, vitia corrigere deberent; ut serperastra crurum distortiones. Quamquam, ne quid dissimulem, apud Ciceronem malim legere *Cerberastris*, quod etiam nonnullis doctissimis viris placuit. Ut enim ab Antonio Antoniaster, a Tullia Tulliaster, sic a Cerbero Cerberaster, homo avarus & inhians nummis, ut Cerberus offæ. POPMA.

lin. 31. *Quod sit.*] *Quod non sit.* AUGUSTIN.

Pagina 129.

lin. 8. *Serperastra.*] Καμπεσίγυια. Orpheus, enumerans crepundia Bacchi, in infantum supellectile recenset illa:

Κῶνος, καὶ ῥόμβος, καὶ παίγνια καμπεσίγυια,
Μῆλα τε χρύσεα καλὰ παρ' Ἑσπερίδων λιγυφώνων.
citat Clemens. SCALIG.

Pagina 130.

lin. 31. *Qui amissa modo* &c.] Locus mendosus. AUGUSTIN. Legendum: *Qui amissa non modo*, ut est in nonnullis vulgatis editionibus. Notat autem hominum in quærendis rebus, quas amiserunt, diligentiam: at in verbis, quæ sermoni deperierint, investigandis incuriam. Qui amissa non modo quærunt, inquit, sed etiam indicium faciunt, ubi aut quomodo inveniri possint: iidem, ex sermone si quid excidit, non laborant, ut revocent & reparent. POPMA.

Pagina 131.

lin. 12. *Sinorum & capidarum.*] Scribendum *capularum*; ut est lib. 4: *Capis & minores capulæ a capiendo*; & lib. 1 de Vita populi Rom. *Potula, quæ vocant capulas & capides.* POPMA.

lin. 13 sq. *Contaminati uti nollent, quæ* &c.] Vetus editio habet, *incontaminati.* unde fortassis legendum: *Incontaminati uti nollent quas.* Isti incontaminati & expertes vanitatis, inquit, propter consuetudinem veterem nolent uti his vocabulorum formis, quas docuerit ratio. IDEM.

lin. 21. *Inducteis.*] Marg. Scalig. *indocteis.*

lin. 28. *Nonne in cælo* &c.] Interrogandi notæ, quæ hic interjectæ sunt, totum sensum perturbant. quin & Varronem sphæræ ignarum convincerent. Est autem longo satis ambitu contenta periodus, quæ ita legenda est: *Nonne in cælo ut ab æquinoctiali circulo ad solstitialem, & hinc ad septemtrionalem divisum, sic contra paribus partibus item a bruma versum contraria parte non quantum polus superior, abest inferior ab eo, quem antarcticon vocant astrologi, & is ad brumalem?* Ita debebat dicere, *abest ab eo inferior, quem antarcticon. Ab eo*, scilicet ἰσημερινῷ. SCALIG.

Pagina 132.

lin. 15. *Iidem. Item ab heis.*] Marg. Scalig. *Identidem alieis.*
lin. 31. *Sane.*] *An e.* AUGUSTIN.

Pagina 133.

lin. 8. *Non.*] Marg. Scalig. *Num.*

lin. 12 sq. *Cum omnes animæ hominum sint divisæ in octonas parteis.*] Hæc divisio Stoica est: Varro autem ei sectæ addictus fuit. Laertius de Stoicis: *Μέρη δὲ ψυχῆς λέγουσιν ὀκτώ. τὰς πέντε αἰσθήσεις, καὶ τοὺς ἐν ἡμῖν σπερματικοὺς λόγους ; καὶ τὸ φωνητικὸν καὶ τὸ λογιστικόν.* Meminerunt & alii multi. Quin & orationis divisio, quæ sequitur, est & ipsa quoque Stoica. SCALIG.

lin. 18 sq. *Itaque habet, an non?* &c.] Placeret magis: *Itaque habet. An non vides*: ut, *Non vides*, *nonne vides*, quibus in principio orationis sæpissime utuntur Varro & Lucretius, ut notavi ad Satyras. POPMA.

lin. 19. *Quadripartitam?*] Marg. Scalig. *Quadriplicatam.*

lin. 24. *Equidem non dubito.*] Quin videtur potius ita legendum & distinguendum? *Equidem non dubium his*, *qui* &c. POPMA.

lin. 31. *Animadvertit.*] *Animadvertat.* AUGUSTIN.

Pagina 134.

lin. 16. *Lentibus nateis.*] *Sateis* scribendum est. AUGUSTIN.

Pagina 135.

lin. 12. *Hinc orationem verborum.*] Legendum: *Rationem verborum.* ut in hoc extremo libro, ubi vulgo legitur, *scientiam tollit orationis*, reponendum *rationis*. Analogiam vocat *rationem*. & alibi *rationem analogiæ*. POPMA.

lin. 25. *Possunt. quo.*] *Possit*, *quo*. AUGUSTIN.

Pagina 136.

lin. 5. *Lana Gallicana.*] Intelligit Parmensem lanam. Martialis:

Velleribus primis Appulia, Parma secundis
Nobilis: Altinum tertia laudat ovis. SCALIG.

lin. 14. *Id.*] Marg. Scalig. *Heic.*

lin. 30. *Vocis verbeis.*] *Verbeis vocis*, arbitror scribendum esse. AUGUSTIN.

Pagina 138.

lin. 1 sq. *Dico non.*] *Dico nos*. AUGUSTIN.

lin. 2. *Sequi. sæpe itaque.*] Videtur legendum: *Sequi in specie. itaque ex.* Quod lectos facimus, inquit, alios ex ebore, alios ex testudine, aut ex genere aliquo alio: non ideo sequimur dissimilitudines in unaquaque forma lectorum, sed in ea proportionem similitudinis diligenter servamus. nam tri-

cliniares lectos pares habemus & materia, & altitudine, & figura, itemque cubiculares in suo genere pares. at hæc duo genera lectorum disparia. Huc pertinet locus ille lib. 7: *Lectos non omnes pares magnitudine ac figura faciunt. quod si esset analogia petenda in supellectile, omnes lectos haberemus domi ad unam formam, & aut cum fulcro, aut sine eo, & tantum ad tricliniarem gradum, non item ad cubicularem.* POPMA.

lin. 24. *Nemo pollicetur.*] Hoc dicit: Non pollicetur analogia e vocabulo formare & deducere vocabulum, cujus rectus casus singularis conveniat in rectum singularem illius primogenii, sed ex duobus vocabulis similibus, casus similiter declinatos similes facere. Itaque errant, qui contendunt, non esse analogiam, quod a Romulo sit Roma & non Romula, & a bove dicatur bubile, non bovile, ut ovile. Porro verbo *declinare* duplici significatu utitur Varro in his libris: uno minus trito, pro derivare & denominare, ut hic, *e vocabulo vocabulum declinari;* altero vulgari more, pro inflectere & variare in numeros & casus. Sic loquitur lib. 9: *A recto casu in rectos declinantur, ut albus, a, um.* IDEM.

Pagina 139.

lin. 20. *Tollunt esse analogias* &c.] Verba sunt partim corrupta, partim mutila. Desideratur enim argumentum adversariorum, quo contendebant, non esse analogiam; ideo quod verba quædam habent declinatus, quorum casus non commutantur, ut *nihili.* ad quod respondet, illius rectum casum esse Hilum, ut in versu Ennii Epicharmo de terra:

Quæ dedit illa, capit, neque dispendi facit hilum.

& obliquos commutari tum, cum commutatur id, de quo dicitur. Sic ergo fortassis scribendum: *Tollunt pessime analogias . . . ? Sed initio.* POPMA.

lin. 21. *Sed initio vocabulum.*] Locus mendosus. AUGUSTIN.

lin. 22. *Quod dedit ira caput, nec dispendi facit hilum.*] Admonuimus scribendum:

Quod dedit illa, capit: neque dispendii facit hilum. SCALIG.

Pagina 141.

lin. 10. *Surdum theatrum.*] Κωφὸν θέατρον. Galenus περὶ μεθόδου, λόγῳ α. SCALIG.

lin. 11. *Omnes tres.*] *Omnes hæ res*, quidam. AUGUSTIN.

lin. 12. *Ad silentium* &c.] Locus mendosus. IDEM.

Pagina 142.

lin. 20. *Debuerint.*] Al. *debuerunt.* AUGUSTIN.

Pagina 143.

lin. 27. *Vinum, quod Chio.*] *Vinum Chio, vinum Lesbo,* eſt Græcanice dictum, οἶνος Λεσβόθεν, οἶνος Χιόθεν, & apud Plautum: *Hoſpes Zacyntho.* Ζακυνθόθεν. SCALIG.

Pagina 144.

lin. 8. *Plura balineas dicant.*] Legendum: *Plura balnea non dicant.* Balnea numero multitudinis dicere privata lavacra, non ſibi permiſit conſuetudo ſermonis, quæ ætate Varronis erat, ut ait lib. 7, *Neque ab eo, quod dicunt balneum, habet multitudinem conſuetudo.* Itaque Cicero privatum balneum ſemper dixit: tantum lib. 2 de Oratore, *Balnea M. Bruti;* & in Hortenſio de M. Sergio Orata, qui balneum privatum, quo domi ſuæ lavaretur, primus fecit, *Primus balneola ſuſpendit, incluſit piſces.* Quod ipſum poſterior ætas recepit, ut ex Horatio & aliis conſtat. POPMA.

lin. 13. *Idemque, item contra.*] Locus mendoſus. AUGUSTIN.

Pagina 145.

lin. 23. *De Veſpertino tempore.*] Suſpicor ſcribendum eſſe: *De veſperi. in tempore vere.* Cur non dicimus, inquit, Mane manius maniſſime, itemque Veſperi veſperius veſperrime? quia tempus aliud non eſt alio magis vel minus, ſed prius & poſterius. hinc magis mane ſurgere tam dicitur, qui primo mane ſurgit, quam qui hoc prior. Ut enim dies illuxit, tum non poteſt tempus aliud eſſe magis tempus, quam mane. nam ipſum hoc, quod dicitur magis, ſibi non conſtat, ſed diverſo & contrario uſu a ſe ipſo diſſentit, ut cum dicitur Magis mane, ſignificat primum mane, cum Magis veſpere, ſerum & noviſſimum veſper. POPMA.

Pagina 146.

lin. 30. *Patrici.*] Marg. Scalig. *patrii.*

lin. 31. *Negant.*] *Negent.* AUGUSTIN.

Pagina 147.

lin 2. *Quod in nihil.*] *Quod nihili.* AUGUSTIN.

lin. 6. *Si ratio.*] *Ea ratio.* Vel dele *si.* AUGUSTIN. Pro *si* Marg. Scalig. *sit.*

lin. 10. *Sic in vocabuleis casuum.*] Continua cum sequentibus, *sic in vocabulis casuum possunt item fieri.* Alioquin obscurissima erat sententia. SCALIG.

lin. 12 sq. *Quod nonnunquam apud poetas invenimus factum.*] Quod deest in fabula, sæpenumero expletur a grege. qualia sunt illa:

Ne exspectetis dum exeant huc. intus despondebitur:
Intus transigetur. si quid est, quod restet, &c.

Versiculus igitur, qui adducitur ex Nævii Clastidio, videtur idem supplesse, quod in actibus aut diverbiis deerat. SCALIG.

lin. 24. *Altera plagula sit angusteis claveis.*] Clavus erat plagula, quæ ab humeris in pectus dimittebatur, ut erat ἐπωμὶς Græcorum. Ea clavis quibusdam consita erat, in senatoribus quidem, latioribus, in equitibus, angustioribus. Propterea tota plagula ipsa vocabatur clavus. Nonius, *Patagium*, inquit, *aureus clavus, qui pretiosis vestibus immitti solet.* Nam patagium erat honestis matronis, quod clavus viris. Et ipsum ἔτυμον declarat. Patagium enim dictum, quod quibusdam quasi maculis & nævis inspersum erat. Πάταγος enim, nisi fallor, est morbus pestilens, quo correpti qui moriuntur, nullum indicium morbi relinquunt aliud, quam nævulos in parte corporis. Quocirca in Gallia vocant *Tac*, hoc est, maculam, vel nævum. Ab ea similitudine a clavulis, qui tanquam nævi in plagula sparsi sunt, dicitur patagium. Apud Festum tantum legitur, *Patagus, genus morbi.* Nam ita dictum puto, quia eo subito veluti perculsi & stupefacti commoriuntur homines. SCALIG.

Pagina 148.

lin. 8. *Decuis.*] *Decus.* AUGUSTIN.

lin. 22. *Denaria.*] Marg. Scalig. *Denariûm.*

lin. 27. *Fictus.*] Marg. Scalig. *Dictus.*

lin. 30 sq. *Hoc ab ære, æneaque libra* &c.] Scribendum majusculis literis, *a quo dicimus assem tenentes*: HOC AB ÆRE ÆNEAQUE LIBRA. &, MILLE ÆRIS LEGASSE. SCALIG.

Pagina 150.

lin. 27. *Ut Sappho, & Alcæus.*] *Ut Alcæus.* AUGUSTIN.

lin. 31. *Quod quisque caput.*] Ita hæc distinguenda sunt: *Quod quisque caput pertenderit sequi, debet ejus consequentias*

casus in declinando facere: at non, cum dixerit recto casu Alcæus, &c. SCALIG.

Pagina 151.

lin. 4. *Et non.*] Dele *&*. AUGUSTIN.
ead. *Reprehendendum.*] Marg. Scalig. *Reprehendunt.*
lin. 12. *Lana.*] Marg. Scalig. *Lucerna.*
lin. 18. *In nationes* &c.] Locus mendosus. AUGUSTIN.
lin. 29. *Differunt, ac dicuntur.*] Marg. Scalig. *Discedunt, ac diducuntur.*

Pagina 152.

lin. 13. *Simile.*] Marg. Scalig. *Mille.*
lin. 14. *Legeram.*] Marg. Scalig. *Legi.*

Pagina 153.

lin. 15. *Dicebatur.*] Marg. Scalig. *Olim dicebatur.*
lin. 19. *Etiam hoc.*] Al. *etiam in hoc.* AUGUSTIN.
lin. 23. *Animaleis.*] Marg. Scalig. *Animanteis.*
lin. 26. *Quare cum.*] *Quare cur.* AUGUSTIN.

Pagina 154.

lin. 21. *Quod in præteriteis U dicimus longum, luit, pluit.*] Ennius:

Annuit sese mecum decernere bello.

Alii *annuuit* duplici *uu*. Plautus:

Nam rus ut ibat, forte ut multum pluuerat.

Sed tunc est a *pluveo*, ut *annuuit* ab *annuveo*. Idem:

Certare abnueo, metuo legionibu' labem. SCALIG.

lin. 27. *Sacrificat.*] *Sacrifico.* AUGUSTIN.
lin. 31. *Adlavant.*] *Lavant.* Plaut. in Truculento. AUGUSTIN.

Pagina 155.

lin. 1. *Adlavant.*] *Ad lavant.* AUGUSTIN.
lin. 31. *Utrum in secunda* &c.] Locus mendosus. IDEM.

Pagina 156.

lin. 9. *Multa.*] *Multi.* AUGUSTIN.
lin. 21 sq. *Discrepant verbeis utcunque.*] Antiqua editio, *Utrumque.* Ex quo suspicatus aliquando sum, hic deesse verbum *fallit*, vel, *falsum est*, aut tale quid. Respondet enim his, qui esse analogiam negabant, quod qui de ea scripsis-

ſent, aut inter ſe non conveniſſent, aut in quibus conveniſſent, ea cum conſuetudinis verbis diſcreparent: quod, inquit, fallit, nec ſequitur. nam hac ratione omnes artes repudiandæ forent, quod in medicina & in muſica, & in aliis multis diſcrepant ſcriptores; & in quibus conveniunt ita dici oportere, his tamen aliter utuntur. Itaque non ars, ſed artifex reprehendendus, qui in ſcribendo debuit vidiſſe verum: neque ideo ſequitur, non ſcribi verum, quod idem verbum alius alio modo efferat ut fonti, monti, &c. POPMA.

lin. 25. *Repudiant.*] Marg. Scalig. *Pugnant.*

lin. 26. *Nam.*] Marg. Scalig. *Natura.*

Pagina 157.

lin. 17. *Hæ murænæ.*] *His murænæ.* AUGUSTIN.

lin. 18. *Sic aliis.*] *Sic alii.* IDEM.

IN LIBRUM IX.

Pagina 160.

lin. 2. *Cujuſque.*] *Cujus eſt.* AUGUSTIN.

lin. 13 ſq. *Senior ſeni.*] *Senis ſeni.* IDEM.

lin. 23. *Quodcunque conſeras*, &c.] *Quodcunque conſeras, aut ſimile eſſe, aut non eſſe. ſimile eſſe, & diſſimile, ſi videatur: eſſe, ut dixi, neutrum, ſi in neutram partem præponderet.* IDEM.

Pagina 162.

lin. 8. *Neſtocles Parmeniſius.*] Legendum *Mneſtocles, Parmeniſcus.* Nam Μνησοκλῆς eſt nomen Græcum: de quo tamen nihil reperio. de Parmeniſco autem ſatis conſtat, eum fuiſſe nobilem grammaticum. ac aliquando citatur ab Hermolao Stephani ἐθνικῶν mutilatore. SCALIG.

Pagina 163.

lin. 25. *Ægrotat & langueſcit.*] Eadem jungit lib. I de Vita populi Rom. *Diſtractione civium elangueſcit bonum proprium civitatis, atque ægrotare incipit, & conſeneſcere.* Lucretius item lib. 4:

Languent officia atque ægrotat fama vacillans.

Tralate, ut Græci *νοσεῖν*. Demosthenes: Ἀπόλωλε καὶ νενόσηκεν ἡ Ἑλλάς: & Αἱ δὲ πόλεις ἐνόσουν. POPMA.

Pagina 164.

lin. 15. *Nominum.*] Marg. Scalig. *Nominatuum.*

Pagina 166.

lin. 17. *Purpurina.*] Marg. Scalig. *ſpurina.*

Pagina 167.

lin. 14. *Augere.*] Marg. Scalig. *Tangere.*

Pagina 169.

lin. 31. *Item.*] Marg. Scalig. *Idem.*

Pagina 170.

lin. 21. *Alii ab Ariſtarcho.*] Græcanice, *καὶ ἄλλοι οἱ ἀπὸ τοῦ Ἀριστάρχου*. SCALIG.

Pagina 173.

lin. 21. *Figuras.*] Marg. Scalig. *Figura.*

Pagina 174.

lin. 25. *Tamen eam.*] Marg. Scalig. *De ea.*

Pagina 175.

lin. 22. *Recuperari.*] Marg. Scalig. *Reputari.*

Pagina 177.

lin. 30. *De genere.*] Marg. Scalig. *Eo genere.*

Pagina 178.

lin. 3 ſq. *Hectoris natum de muro Trojano jactari.*] Ex Andromacha Ennii:

Hæc omnia vidi inflammari,
Priamo vi vitam evitari:
Jovis aram ſanguine turpari:
Hectoris natum de moero
Trojano jactari. —

Sed magis puto ita ſcripſiſſe Ennium:

Hectorem curru quadrijugo raptarier:
Hectoris natum de moero jactarier.

Otiosum enim *Trojano*: & est interpretamentum alicujus studiosi. Citat autem Cicero primum membrum. Porro similis conquestio in Hecuba:

—— quid petam
Præsidii? quid exsequar? quo nunc aut auxilio, aut fuga
Freta sim? arce & urbe sum orba: quo accedam? quo applicem?
Cui nec patriæ aræ domi stant, fractæ & disjectæ jacent.
Fana flamma deflagrata, tosti al:i stant parietes.

Videamus, quid ex Euripide transtulerit, quid rejecerit:

Ὦ μοι μοι.
Τίς ἀμύνει μοί; ποία γέννα;
Ποία δὲ πόλις;
Φροῦδος πρέσβυς, φροῦδοι παῖδες.
Ποίαν, ἢ ταύταν ἢ κείναν
Στείχω; ποῖ δ' ἥσω; ποῦ; τίς θεῶν
Ἢ δαιμόνων ἐπαρωγός;

Addam & pro coronide, illa non exstare in Græco:

Sed non scripsisti, quis parentem, aut hospitem
Necasset: quo quis cruciatu perbiteret.

Neque illa:

Heu me miseram, interii: pergunt lavere sanguem sanguine.

Nec illa:

Juppiter tibi summe tandem male re gesta gratulor.

At illa sunt:

Vide, hinc meæ, inquam, lacrumæ guttatim cadunt.

Talthybii verba:

— νῦν τε γὰρ λέγων κακὰ
Τέγγω τόδ' ὄμμα. —

At illa quomodo?

Miserete anuis, date ferrum, qui
Me anima privem. —

Hecuba apud Euripidem:

Ἡμᾶς δ' ἄγοντες πρὸς πυρὰν Ἀχιλλέως
Κεντεῖτε, μὴ φείδεσθε. —

Et cum ad verbum transferret, satis negligenter ea tractabat. ut illa:

Hæc tu etsi pervorse dices, facile Achivos flexeris.
Namque opulenti cum loquuntur pariter atque ignobiles,
Eadem dicta, eademque oratio æqua non æque valet.

Concinnius puto:

Hæc tu etsi inepte dixeris, flexis facul:
Ignobilium etenim atque opinatum virum
Oratio indidem æqua non æque valet.

Euripides:

Τὸ δ' ἀξίωμα κἂν κακῶς λέγῃ τὸ σὸν,
Πείσει. λόγος γὰρ ἔκτ' ἀδοξούντων ἰὼν,
Κἀκ τῶν δοκούντων, αὑτὸς οὐ ταυτὸν σθένει.

Sed de his satis. SCALIG. Ennius Andromacha:

Hæc omnia vidi inflammari,
Priamo vi vitam evitari,
Jovis aram sanguine turpari,
Hectoris natum de mœro jactarier.

ubi est Hectoris media syllaba longa, more prisci sermonis, de quo intelligendus locus lib. 7. *Item secundum illorum rationem debemus secundis syllabis longis dicere Hectorem, Nestorem. Est enim, ut Quæstor, Prætor, Nestor, Hector.* POPMA.

Pagina 179.

lin. 1. *Cascus, furus.*] *Surus* legendum, ut supra lib. 7, *Suro, lupo.* Ennius:

——— *unus*
Surus surum ferret; emem defendere posset.

Intelligit vallum, quod propterea alibi crebrisurum dixit. Auctor Festus. a suro autem ὑποκοριστικὸν Surculus. SCALIG.

lin. 3. *Ut Scala, falera.*] Non in feminino quidem dicitur singulari, sed neutro dicitur, ut Falera apud eundem Varronem de Re rustica. SCALIG. Charisius lib. 1, inter vocabula muliebria, quæ tantum numero multitudinis efferuntur, recenset Scalæ & Faleræ. itaque recte Varro ait, Scala, Falera esse neutra, id est, nec nova nec vetera, sed contra consuetudinem sermonis dici. Scalam tamen in unam nominis figuram redigit Cajus ICt. Vel scalam sciens accommodaverit ad ascendendum. POPMA.

lin. 20. *Arusini.*] Marg. Scalig. *Aristæ.*

Pagina 181.

lin. 19 sq. *Ut sit in faba.*] Nomina leguminum aridorum, quæ metimur, ut faba, triticum, far, & similia, nihil opus

fuit numero multitudinis discernere, cum numerari non possint, & specie satis distinguantur. quomodo in familia servus generatim nominatur, & a diversis operis & ministeriis alius servus atriensis, alius mediastinus. Itaque in illo Virgilii,

——— *Vere fabis satio*,

inusitatam declinationem notat Charisius. POPMA.

ADDENDA

ex Turnebi Adversar. lib. XXIII, cap. 1. & XXIV, cap. 29.

ad pag. 4 lin. 2 sq. *Quod neque omnis impositio verborum exstat.*] Impositionem verborum nominat, quam Græci ὀνοματοθεσίαν vocant: ea nomina intelligens, quæ primum rei alicui significandæ imposita sunt: quorum multa jam non comparent, cum tamen ab iis alia profecta in usu fortasse sint. Impositiones enim nomina primitiva appellat, a quibus oriuntur declinationes, id est, derivativa. Varro lib. 6: *Duo igitur omnino verborum principia, impositio & declinatio; alterum, ut fons, alterum, ut rivus.*

ead. lin. 21 sqq. *Quare illa, quæ jam majoribus nostreis ademit oblivio fugitiva, secuta sedulitas Mucii & Bruti retrahere nequit. Non si non potuero indagare, eo ero tardior.*] Insignis est illa translatio a fugitivis servis sumta, sane quam eleganter. Lego autem: *Quare illa, quæ jam majoribus nostris ademit oblivio, fugitiva si sedulitas Mucii & Bruti retrahere nequit, non si* &c. Fugitivi enim servi dicuntur retrahi, qui e fuga reducuntur domum ad herum: unde & apud Varronem de Re rust. fugitivarius dicitur, qui fugitivum conquirit & sectatur. De verbis igitur, honesta præclaraque translatione, ut de servis, locutus est; ut & Terentius: *Retraham hercle, opinor, ad me illud idem fugitivum argentum tamen.* Sallustius: *In his erat Fulvius senatoris filius, quem retractum ex itinere parens necari jussit.*

ad. pag. 5 lin. 4 sq. *Et propter earum arctationem.*] Ego e libris antiquis *tractationem* lego. Tractatio enim est, cum

tanquam manu literæ tenentur, & huc & illuc transponuntur & trajiciuntur. Itaque literarum tractatio, est earum trajectio & transpositio. Sic Cicero scribit, materiam in verbis esse, tractationem in collocatione verborum. Ut enim verba optime collocentur, a nobis tanquam manu tractantur, & aliis atque aliis locis collocantur, ut jucunda sit & lenis eorum compositio.

ead. lin. 20. *Quartus ubi est aditus, & initia regis.*] Qui ad quartum, ait, gradum pervenerit, is rex fuerit, & plane modis omnibus rem absolverit. Tale est illud Horatianum:

——— *rex eris, ajunt, si recte facies.*

Ausonius:

Qui recte faciet, qui non dominatur, erit rex.

Sic victor etiam dicitur, qui aliquid perfecit & absolvit. Virgilius:

——— *victorque virûm volitare per ora.*

Iterum:

Illi victor ego & Phrygio conspectus in ostro.

ead. lin. 23. *Quod si summum gradum non attigero, tamen secundum non præteribo.*] Lego: — *tamen, secundum præteribo.* Infitiantis enim particula delenda est. Se enim profitetur ultra secundum gradum perrecturum, cum ad Cleanthis philosophi lucernam lucubrarit, non tantum Aristophanis grammatici.

ead. lin. 26. *Nolui præterire eos.*] Lego ex antiquo libro: *Volui præterire eos.* Significat enim, se ultra grammaticos (qui tantum ficta a poetis verba expediunt) progredi velle.

ad pag. 7. lin. 13. *Ab eo præco dicitur Locare, quoad usque id emitur.*] Homines in locandi explicatione scrupulus male urit, cum scribitur, *ab eo præco dicitur locare, quoad usque id emit.* Ego male coalescentia puto divellenda, legendumque censeo, *quoadusque idem it.*

ad pag. 37. lin. 7 sq. *Prius de induta aut amictu quæ sunt, tangam.*] Scribo: *Prius deinde indutui, tum amictui quæ sunt, tangam.* Induit, quod corpus ita integit, ut ei adhæreat, & comprehendat, ut Capitium, tunica, subucula. Amicit, quod corpori circumjicitur, ut Ricinium, pallium. Addunt Icti, quæ præcingunt, & alia, quorum verba sunt, *quæ induendi, præcingendi, amiciendi, insternendi, injiciendi, accubandive causa parata sunt.* Præcingunt, quæ ad medium corpus aut pectus hærent, nectuntur, ligantur, comprehendunt: ut Strophium, zona, castula. Nonius, *Castula*, inquit, *est palliolum præcinctui, quo nudæ infra papillas præcingebantur.*

Indutui autem & *amictui* veteres dicere solebant. Nonius: *Castula, est palliolum præcinctui.* Varro de Re rust. *Oleas esui optime condi.* Apulejus in Floridis: *Habebat indutui ad corpus tunicam interulam.* Rursum: *Habebat cinctui balteum.* Varro hoc loco, *ut veteres loquebantur, indutui comprehendit.*

ead. lin. 17. Ἄσβεστον.] Linum est, quod igni non consumitur, sed ardendo nitescit & mundatur. Plinius *vivum* appellat. Sed *asbeston* cum Varro dicit, lintea ex eo facta intelligit, atque adeo vestimenta. Plinius: *Inventum jam est etiam, quod ignibus non absumeretur. Vivum id vocant: ardentesque in focis conviviorum ex eo vidimus mappas, sordibus exustis splendescentes igni magis, quam possent aquis. Regum inde funebres tunicæ, corporis favillam a reliquo separant cinere. Nascitur in desertis adustisque sole Indiæ, ubi non cadunt imbres, inter diras serpentes: assuescitque vivere ardendo. rarum inventu, difficile textu propter brevitatem. Rufus de cetero color splendescit igni. Cum inventum est, æquat pretia excellentium margaritarum. Vocatur autem a Græcis asbestinum ex argumento naturæ.*

ibid. *Amictus est dictum Amjectum, id est, Circumjectum* &c.] Lego: *Amictui dictum, quod amjectum, id est, circumjectum. a quo etiam quod vestitu se involvunt, circumjectui appellant.* Amictui & circumjectui more veteri a Varrone dictum elegantissime censeo. Hujus elegantiæ ignari has exterminaverunt locutiones, & seculi nostri balbutiem invexerunt.

ead. lin. 23. *Ricinium.*] Varro *ricinium* quasi *rejicinium* dictum interpretatur: *pallia* quasi *parilia*, extrita syllaba *ri.*

ead. lin. 25. *Reclusum propter levitatem.*] Lego: *Re exclusum propter levitatem.* Vetus liber *reliculum* habet mendose: scribere fortasse voluit librarius scriba *ri rejiculum.*

ibid. Παραπηχεία, χλαμύς.] Recte legi arbitror: *Parapechia, chlamydes*, & per summam injuriam hinc ablegata arbitror.

pag. 38. lin. 1. *Pala a pangendo.*] Lego: *Pala a paugendo.* quidam libri, *a pangendo:* & fortasse sic veteres locuti sunt.

ead. lin. 2. *Rutrum ut ruitum, a ruendo.*] Lego: *Rutrum, ruitrum, a ruendo.*

ead. lin. 3. *Aratrum, quod aravit terram.*] Varronem fere conjicio scripsisse: *Aratrum, quod arruit terram*, id est, quod terram juxta ruit & jacit. Varro de Re rust. *Terra arruenda pulvinos fieri*; vel, ut scriptum in omnibus est, *aruit*, erit, a se ruit & amovet.

ead. lin. 4. *Vomit eo plus terram.*] Cum ait, *Vomit eo* &c. more suo loquitur, ut antea, *quod eo plus calda apponebatur.* *Plus* erat sæpius, hic magis & amplius.

ead. lin. 6. *Et in ea transversa regula, Manicula.*] Lego: *Et in ea transversa regula, manibula*, accommodate & apposite ad etymologiam Varronis, cum a manu bubulci dictam interpretetur.

ead. lin. 7. *Qui quasi est temo inter boves. Bura a bubus.*] Lego: *Qui quasi est temo inter boves, bura a bubus.* Interpuncta hanc notationem peremerant, quæ nunc, ut existimo, viget & floret.

ead. lin. 8. *Alii hoc a curvo Curvum appellant.*] Sunt, qui emendant, *Urvum appellant.* Urvum enim est aratri curvatura. Nos tamen nostras manus ab injuria hic continebimus.

ead. lin. 9. *Sub jugo medio Covum, quod bura extrema addita* &c.] Lego: *Sub jugo medio cavum, quod bura extrema oppilatur, vocatur coum a cavo.* Cavum, inquit Varro, in jugo medio, quod extremitate buræ & temonis indita ei & inserta oppletur & clauditur, (id enim est hoc loco oppilatur) coum vocatur. Pompejo tamen coum lorum est, quo temo buris cum jugo colligatur, a cohibendo dictum.

ead. lin. 13. *Ut eruant, quæ in terra sunt: Sirpices postea, S detrita, a quibusdam dicti. Rastelli, ut Irpices, serræ leves.*] Quid si scribendum? *Ut eruant, quæ in terra serpunt sirpices, postea S detrito. a quibus dicti rastelli, ut irpices, serræ leves.* Hæc fideliter sunt de libro vetere descripta: præterquam quod *serpunt* pro *sunt* feci, quod mihi videtur etymologia postulare. Scribunt etiam libri editi, *a quibusdam dicti.* potest tamen, *a quibus*, non incommode explicari & intelligi de his, quæ in terra serpunt, a quorum abrasu sunt rastelli dicti.

VERBORUM ETYMOLOGIÆ

PERPERAM A VARRONE TRADITÆ

hic veris suis originibus redduntur, aut prætermissæ explicantur

A JOS. SCALIGERO.

A

Æquor, ab æquus, ut lævor a lævis. Æquum, εἰκὸς. Dorice αἰκὸς. ut εἰ, αἰ. εἴτε, αἴκα.

Ævum. αἰών. ævitas ætas, æviternus æternus. hæc recte a Varrone.

Ambagio. am detritum ab ἀμφὶ, ut At, ab ἀτάρ.

Ancile. ἀγκύλον. Anculare quoque pro ministrare, ἀπὸ τῆς ἀγκύλης, ministratorio vase. Vide Athenæum.

Anfractum. Frago antiquum, ut, tago, pago: est lentare, flectere: παρὰ τὸ φράγειν, unde φράγνυμι. Quod significaret lentare, ut Lentare remum Virgilio: & Lentare arcum Statio. ab eo φράγειν & φράττειν dici cœptum, pro ambire. Et Latinum priscum Fraxare, obire, circuire vigilias, a frago: ut a Veho, vexo, Tago, taxo. Fraxatores ergo, custodes circumientes vigilias. Nam sunt duo genera eorum, ἱδρυμένοι, καὶ περίπολοι. Ab eadem origine Frequens, qui sæpius fraxaret vigilias: non a ferendo, ut Varro.

Angulus, ἀγκών.

Ara. Prius Asa, ut Papisius, Valesii. Asa, quæ postea ansa, ut tago, tango: pago, pango: mesa, mensa: tesus, tensus. Ita dicta, quod esset proprie Foculus, qui manu portabatur, ut ignitabulum: ἐσχάρα.

Area. ἅλως. l in r.

Arma, proprie sunt scuta, ut, *Tarpeja necata armis Sabi-*

norum, id eſt, ſcutis. & ancilia arma, id eſt ſcuta. Arma itaque ab armo, quia in eo geſtarentur. Armus commiſſura brachiorum ab humeris. Itaque ab ἁρμὸς dicta.

Arrabon. ἀῤῥαβὼν. Syriace Arabon, ab arab, τὸ ἐγγυᾶν.

Arvum. ab Aro. ut Parvum a Parum. Larva a Lara. Servus a Serus, ἔρος. a quo ἔριθος, & Eritudo Feſto, & εἴρερος Homero.

Arcerra. ab ad, & carrus. Id erit ad verbum, Epiredium, ſpuria & hibrida voce. Arcerra, pro adcerra, ut arvenire, arcedere: advenire, accedere. Niſi ſit eadem origo cum Arcirma.

Arca. Arcere eſt continere. ἀρκεῖν. unde & Arcus in fornice: & a ſimilitudine τὸ τόξον.

Angenora. Ita ſcribo, non Angerona. Angere, ἄγχειν, cohibere. Angina, ἀγχόνη. Quod ora digito angit, id eſt, cohibet, Angenora.

Audio. Audes, pro Aures. Antiquum.

Aurora. αὖρα. unde ἄγχαυρον. Ἄγχαυρον κνώσσοντες, ἀλευάμενοι φάος ἠοῦς, Apoll. Sic Aurum, αὐρός. Nam remanſit θησαυρός. Feſtus quoque teſtatur, vetus Græcum eſſe.

Auſculto. Auſes & Audes & Aures dicebant veteres. Auſis οὖς ὠτὸς Cretice & Tarentine αὖς αὐτός. Auſes.

Aveo. Purum putum Hebraicum. Quod vero dicimus ſalutantes, Ave, Pœnum eſt. Ut Pœnus ille apud Plautum. P Œ. *Avo.* M I. *Salutat.* Ad verbum eſt, vive. Nunc vero Pœni dicunt *Sſalem aalech*: ut Hebræi *Sſalom lecha.*

Autumnus, prius Auctumnus ab Augeo. ut Farctor, Fartor: Sarctor, Sartor: unde Sarcina. Auctor, Autor, unde Autumo: Auxilium ab Augeo. Auxilius nomen proprium, deminutivum Aullus, Ὀφέλτης. ut Pauxillus Paullus, Μικκύλος. Taxillus Tallus, prænomen Sabinorum. Feſtus.

Atrium. Puto αἴθριον.

Aſſum, merum: priſca vox.

B

Balteus. Tuſca vox. Chariſius: *Varro baltea dixit, & Tuſcum vocabulum ait eſſe, Rerum humanarum lib.* 18. Vides inconſtantiam Varronis.

Braſica. Ortulanum olus: πρασική. ut βασιλική, ὀμφαλικός. Baſilica, Umbilicus.

Bruma, a Brumo, Baccho. Βρόμιος Brumus: quod in id

tempus inciderent, in quo festa erant Bacchi. Ovid. de alteris Liberalibus:

Acceptus Geniis illa December habet.

C

Cacabus, κάκκαβος.

Calamistrum, καλαμίς. In Varrone vero legendum: *Calamistrum, quod calfactum in cinere, qui capillus ornetur.*

Calix. κύλιξ. Culigna, κυλίχνη.

Canis. κύων, κυνός.

Cano, Oscum. prius Casno.

Capitolium. ita vocabant, quam Græci ἄκραν. quod esset κορυφὴ τῆς πόλεως. At fabula capitis inventi excogitata ad gentis nobilitatem. Capitolium ergo Latina vox, ut Pergamum in Phrygia.

Capra. Turrenum. Hesychius.

Camelus. Syriace *Gemal*. At Hebraice *Gamal*.

Caseus. Oscum. Casus apud Oscos erat παλαιός. Unde Cascus, & Casnar. Caseus ergo lac vetustum, & coactum ac concretum. Inde Casies, Caries. Nisi sit a κάρυον. καρυώδη vocat Theophrastus, quæ sunt vermiculata.

Carcer. κάρχαρα, αἱ μάνδραι.

Carere. κείρω, ἔκαρον. Inde Carduus, & quod carminantium e manibus deteritur. Latini Floccum, Græci ἀκαρὲς vocant.

Cerno. κρίνω. unde Crinis, crimen.

Campus. καμπὸς, Syracusanum.

Cœlum. κοῖλον.

Colles. κολῶναι.

Concinne. συγκεκραμένως. Cinnus, ὁ κυκεών.

Columbus. κόλυμβος, παρὰ τὸ κολυμβᾷν: a gestu, quem faciunt eæ aves. Et columbaria in navi, per quæ videntur remi eminentes κολυμβᾷν.

Conus. κῶνος.

Ciliba. κιλλίβας, ἄντος. Alii malunt *Cibila*. sed tunc erit transpositum.

Capio. Syriace Cap volam significat.

Crepum. Cnepum. κνέφας.

Crusta, a Corio, quasi Corusta. ut a fide, fidustum: ab ango, angustum: augeo, augustum: unco, ungustum: verbustum, a veru. *Caro verbusta*. Plaut.

Cruor, sanguis concretus & congelatus. κρύος. Inde crudum.

Cervus. κεραὸς.

Circus. κίρκος, κρίκος. Etiam Circanea avis, ἡ κύκλῳ περιπετομένη. circumvaganea.

Cupedia. Caupedia. Claudus, cludus. Defraudare, defrudare. Laura, lura.

Cornu. κέρας. ut a κρέας carnem fecerunt. Nisi malis a Syriaco *Qarna.*

Cucumis. κικυός. Inde Cucuma, quod ventrem magnum habet.

Cura. Prius Cœra, & cœrare, curare. Cœra igitur παρὰ τὸν κόρον, κοῖρα, a satietate. hinc satagere, curare. unde κοίρανος.

Cerno. τὸ κρίνω. unde Cernuus, ὁ κατώβλεψ. Festus & Isidorus volunt, Cernuum esse genus calceamenti: decepti, ut puto, illo Lucilii versu, *Cernuus extemplo plantas convestit honestas.* Is enim est gestus calceantium se. Addam & ex Servio: *Cernuus equus*, inquit, *qui cadit in faciem, quasi in eam partem, qua cernimus. Unde & pueri, quos in ludis videmus, ea parte qua cernunt stantes, cernui vocantur: ut etiam Varro in libris Theatralibus docet.* quod de cernuo equo scribit, est is, qui Græce dicitur κατωμιστὴς, ὁ ἀπὸ τῶν ὤμων ἐπὶ τὴν γῆν ῥίπτων. De cernuis vero pueris, idem est cum illo, quod scribit Varro lib. 1 de Vita pop. Rom. *Etiam pelles*, inquit, *bubulas oleo perfusas percurrebant, ibique cernuabant: a quo ille versus vetus est in carminibus. Sibi pastores ludos faciunt coriis Consualia.*

Capis. καπίδη.

Ceres. Cereo, creo.

D

Damnum. δαπάνη, dapnum: ut ὕπνος, sopnus. Deinde damnum, somnus. Damnum est proprie τὸ ἀνάλωμα. Juvenal. *Nulla viri cura interea nec mentio fiet Damnorum.* δαπανῶν, καὶ ἀναλωμάτων. Idem: *Et multa crescit damnosa papyro.* δαπανηρὰ, δαπανώδης. Horatius: *Nos nisi damnose bibimus.* ἤγουν ἀφειδῶς. Addam & corollarium ex Suetonio de clar. gramm. *Pretia grammaticorum tanta, mercedesque tam magnæ, ut constet Lutatium Daphnidem, quem Lenæus Melissus per nominis cavillationem πανὸς ἄγημα dicit, CC millib. nummûm Q. Catulo emtum, ac brevi manumissum.* ego lego δαπάνης ἄγημα, vel potius δαπάνημα, ut sit allusum πρὸς τὸν δάφνιδιν, vel δαπανίδην.

Diana. prius Iana: vel, ut Pontificia indigitamenta habebant, Eiana: unde etiam Deiana hodie in veteribus monumentis visitur.

Dis. Ζεὺς, Δεύς. unde Διός.

Dico. δείκω.

Disco δάω, δάσκω. disco a in i, ut χάω, hio: χάσκω, hisco.

Doceo. δοκέω. unde δόγματα sapientum.

E

Elixum. lix aqua. unde liquor: ut a Lax, laqueus, lacio: inde lacero & lacinia. nisi a λακίδες.

F

Falces. Syriacum Palca.

Fallax. φῆλιξ. *Fallo*, φηλόω. a φάλλω, φαλῶ, ἔφηλα. Apollon. libro 3.

Fama. φήμη, φάμα.

Fari. φάω. unde φημί.

Fastus. etiam antiquis φαστὸς, a φάσκω.

Fatuus. φάτης. & Vates.

Faveo. ostendo benevolentiam. φαύω, unde πιφαύσκω. & Faustus, φαυστός.

Februum. vel a Fervendo, unde & Febris: quod, quæ deferbuerunt, pura sunt. vel a φοῖβος, φοιβερός: ut a φόβος, φοβερός.

Ferme. ἁρμοῖ. Vel a fere, ferme: ut gero, germen.

Ficedulæ. miliariæ συκαλίδες, κεγχρίδες.

Fiscina. Fiscus, ὀξύσχοινος. Etiam aluta. sed tunc puto a φάσκος, unde φασκώλιον, Pasceolus. φάσκος, fiscus. ut χάσκω, hisco: δάσκω, disco.

Flexum. φλεκτόν. ustulata enim prava fiunt. Etiam a φλέγω, flagro. unde Flagrum. hinc Horatius:

——— *urere flagris.*

Formido. Formus, sudans, calidus. sudare solent nonnulli tremore. ut a gravi, gravido: a rauco, raucido: sic a formo, formido.

Forum, quod foras. Foras a θύραζε, & foris θύρα: ut θὴρ, φὴρ, fera. θείω, unde θεῖον, fio, suffio. θυμιᾷν fumigare. σχοῖνος funis. Antiquitus sfœnis, ut σφόγγος sfungus, σφενδόνη sfunda. postea s periit. inde fœnire, nunc finire, σχοίνῳ μετρῆσαι.

Frater. φράτωρ. Confratres vocant vulgo τοὺς συμφράτορας.

Fremo. βρέμω.

Fruges. φρύγω. *Et torrere parant flammis, & frangere saxo.*

Fritinire. φρίττω, φριτιννύω. est titillationem corporis præ se ferre. Aliter frigere, ab eadem origine. Varro: *Commutari mentes, frigi animos eorum.* φρίσσειν. Afranius Privigno:

Occasione certa mulier involat
In collum, plorat, orat: occurrit nepos
Pausillus: neptis porro de lecto frigit.

Fordæ. φοράδες.

Flora. χλωρίς. ut Flos, χλόος.

G

Galea. γαλέη. ut κυνέη, ἰκτιδέη, λυκέη, &c.

Gallus. παρὰ τὸ κάλλος. κάλλος pala galli gallinacei.

Gaudium. γᾶδος. priscum, ut a πλαδὸς, unde πλαδαρὸς, plaudus. a πλατὺς plautus. a κλεὶς κλειδὸς, Dor. κλᾶδος, claudo. Nisi sit, ut κλείω claudo. sic a γαίω gaudeo. κύδεϊ γαίων.

Gemo. γέμω: plenus sum. *Gemit imposito sub pondere cymba.* & γόμος, πλήρωμα νηός. ut contra στένω gemo, & angustus sum.

Græcostasis. Græcorum statio. ut Fregellæ, Fregellanorum. Festus. Sic apud Martialem:

Bis vicine Nepos: nam tu quoque proxima Floræ
Incolis, & veteres tu quoque Ficelias.

Ibi Ficeliæ est statio Ficuleatum. Neque quidquam mutandum est, quod putat Domitius.

H

Hillum. Hir est minutum illud cavum in media vola. Ab eo ὑποκοριστικὸν Hillum. Cum vellent ostendere parvum modum rei, puta aquæ, aut similium, ne hillum quidem, dicebant, ostendentes volam manus.

Honor. veteres Onor scribebant. Est a prisco ὄνη, unde ὀνίνημι. ut ab ὠνὴ factum ὠνεῖσθαι. At onus verisimile esse ab ea origine: unde fluxit ὄνος Græcorum, qui ab aliqua ratione ærumnosum illud animal ita vocarint.

Horreum. quod ὡραῖα omnes fructus, atque adeo proventum omnem ita vocarent. Galen.

Humus, χαμαί. Humilis, χαμαλὸς, unde χθαμαλὸς, ut χεσὶ, unde χθὲς, Hesi, postea heri. χερσὶ, ut προσὶ, χ in h. ut χάω hio, &c.

I

Infulæ. infilare, amicire. Filameum, post Flameum, amiculum, &c.

Interamna. διπόταμος πόλις, ut διθάλασσος Κόρινθος. *Bimarisque Corinthi,* Horat. δίθυρον γραμματίδιον, τὸ δίπτυχον. Hesych. *Bipatens pugillar,* Auson.

Irpices. ἄρπιξ, κος. Euripid. Cyclope.

Irundo. quod veteribus helundo, a χελιδών. χ in *h*, ut supra. ea est vera etymologia.

Jurgo. declinatum a Jus: ut a per, pergo: tero, tergo: mare, mergo, τὸ καταποντίζω. Sic a μωρὸς, murgiso. cor, corgo, κηρόθι, κηρόθεν. Sic a λαῦρος, unde Lura, largus: a παῦρος, parcus. σπείρω, spargo. susum, surgo.

L

Lacus. λάκκος.

Lætus. λαιτὸς. Ita vocabant, qui cum corona publice vitulabant λᾶος, λαιτός. Deinde λητός. unde λήτειρα.

Lautolæ, Latine, quæ Græci λουτρά. Nam balneum Græcum est. Dicebantur & Albulæ. Lautolæ autem vocatus ille locus Romæ, ab ea fabula, quam narrat Janus apud Ovidium:

Sumque repentinas ejaculatus aquas, &c.

Lignum, a lego: ut a tego, tignum: rego, regnum: μέγας, magnus: στέγω, στεγνόν. στίζω, signum, amisso ι: παχὺς, pinguis: λείχω, linguo, & lingua: ἔχις, anguis: δασὺς, densus.

Locus. λέχω jaceo, antiquum: unde λέλοχα, λόχος. ubi quis situs est.

Loqui. λόγος.

Lupercus. cognomen Fauni, λύκιος.

Lucumo. Tuscum, & tamen origo Græca. Nam in Latio Lucomones ii sunt, qui in Arcadia λυκάονες.

Lustrum. ut flustrum, malacia maris.

Lucrum. a luo. Nisi sit eadem origo cum lucare. Quod lucrum captabatur e lucis, vocabant Lucar: sicut quod ex sacrorum ærruscationibus, Extar.

Lutra. λουτρίς. unde & ἐνυδρὶς, eadem.

Lux. λύκη. unde λυκόφως.

Ligo. λίγξ. ἐργαλεῖόν τι. vel quod terra λίγξ. Clemens Alexandrinus.

M

Malva. μαλάχη.

Macer. μακρός. quod macri longi sint: ut tenuis παρὰ τὸ τείνεσθαι.

Mars. Sabinum.

Mendum. a minus, ut a manus mando παρεγχυῶ. a mendo Mendicus, cui deest aliquid: nam mendum proprie defectus. Itaque qui minus, quam opus est, dicit, is veritatem imminuit, diciturque mendax. Sic Mendicum vocabant minus velum, quod in prora ponitur. Græce ὁ ἀρτέμων. Aliter τέρθρον. Et locus, ubi proreta speculatur scopulos in mari, dicitur τερθρωτήρ. Statius in Propemptico: *Sint quibus exploret rupes gravis arte Molortus.* ἀναμφισβήτως *lego:*

Sint quibus exploret rupes maris artemo Locrus.

Locrum vocat, quia Locrenses Opuntii, populi maritimi, nauticæ rei periti fuerunt; vel

——— *artemo tortus.*

At nescio quid nugati sunt nonnulli de molortho, tanquam μόλορθρον esset perpendiculum. Et, ut puto, qui hoc annotarunt, hunc locum Statii auctorem videntur habuisse. nam in nullo veterum exstat, quod sciam.

Mens. ut a γένος, gens, a φάρος, pars: sic a μένος, mens.

Mereor. μείρω. quod distribuitur merces.

Metuo. μέθω antiquum, unde μέμοθα, μόθος. sic a πέθω obsoleto, Peto nostrum. a quo πέποθα, πόθος. sic antiquum δέλω, unde δέλεαρ, peperit δέδολα, δόλος, Dolus. Sic etiam μέδω, unde μέδιμνος. μέμοδα, μόδος, modus. inde Modius. A Syriaco, *Mad* & *Madad.*

Mitra, Syriacum, διάδημα Græcum, Vitta Latinum, idem significant in sua lingua, nempe vinculum.

Minerva. prius Menerva. Menervare erat monere. Unde promenervat, monet in Saliari carmine. Menere est monere: & meniscor. ut apo, apiscor: fruor, fruiscor, a quo composita comminisci, reminisci.

Moneo. prius meneo.

Moereo. a μοῖρα. quod pro dolore τροπικῶς sumitur.

Murus. prius moerus, a μοῖρα, quod quisque pro parte sua eos servaret. Hoc docet Lucil. cum ait, *Moenu' tamen fungi, ac moeros servare potessint.* Item adsignificat & Moenia, quod partes officii cujusque significat, quasi Mœria dicta. postea munia, *œ* in *u.* ut pœnire, punire: ut φοῖβος, pubes. ἔθω, ἔοιθα, unde εἴωθα factum, ut ab εἴκω, ἔοικα. ab illo ἔοιθα igitur, oitor & oisus: utor, usus. ut μοῖσα, μοῦσα, τύπτοισα, τύπτουσα, &c.

Multa. oscum. desinat ineptire Varro. a quo multus: quod numerando multa æstimaretur. & Multare in auctionibus, τὸ πλειστηριάζειν. Plautus Sticho: *Quam multas tecum miserias multaverim*.

Murmuro. μορμύρω.

N

Narro. Antiquitus Gnaro, a gnarus. unde Gnarigo apud Festum, & Dignorare apud eundem. Omnia παρὰ τὸ γνωρίζειν. sic Gnascor, & Gnatus, παρὰ τὸ γενάω, γενάσκω. ut a γινόω, γινώσκω, gnosco, gnotus.

Neptunus. Tuscum, ut Volcanus.

Nonæ. ut a Novem, nonus: sic a nono, Nonæ: ut νεομηνία Græcorum. Et *Chadass* Hebræorum, id est, nonus.

Nuntius. plane Syracusana vox. ut ab ἓν ἑνὸς, οὐγκία, sic a νέος, νούγκιος Siculi declinarunt.

Nux. Syriacum *Luz*. *L* in *N*, ut Lympha, Nympha.

O

Ocrea. ὀκρυόεις.

Odor. ὄζω, ὄδωδα, odor. ut φράζω, considero, πέφραδα, φράδων, prudens. Ab eadem mente olere, *d* in *l*: ut dacrumæ, lacrumæ: ἄδακρυς, alacer.

Olus. oleo, cresco, quod translata in ortum, ex agrestibus culta fiunt. quare ab eo dicta λάχανα, παρὰ τὸ λαχαίνειν.

Ops. Dea. ὦπίς. Hesych. Vel ὄπις, unde ὀπίζεσθαι, venerari, colere: sicut venerari a Venere.

Opto. proprie est eligere, considerare: ut, *pars optare locum*: eligere. Et optio, electus, ab ὄπτω Græco, video, considero. Opus vero est ab ἕπω facio, administro. unde δίοπος, qui aliquid facit, administrat.

Oriens. ὄρω, orior. unde ὄρνυμι.

P

Pala. prius paxilla. ut axilla, ala: paxillus, palus, pistillus, pilus.

Palatium. φαλάντιον. Ita vocabant summa juga veteres Latini & Græci. unde Falæ, & Falantum Hetruscis erat cælum.

Palus. forsan a πηλός.

Pasco. Varro nescio quid nugatur. Alii a βόσκω, non male. Ego a πάω πάσκω. unde etiam πῶϋ, Grex.

Panis. Vocabulum magnæ Græciæ. Athen.

Pater. quod per eum pateat semen. Ἄπολλον ἀποτρόπαιε; quæ invidia est deducere a πατήρ;

Pavo. ταὼς, τάϝος Æolice. Pavo, *t*, in *p*, ut στάχυς, spica: & τίς, Osce, pis. τί pit. & pitpit, quidquid. τέσσαρες, πίσυρες, πέτορες. Osce petora, unde petoritum, quatuor rotarum. Latini *p*, in *q*, aut *c*. pit, quid. pitpit, quidquid. petora quatuor. πέμπε pro πέντε, quinque. πότος; quotus. ἕπομαι, sequor. ἵππος, equus. λίπω, liquo. unde linquo. & contra: ut λύκος, lupus.

Pauper, a παῦρος, prima reduplicata. ut populus, a πολύς. susurrus, a σύρος, unde σύριγξ. Cacula, a cala, ligno. Lucil. *Scinde puer calam, ut caleas.* Propero, a περῶ. Nisi sit προπερῶ, aut προπορεύομαι: aut potius a προπρὸ, quæ reduplicatio notat celeritatem. Sic a Curvus, cucurbita. a *tor* Syriaco & Pœnico, turtur. a far, furfur. Mars, Mamers.

Pavor. φόβος. unde περιστερὰ, φὰψ φαβὸς, παρὰ τὸ φοβεῖσθαι.

Pecunia, a pecu, quod omnis veterum substantia in pecuaria. Sic Græci πρόβατα a proventu. πρόβασις Homero, proventus: quod eorum copia in pecu.

Pecudes, ποκάδες.

Pelvis. πέλυς. ut parum, parvus, &c.

Perdix, παρὰ τὸ πέρδειν. Eum enim sonum edit. unde & κακαβίζειν quoque dicitur, & κάκκη fœtor. unde Cacare. Hebræi *Quore*, id est, κλητής. quod vocet pullos.

Peregrinus. peregre. & peragrare, ἀποδημεῖν.

Pistor, a pinsendo. Pinsere, vel, ut veteres dicebant, pisere, πτίσσειν. T perit, ut πτέρνη, perna. πτεινὸς, Æolice πτέννος, a πετεεινὸς, penna, sic πιστὴρ, ὁ ληνὸς, amittit τ, a πτίσσειν. A quo πιστικὴ νάρδος in Evangelio, nardus expressa & contusa in liquorem, & unguentum: quod spicatum dicebatur, si ex spica exprimeretur: foliatum, si ex foliis. *At mea me libram foliati poscat amica.*

Plaustrum. a palando, quod extendere significat: quasi palaustrum: ut plancæ, quæ prius palancæ. Palancæ, seu palangæ (ut id quoque explicemus) sunt, quas Græci φάλαγγας vocant, quibus subducuntur naves. Varro de Vita pop. Ro. lib. 4: *Cum Pœnus obviam venisset nostris, & quosdam cepisset, crudelissime pro palangis, carinis subjecerat.* relatum id ab Appiano in Lybicis: Τοὺς αἰχμαλώτους ἡμῶν, τοὺς μὲν εἰς τάφρους καὶ ποταμοὺς ἐμβάλλοντες, ὡς γεφύραις ἐπέβαινον· τοὺς δὲ τοῖς ἐλέφασιν ὑπέβαλλον. Et in Hannibale: Ἔστι δὲ

οὓς ὑπ' ὀργῆς ἀνῄρει, καὶ τοῖς σώμασι τὸν ποταμὸν ἐγεφύρου, καὶ ἕτερα.

Pœna, ποινή. a πόνος, ut πνόος, πνοιή. χλόος, χλόη. μόρος, μοῖρα, &c.

Perna. πτέρνη.

Porca. Nonnulli a πρασία. a in o. ut porrus, a πάῤῥος antiquo, ex quo πάρσος, & πράσος. ut πόῤῥω, πόρσω, πρόσω. a quo porro, & prorsus, ut prorsi limites. Et prorsa oratio, deinde prosa, ut rursum, rusum, sursum, susum: prorsum, prosum, Afranius.

Præmium. a præ, & emo, accipio. demo contrarium accipio.

Pratum. Dorice πρατιὰ, a πρασιά.

Pretium, a procando. Procare a πρὸξ προκὸς, unde προίξ.

Pecto. πέκω, πέκτω. ut τέκω, τέκτω. πλέκω, πλέκτω, plecto.

Proserpina. prius Preserpina a Περσεφόνη. Nam fere quæ in *o* nunc dicimus, per *e* enuntiabant.

R

Rapum, ῥάπυς. inde ῥάφανος.

Raudus, & rudis virga, ἡ ῥάβδος. eadem origine.

Rete. Retæ τὰ ῥωπήια, quæ impediunt euntes, aut quæ sunt in fluviis. Ita τὸ δίκτυον, quia implicat, quæ in eo incidunt.

Rica. ῥέκος, ῥεῖκος. Ricinium.

Robigo. Quia coloris robi. Robum τὸ πυῤῥὸν vocabant, seu rutilum.

Rura. ἄρουρα. ἀμέλγω, mulgeo. Nam rus decurtatum a rure: ut alia omnia similia.

S

Saturnus. Tuscum, vel Syriacum. Aut σάτυρος. Aut ut a λιγυρὸν, λιγυρῖνος: sic σάτυρος σατυρῖνος. Saturnus. ut Volturrenus, Volturnus. Quemadmodum Alumento, Catamitus, Melo, Polluces, corruperunt ex Laomedonte, Ganymede, Nilo, Polydeuces.

Sancus. sacer, sanguis, saxum, Tusca.

Scutum. σκύτος. ex corio enim.

Seculum. a sequendo. Est enim series temporum. ut Tegula, a tego. Regula, a rego.

Signum. στιγμὴ, τ periit, ut πτέρνη perna, πτίσσω, pinso, πτιστὴρ, pistor. Ut ergo a πυγμὴ pugna, sic a στιγμὴ signum.

Sirpo. a sero, id est, prehendo. ut a saro antiquo (quod a σαίρω) sarpo: unde sarmenta.

Sponte & *spondeo.* a σπονδή. Nam quod per sacrificia firmaretur, erat σπονδή. ab ea mente Sponte. Nam id non inviti facere debemus. Unde etiam Hebræis *Nediba* oblatio ἑκούσιος. sponte igitur a σπονδὴ, id est, libatio. Et liber ab eadem causa. Nam λοιβὴ, libatio. unde olim *loiber*, vel *læber* dicebatur. Festus.

Spica. στάχυς. Æolice σπάχυς, ut στάδιον, σπάδιον, spatium, ut contra σπουδὴ, studium.

T

Taurus. ταῦρος. Sed Græci a Syris *Thor*, & *Thaur.* quod Heb. *Sor.*

Termentarium. ita vocarunt linteum ποδηνεκές. Nam vestem ποδηνεκῆ & talarem Græci vocant τερμιόεντα.

Termini. τέρμονες. termen, terminis.

Templum, τέμενος.

Tera. δαίρα. ut δὰς, δᾶδα, teda. δάσκια, tesca. *a* in *e*, ut δαὴρ, devir: nunc levir.

Tutulus. prius *Titulus* ὑποκοριστικῶς a Titus. τιτὸς a τίω, defendo, honoro.

Torus. quidquid rotundum. τείρω, τερῶ, τέτορα, τόρος. unde τορεύω, τορεύματα. Et τόρνος. Inde torqueo. Inde τόρμος, ut a φέρω φορμός. a κεῖρω, κορμός. a μοῖρα, μορμώ.

Trabes. τράφηξ, Lycophron. tamen Ennius trafax, vel, ut est apud Festum, trifax dicit, pro trabe, sude, vel conto:

Ut permaceret paries percussu' trifaci.

Tremo. τρέμω.

Turris. τύῤῥις. τύρσις. a Syriaco *Tur.* Id ab Hebræo *Tzur.*

Tubi. τύποι. quod cavi.

Turma. τόρμος. rotunditas. ut cohors: quia cohortes villaticæ rotundæ. Vide *Torus.*

V

Vallum. ὑποκοριστικῶς a vanno.

Vellera. στέμματα, a velando.

Vestis. ἕεστο, unde ἐσθής.

Venilia. a veniendo. ut εἰλήθυια παρὰ τὸ ἐλθεῖν. Sed diversæ sunt Deæ.

Udus. ὕδωρ. udor.

Venari. ſcrutari venas. Venæ ἶνες. Venatur, qui ſcrutatur & indagat aliquid.

Vetus. βουετής. βοῦ intendit.

Video. εἰδέω.

Via. οἶα. Apollon.

Vinum. οἶνος. ut οἶα via. οἶνος Hebraicum.

Vigil. ἀγαλλός. unde ἀγαλλιάω. α in ι. χάω hio, &c.

Vitis. quia lenta. vieo. flecto, ligo. a vi.

— *magna vi flexa domatur In burim.*

Vibices. ἴβυκες, στιγμαί. Heſych.

Viola. ὑποκοριστικῶς. nam ab ἴον.

Vis. ἶς. alii a βία.

Uligo. detritum ex udiligo. ut a vitia, vitiligo.

Umbilicus. ὀμφαλικὸς, ut, παιδικὰ pædicare. βασιλικὰ baſilica. πρασικὴ braſica.

Volcanus. Tuſcum.

Volo. Græcum.

Urbs. Urbare & orbare, eſt circulo circumſcribere, περιγράφειν. unde urbs, & orbis. Orbare ſeu Urbare Galli dicunt *cerner*, quaſi circinare. ab eo Seneca in Œdipo oculos vocat orbes, ut Sophocles, quem ſequitur, κύκλους. Et qui eos amiſit, dicitur orbus. Niſi ſit antiquum ὀρφὸς, ex quo ὀρφανός. quod ſine dubio verum eſt.

AUSONII POPMÆ
NOTÆ
IN FRAGMENTA VARRONIS.

AUSONII POPMÆ NOTÆ IN FRAGMENTA VARRONIS.

IN FRAGM. LIB. I. DE L. L.

Pagina 185.

AGGULUS, *aggens.*] P. Nigidius in Commentariis grammaticis: *Inter literam N, & C, & G est alia vis, ut in nomine Anguis, angaria, & ancora, & increpat, & incurrit, & ingenuus. in omnibus enim his non verum N, sed adulterinum ponitur, nam N non esse, lingua indicio est. nam si ea litera esset, lingua palatum tangeret.* Marius Victorinus de Orthographia: *Attius cum scriberet Anguis, Agguis ponebat.* Sic ergo scribendum in versu Atti Eriphyla:

Pallas bicorpor agguium spiras trahit.

In quo L. Ælius.] Hic est L. Ælius Stilo, magister Varronis; de quo nos ita lib. 2 de Claris Grammaticis: L. Ælius Lanuvinus fuit eques Rom. gente Ælia, in qua multi clari viri exstiterunt, cum reliquis omnibus virtutibus, tum patientia paupertatis maxime ornati. nam sex & decem Ælii cum conjugibus ac liberis unum in agro Vejente fundum possederunt, & Romæ unis ædibus habitarunt, plenis virtutum illis quidem, sed cælato auro argentoque vacuis. Pater hujus Lucii præconium fecit, & nihilominus traditur usus tunica lati clavi, quæ postea fuit senatorii ordinis insigne. unde Præconini cognomine celebris filius, sed doctrinæ & ingenii gloria longe clarior. Fuit enim eruditissimus & Græcis literis & Latinis, in philosophiaque veteri illa a Socrate orta ita doctus, ut post ejus obitum, qui eam traderet, nemo esset, nisi M. Terentius Varro, qui hanc Stoicorum disciplinam, & omnis antiquitatis scientiam, acceptam ab illo, auctamque per sese, pluribus & illustrioribus scriptis explicavit. Quamobrem L. Ælium præceptorem suum libentissime agnoscit, & hominem inprimis in literis Græcis exercitatum, & memoria sua literis ornatissi-

mum, appellat: ſicuti A. Gellius doctum virum illum vocat; & ætate Varronis doctiſſimum hominem civitatis: Suetonius autem in libello de illuſtribus Grammaticis, *Inſtruxerunt auxeruntque*, inquit, *ab omni parte Grammaticam L. Ælius Lanuvinus, generque Ælii, Servius Clodius, uterque eques Romanus, multique ac varii & in doctrina & in republica uſus.* Sed Ælius in republica optimatium partibus favit, tanto quidem ſtudio, ut & Q. Metellum Numidicum, damnatum, quod in legem Apulejam per vim latam jurare nollet, Smyrnam in exſilium comitatus ſit, & nobiliſſimis quibuſque orationes ſcripſerit, quas in ſenatu, vel judiciis, aut concionibus dicerent. unde præter illud Præconini cognomen, Stilonis quoque habuit. Uſus eſt autem peracuto illo quidem, & artis pleno genere dicendi, ſed exili, nec ſatis expedito atque profluenti: ut miretur Cicero, non modo Q. Pompejum Rufum illum adhibuiſſe ad conficiendas orationes, quibus ſe defendit, aut Q. Metellum orationes ejus in ſenatu dixiſſe; ſed etiam eloquentiſſimos homines C. Cottam orationem Pro lege Varia, Q. Cæpionem Defenſionem ſui contra T. Bætutium Barrum, ab illo ſcriptas, ſuo nomine edidiſſe. Fuerunt ipſius de Ratione vocabulorum libri duo, in quibus aliquot verborum antiquorum Græcorum, perinde atque eſſent Latina, cauſas reddidit falſas. *In quo*, inquit Varro, *non modo L. Ælii ingenium non reprehendo, ſed induſtriam laudo. Succeſſum enim fortuna, experientiam laus ſequitur.* De Proloquiis lib. 1, quem ſui admonendi magis, quam aliorum docendi gratia feciſſe videtur, ait Gellius. Explanatio carminum Saliariorum: ex qua pauca quædam gloſſemata veteres Grammatici adducunt. præter quæ exſtat præclarum illius de M. Plauto Comico judicium, *Muſas Plautino ſermone locuturas fuiſſe, ſi Latine loqui vellent.* Celebratur etiam jocus illius in Cavienſem quendam, qui ſignabat effigie pugnæ ejus, qua patrem ipſius Scipio Æmilianus ex provocatione interfecerat, *quidnam fuiſſe acturum eum, ſi Scipio a patre ejus interemtus eſſet.* Habuit filiam, quam in matrimonio locavit Servio Clodio, equiti Rom. cum quo ipſi & in republ. & in ſtudiis doctrinæ ſumma conſenſio fuit, manſitque, donec ille fraude intercepit librum ſoceri nondum editum, & ob hoc repudiatus (eſt enim valde improbum, alienos labores ſibi vindicare, præſertim ſub aliquo neceſſitudinis nomine, aut ſub ſimulatione officii) pudore ac tædio ſeceſſit ab urbe, ubi in podagræ morbum incidit: cujus impatiens, illitos veneno pedes

enecuit ita, ut usu illorum sensuque omni pariter & dolore postea caruerit.

Pagina 186.

Plerique ignorent Græcum.] Forte melius γραικὸν, & mox ποτέον, item λέποριν. Γραικὸς nomen antiquum, non ignoravit Callimachus, cum ita cecinit:

— *τὸ μὲν φυγάδων τὶς ἐνίποι Γραικός.*

& Lycophron: Γραικῶν ἄριστος ᾧ πάλαι τεύχει τάφοις. Romani vero hoc unum nomen usurparunt, licet ipsi Græci illud non agnoscerent, seque Ἕλληνες nuncuparent, ab Hellene Deucalionis & Pyrrhæ filio, qui præfuit Thessaliæ, maxime Phtiotidi. unde illa sola fuit appellata Ἑλλὰς, priusquam Attica, Peloponensus, & reliquæ vicinæ regiones in hoc nomen concessere, ut scribunt Thucydides, Aristoteles, & Strabo. De Putei & Leporis nominibus Græcis lib. 4, & de Re rust. lib. 3.

IN FRAGM. LIB. XIII.

Pagina 187.

Olivo & Osso.] Forte *Solido & Osso.* etsi aliquando suspicatus sum, Varronem scripsisse *Olympo & Ossa*, scilicet dici debuisse juxta analogiam, cum tamen sit in usu Ossa, sed pro his montium nominibus, Charisium alia nomina reposuisse: quo in genere ab antiquis grammaticis sæpe peccatum est.

IN LIB. II. AD MARCELLUM.

Pagina 189.

Semel minusne.] Ænigma incerti auctoris, quod ut exemplum jambici senarii Varro hic posuit. Eo significatur Terminus Deus, (non enim semel minus, non bis minus, sed utrumque horum, semel & bis minus, id est, ter minus) qui Jovi, Deorum regi, noluit loco cedere, dum Capitolium exaugураretur. Cat. lib. 1 Originum: *Fana in eo loco compluria fuerunt. ea exauguravit, præquam quod Termino fanum fuit. id nequitum exaugurari.*

IN LIB. II DE POEMATIS.

Pagina 192.

Nunc vides.] Veteres Romani ponebant ad principia convivii salem in mensa, quod in eo religionem quandam inesse putabant. Horatius:

Splendet in mensa tenui salinum.

Arnobius lib. 2: *Sacras facitis mensas salinorum appositu, & simulacris Deorum.* Sed & mel simul apponebant, ut convivæ illud vino miscerent, & mulsum sibi conficerent. Varro lib. 2 de Re rust. *Favus venit in altaria, & mel ad principia convivii, & in secundam mensam administratur.* Horatius:

Aufidius forti miscebat mella Falerno.

IN LIB. DE COMPOSITIONE SATYR.

Parrectatæ adsunt.] Parecte, παρέκτη, est pubertas. Varro in Satyris: *Sera parecte purgatum scito.* hinc Parectatus, qui ad pubertatis annos pervenit. *Mulcere caput*, est ungere & polire, ut in Satyris, *Capite permulso.* *Mulier Venus* est, quæ Veneris personam gerit in scena.

IN LIB. DE PROPRIETATE SCRIPTORUM.

Pagina 193.

Quin æs, stannum.] Vulgo legitur, *Quid est tanti.* — *Forma* hic est, in qua funditur æs, stannum, & omne id genus liquidum. Plin. lib. 36: *Exque iis formæ fiunt, in quibus æra funduntur.* Et formæ lapillorum, lib. 1. de Re rust. *Ex terra & lapillis compositis in formis.* Item: *Forma, in qua exprimitur caseus.* Columella lib. 7: *Deinde ubi formis, aut calathis exemtus est.*

IN LIB. II PLAUTINAR. QUÆSTIONUM.

Pagina 194.

Satyra est.] Satura est cibi genus, ex variis rebus conditum; & Satura lex, quæ uno rogatu multa simul comprehendit, dicta a copia rerum, & quasi saturitate. unde per saturam, est per congeriem, & promiscue conjunctis rebus pluribus. Sallustius Jugurtha: *Quasi per saturam sententiis exquisitis.* Charisius lib. 2: *Omnia in se capit, quasi collecta per saturam.* Ab hac autem Latina voce Diomedes & Isidorus inepte deducunt etymon Satyræ: quæ Græcorum inventum est, diciturque a Satyris & Faunis silvestribus, quos in illo poemate imitantur verborum licentia & dicacitate, ut in Arte poetica indicat Horatius.

IN LIBRUM INCERTUM.

Pagina 198.

Si te in libertatem.] Nonius hoc adducit ex Epist. Latinis;

ubi suspicor emendandum, *Varro Epist. L. Atinii:* ut alibi citatur, *Varro Epist. Julii Cæsaris.* Atinia gens plebeja, celebris duabus legibus: quarum altera vocatur Atinia de Trib. pleb. qua senatores facti sunt tribuni, iidemque dicendæ in senatu sententiæ jus acceperunt. Altera Atinia de Usucapione, quæ furtivarum rerum usucapionem inhibuit, nisi si in ejus, cui subreptæ essent, potestatem revertissent.

Pueros minutos vides.] Pueri minuti, & brevis staturæ, olim in deliciis. Suetonius Augusto: *Ludebat cum pueris minutis, quos facie & garrulitate amabiles undique conquirebat, præcipue Mauros & Syros.*

IN EPIST. AD JUL. CÆSAREM.

Convocat Ptolomæum &c.] Videtur legendum: *Cum vocat Ptolemæum κίναιδον, Λακωνικὸν πεταυριστὴν, Δίονα αὐλοποιόν.* Fortassis autem significat Ptolemæum Auletem, regem Ægypti, ab assentatore quopiam præpostere laudatum, ornatumque laudibus illaudatis. Nam is præter alia flagitia etiam choraulam exercuit, & adeo ea se jactavit, ut non pigeret eum certamina in regia celebrare; ad quæ & ipse cum aliis concertaturus prodibat, ut refert Strabo lib. 17, & alii. Laconicus petaurista est nobilis saltator vel mechanicus, ab eo quod Lacedæmonii inter alias exercitationes mirifice colebant saltus, & flexus corporis. Petaurista autem dicitur a petauro, id est, pertica sublimi, in quam mechanici isti contento saltu se subjiciebant: tum rotam impactam perticæ insistebant, vertebantque ita, ut alternatim nunc superne jacerent, nunc inferne penderent. Lucilius:

Sicut mechanici cum alto exsiluere petauro.

Manilius lib. 5 Astronom.

Corpora, quæ vario saliunt excussa petauro,
Alternosque cient motus, elatus & ille
Nunc jacet, atque hujus casu suspenditur ille.

Interdum eandem perticam saltu transmittebant, rota intacta. Martial. Epigr. 22:

Quam rota transmisso toties impacta petauro.

IN EPIST. JUL. CÆSARIS.

Attigit aures nuntius.] Ita loquitur Plautus Bacchidib. *Si a me tetigit nuntius.* Cicero ad Atticum lib. 13: *Ut scriberem tetigit aures nuntius.* Valer. Flacc. lib. 2:

——*vox attigit aures.*

IN EPIST. AD FABIUM.

Pagina 199.

Quod facie Saturorum.] Vulgo est, *Saturnorum f. f. quod maxima fiunt*, *i. i.* Sed loquitur, opinor, de personis quibusdam scenicis, quos ait facie similes Saturorum. hi sunt, qui Græca voce appellantur Pantomimi, Latine Saturi, a vario & omnigeno gestu, de quo Manilius lib. 5:

Nunc saturo gestu, referetque affatibus ora,
Et sua dicendo faciet; solusque per omnes
Ibit personas, & turbam reddet in uno.

Facie maxima; ut Pacuvius, *Facie procera virum.*

IN EPIST. AD FUFLUM.

Natali Fortis Fortunæ.] Natalis Dei Deæve erat is dies, quo templum ei fuerat dedicatum, ut VIII Kal. Jul. natalis Fortis Fortunæ, quod tunc huic Deæ ædes ab rege Servio Tullio in ripa Tiberis extra urbem dedicata, ut refert Varro lib. 5 de Lingua Latina. Ovid. lib. 6 Fastor.

Quam cito prætereunt Fortunæ Fortis honores,
Post septem luces Junius actus erit.
Ite Deam læti Fortem celebrate, Quirites,
In Tiberis ripa munera regis habet.

Sic Natalis Salutis Deæ apud Ciceronem lib. 4 ad Attic. *Idem natalis erat & Brundisinæ coloniæ, & tuæ vicinæ Salutis.*

Quintiporis Clodiani.] Notat poetam quendam comicum, de quo Satyra Bimargo: *Cum Quintipor Clodius tot comœdias sine ulla fecerit Musa.* Quintipor est Quinti puer aut servus, ut Caipor, Publipor, quod alibi notavi. Clodiani cognomen ob impotentiam mentis tribuebatur hominibus stolidis & vanis. Sallustius lib. 4 Historiar. *At Cn. Lentulus patritiæ gentis, collega ejus, cui cognomentum Clodiano fuit, perincertum stolidior, an vanior, legem de pecunia, quam Sulla emtoribus bonorum remiserat, exigenda promulgavit.* Loquitur de Cn. Cornelio Lentulo Cn. F. Clodiano, & collega ejus L. Gellio Poplicola, qui consules fuerunt A. U. C. DCLXXXI, & post biennium iidem censores lustrum fecerunt LXVIII. Quamquam fortassis huic Lentulo cognomen fuit Clodiano, quod a Clodia in Corneliam familiam adoptione transisset, quomodo Mamercus Æmilius Lepidus Livianus dictus, quod e gente Livia in Æmiliam adoptatus esset.

Forias ac poemata &c.] Melius, *forias ac proremata*. Foria est proluvies ventris, auctore Nonio; sed usurpatur hic μεταφορικῶς pro rebus nugatoriis, ut Affaniæ, Quisquiliæ, Campæ, quod postremum est in Truculento Plauti, *Campas dicis, abi, abi*. Proremata sunt prologia vel diverbia, quæ in orchestra scenici pronuntiabant, dum intus actus fabulæ componerentur, de quibus Livius lib. 7. Ea erant pleraque obscœna, vel protrita, & vulgaria, ut hoc: *O Fortuna, o Fors Fortuna, quantis commoditatibus hunc diem.* quo etiam utitur Terentius Phormione:

O Fortuna, o Fors Fortuna, quantis commoditatibus,
Quam subito hero meo Antiphoni, ope vestra onerastis hunc diem.

Gargarido, a verbo Græco γαργαίρω, quod est obstrepo, & jacto.

IN EPIST. AD MARULLUM.

Utrum meridie &c.] Obba est genus poculi majoris, quo in conviviis utebantur, cum se largius invitabant. Tertullianus: *Quid differt ab epulo Jovis silicernium? ab simpuvio obba? ab haruspice pollinctor.* Hinc ad obbam accedere, est copiosius bibere; quod alios fecisse in prandio meridiano, alios vesperi in cœna, ex hoc loco colligitur, & ex Suetonii Nerone: *Prandebatque ad satietatem, ut non temere super cœnam præter Matianum malum, & modicam in ampulla potiunculam sumeret.* Sed continentiores parce prandisse, cœnasse vero large, adhibitis convivis, auctor est Plutarchus lib. 8 Sympos. Horat. lib. 1 Sermon.

Pransus non avide, quantum interpellet inani
Ventre diem durare.

IN LIB. V. DISCIPLINARUM.

Pagina 202.

Ennius recte hoc &c.] Ennius lib. 8 Annal. *Quintus pater quartum fit consul.* hoc scripsit de Quinto Fabio Maximo patre, qui quartum consul, cum M. Claudio Marcello tertium, anno Urbis DXXXIX. qui ambo consules gladius & clypeus populi Rom. dicti sunt. Nam filius Q. Fabius Maximus, proximo anno DXL, T. Sempronii Gracchi Cos. collega fuit.

IN LIBRUM. VIII.

Manducata portulaca sitim &c.] Idem tradit Plinius lib. 20 de portulaca: *Cruditates sedat, vocemque firmat, & sitim arcet.*

IN LIB. DE GEOMETRIA.

Pagina 203.

Hujus libri fragmentum vetustissimum Langobardicis literis exaratum nobis communicavit vir doctus, summaque humanitate præditus, Joannes Arcerius; sed ita mutilum & corruptum, ut nihil, sane non multum, intersit, aut omnino periisse, aut ita lacerum superfuisse. Sic autem inscribitur: M. BARRONIS LIBELLUS DE GEOMETRIA AD RUFUM SILVIUM. tum sequitur:

A casa quæ p A nomen habet finis super p montem habent e sinistra parte aquam vivam significat p

B orientales partes XI B significat

B. Casa p B nomen habet, finis grandis habentes ante se, finis subjacet contra sextantem rivum significat finis circa se

C. Casa quæ P C nomen habet fines super se non habentes proximum venit in alia finis fontem habentes subtus flumini A indicat terminum, transit fluvium, transit vias multas, transit limitem ejus p ∞, transit labacrum significat colles rigora seq —. ris. & reliqua, quæ sequuntur per ordinem literarum, non minus perturbata.

IN LIB. I ANTIQUITATUM RERUM HUMANAR.

Pagina 204.

Ut habent Parii.] Memorantur gentes complures innoxiæ a serpentum morsu; sed aliæ alia ex causa. Marsi in Italia incantationibus frangebant noxium virus serpentum, de quibus Lucilius lib. 20:

Jam disrumpetur medius, tam ut Marsus colubros
Disrumpit cantu, venas cum extenderit omnes.

In insula Paro Ophiogenes contactu venena corpori extrahebant: in Africa Psylli ingenito odore virulento sopiebant serpentes, & tunc sine noxa venenum exsugebant. unde Helvius Cinna:

Somniculosam ut Pœnus aspidem Psyllus.

etsi Gellius hoc aliter accipit. De illis idem, quod Varro, referunt Solinus Polyhistore, Strabo lib. 13 Geographiæ, & Plin. lib. 6: *Crates Pergamenus, in Hellesponto circa Parium genus hominum fuisse, tradit, quos Ophiogenes vocat, serpentum ictus contactu levare solitos, & manu imposita venena extrahere cor-*

pori. & mox de Psyllis: *Horum corpori ingenitum fuit virus exitiale serpentibus, ut cujus odore sopirent eas.*

IN LIBRUM III.

Pagina 205.

Congerminati &c.] Legendum *congermaniti*, vel ipso Nonio auctore, qui hic observat verbum Congermanescere pro coalescere, conjungi, vel consociari. Quadrigarius Annalibus: *Facite exemplo eorum, ut vos cum illis congermanescere sciatur.* Apulej. lib. 2 Metamorph. *Jamque æmula libidine in amoris parilitatem congermanescenti mecum.* Sic Congenero dixit Attius Phœnissis:

Tibi congenerat generum affinitas.

IN LIBRUM VI.

Pagina 206.

Prærogativæ.] Populus Romanus in sex classes divisus fuit a Servio Tullio rege: classes in centum nonaginta tres centurias. Ex his una erat Prærogativa, quæ prima sorte educta suffragium ferebat centuriatis comitiis; ita dicta, quod prius rogabatur ab eo, qui comitia habebat, *Quid fieri vellent, juberentve.* Ceteræ appellabantur Jure vocatæ, quia omnes centuriæ habebant jus suffragii ferendi. Liv. lib. 27: *Galeria juniorum, quæ sorte prærogativa erat, Q. Fulvium consulem dixerat, eodemque Jure vocatæ inclinassent.* Cur autem Prærogativa centuria introducta fuerit, aliter quam Varro, tradit Verrius Flaccus: *Ut cum essent designati a prærogativis, in sermonem res veniret populi de dignis indignisve, & fierent ceteri diligentiores ad suffragia de his ferenda.*

IN LIBRUM VII.

Suffragat......] Totus hic locus videtur ita legi & suppleri posse: *Suffragatores dicebantur natu majores hi, qui vulgo in usu erant, & quo minus appareret juncta suffragia populi, quem quisque fieri vellet, notabant puncto apposito scriptis candidatorum hominum nominibus.* Varro putat, Suffragatores dictos, qui populi suffragia notabant puncto apposito candidatorum hominum nominibus. ita enim solebant puncto notare suffragia: unde Punctum tulisse dicebantur, qui tribuum suffragiis creati erant magistratus. Cicero pro Plancio: *Quot in ea tribu pun-*

cta tuleris. Sed enim dicuntur quoque Suffragatores, qui candidatis in petitione favebant, & populi suffragia precibus rogabant: quo munere fungebantur clari & præstantes in republ. viri. Valerius Maximus: *Cicerejus ut vidit, omnibus se centuriis Scipioni anteferri, templo descendit, abjectaque candida toga competitoris sui suffragatorem agere cœpit.* Plinius in Panegyrico: *Idem honoribus nostris suffragator in curia, in campo declarator exsisteres.*

IN LIBRUM XIII.

Pagina 207.

Athenienses autem &c.] Diei initium aliud alii fecerunt. Athenienses & Ægyptii solis occasum, quia nox die prior exstitit: id quod Homerum, Achillis scutum depingentem, allegorice indicasse, observavit Heraclides Ponticus. Babylonii contra ortum solis, ob id, quod totius diei naturalis illa sit potior pars. Umbri meridiem, maximamque solis altitudinem. quod etsi Varroni nimis absurdum videtur, tamen ab omnibus astrologis probatur, qui meridiei punctum pro diei principio usurpant; nimirum ut sint minores dierum naturalium inæqualitates: de quibus Ptolemæus Almagesti lib. 3. Romani mediam noctem, ut initium solaris cursus, & ascensionis.

IN LIBRUM XVI.

Pagina 208.

Mortuus est anno &c.] Gellius lib. 5 hæc recitat ex Annalibus Fabii Pictoris, unde Varro transcripsit; nisi sit memoriæ error aut Gellii, aut Nonii, qui Varroni tribuit. Sunt autem duo fragmenta: *Mortuus est anno duo & vicesimo: Rex fuit anno duo & vicesimo.* quod postremum de Romulo accipio, qui anno ætatis XXII regem primus egit.

IN LIBRUM XVIII.

Ad Romuli initium &c.] Ab Ogygis regis Atticæ Eleusinæ temporibus, scilicet: a quibus ad primam Olympiadem annos plus paulo quam mille numerant Hellanicus, Philochorus, & alii, auctore Eusebio. Quos sequitur Orosius, qui, cataclysmon Ogygis mille & quadraginta annis Romam conditam præcessisse, tradit. Quamquam ipse Varro initio libri tertii de Re rust. videtur affirmare, trecentos supra mille annos

inter Ogygis & Romuli ætatem intercessisse: *Thebæ, quæ ante cataclysmon Ogygi conditæ dicuntur, eæ tamen circiter duo millia annorum & centum sunt.* Scripsit autem Varro ista anno ab U. C. septingentesimo decimo septimo, ut ibidem dixi.

Fuisse Vettium &c.] Non omnino vanus vates fuit iste Vettius, etsi ipsa auguralis disciplina plena vanitatis & præstigiarum. Nam cum hæc prædiceret circa annum Urbis septingentesimum, (tunc enim Varro hæc scripsit) anno octingentesimo vicesimo primo trium Imperatorum, Galbæ, Othonis, Vitellii tumultuaria cæde, incertum diu & quasi vagum imperium fuit. stetit tamen, mansitque incolume, usque in annum Urbis millesimum ducentesimum octavum. tunc Vandali, duce Genserico, dominam urbem omnibus opibus spoliarunt, & direptam reliquerunt, imperialibus ornamentis & insignibus secum in Africam translatis. ita Romani imperii majestas concidit post duodecim secula, quæ Vettius augur judicavit portendi duodecim vulturiis, qui in auspicio condendæ Urbis Romulo addixerunt.

IN LIBRUM XX.

Decemviri cum &c.] Decemviri legem tulerunt de nexis, cujus particulam ita conceptam fuisse, ex Gellio colligimus: TERTIEIS NONDINEIS CONTINOEIS ENDO COMITIUM PROCITATO QUANTEIQUE STLIS ÆSTUMATA SIET PRÆDICATO. Eam legem Varro fortassis ita interpretatur: Decemviros voluisse duos nexos & addictos uni creditori, non simul, sed quemque eorum separatim trinis nundinis continuis ad prætorem in comitium produci, quantæque pecuniæ judicatus esset, prædicari.

Præterquam duobus &c.] Nonius hic observat vocem *Balbe* pro obscure: quæ cum in his verbis non exstet, apparet, locum esse mutilum & corruptum. Videndum, an legi possit: *Præterquam, duodecim in primis, est scriptum balbe, spectare velit potius quam voluntatem, debeam non catum d. m.* Si magistratus in judicando, inquit, potius spectare velit verba legum obscura, maxime XII Tab. quam mentem ac voluntatem legumlatorum, omnino non exit ille prudens magistratus. Nam, ut ait Celsus lib. 27 Digest. *Scire leges, non est verba earum tenere, sed vim ac potestatem.* & lib. 29: *Benignius leges interpretandæ sunt, quo voluntas earum conservetur.* Huc pertinet Sex. Cæcilii de legibus XII Tab. dissertatio apud Gellium lib. 20.

Pagina 210.

Velut accensiti.] Proximum fragmentum pertinet ad etymon Censorum, cum quo mihi videtur hoc conjungendum: *Censores ut arbitri populi appellati, quod verbum Censeo & Arbitror idem poterat ac valebat, ut Accensi dicti, quod essent ad arbitrium magistratus, & ob id ad necessarias res sæpius acciientur.* lib. 6 de Lingua Lat. *Accensos ministratores Cato scribit esse. potest id ab arbitrio. nam tendit ad arbitrium ejus, cujus minister.* Alioquin si ab acciendo Accensos deducit, ut lib. 4 de Lingua Lat. hic legendum est, *velut arcessiti;* quod non placet.

In conviviis.] In conviviis talorum jactu unus aliquis creabatur, qui præscriberet modum & leges bibendi. Hic Magister vulgo dicebatur. Varr. lib. 4 de L. L. *In publico convivio etiam nunc antiquitatis retinendæ causa, cum magistri fiunt, potio circumfertur.* Lampridius Heliogabalo: *Præfectum urbis sæpe post cœnam ad potandum vocabat, adhibitis & præfectis prætorio, ita ut si recusarent, magistri eos cogerent.* Arbiter Horatio lib. 2 Carmin.

Quem Venus arbitrum Dicet bibendi?

Dictator & Strategus Plauto in Persa:

Do hanc tibi florentem florenti, tu sic eris Dictatrix nobis.

Et:

Strategum te facio huic convivio.

Modimperator Varroni, a modo imperando.

IN LIBRUM XXI.

Pagina 211.

Deligata ad patibulos.] Legendum *Deligate: ad p. d.* quod de servili supplicio intelligo, & illud *Deligate*, domini vox est, ad quam noxii servi ad patibulos deligantur & circumferuntur, cruci defiguntur. Patibulum est lignum transversum, ad quod soliti dispessis manibus alligari, atque ita circumduci: mox tolli in crucem. Plautus Carbonaria: *Patibulum feram per urbem: deinde affigar cruci.* Seneca: *Alii brachia patibulo explicuerunt.* Nam liberi deligabantur ad palum, & verberibus cæsi, securi percutiebantur. Liv. lib. 2: *Stabant deligati ad palum nobilissimi juvenes.* idem lib. 36: *Ad palum deligatus lacerato virgis tergo cervicem securi Romanæ subjiciam.*

IN LIBRUM XXV.

Ego σπάρτα apud Homerum.] Homerus:

Καὶ δὴ δοῦρα σέσηπε νεῶν καὶ σπάρτα λέλυνται.

Ubi σπάρτα pro vinculis navis posuisse videtur. nam antiqui faciebant sutiles naves, ut Virgilius cymbam Charontis. & Græci quidem lino & cannabo, ceterisque sativis rebus, non sparto, naves suebant. Itaque Varro putat, σπάρτα apud Homerum non plus significare spartum herbam, quam Spartos, quos fabulantur sparsis a Cadmo rege in terram dentibus draconis, repente viros armatos exstitisse: de quibus Palæphatus, Hyginus, & alii. Varroni consentit Plinius lib. 19, ubi multa de sparto.

EX INCERTO RERUM HUMANARUM LIBRO.

Pagina 213.

Qua murum fieri &c.] Est versus Ennii, ni fallor, ex lib. 1 Annal. qui cum aliis ita connecti potest:

Qua murum fieri voluit urgentur in unum.
Quom sævo obsidio magnum Titana premebat
Juppiter ut, muro fretus magis, quam de manus impe.

Quibus versibus Ennius fortassis hoc voluit dicere: Romulum, cum initio populis finitimis inferior viribus esset, suos unum in locum conduxisse, & Palatinum montem saxo munivisse in speciem quadratam; sicut olim fecerat Juppiter, cum obsidione premeret Titana, parum fretus imbella Cretensium multitudine.

IN LIB. I ANTIQUITATUM RERUM DIVIN.

Pagina 214.

Et religiones & castus.] Nonius putat, Varronem Castus masculino genere dixisse, pro Castitas: quod mihi non videtur. Castus est purificatio, sanctimonia, ut cum abstinebant a cibo & Venere, & aqua pura lavabantur, operaturi iis sacris, quæ a Græcis accepta, vocabantur Græca sacra, ut erant Isidis, Cereris, Cybeles. unde In Casto Deæ esse dicebantur, cum sic puriter faciebant. Tibullus de sacris Isidis:

Quidve pie dum sacra colis, pureque lavari
Te memini, & puro secubuisse toro.

Tertullianus in libro de Jejunio: *Casto Isidis & Cybeles eas adæquas.* Arnobius lib. 5: *Quid temperatus fabæ alimonio panis, cui rei dedistis nomen Castus?* Varro Castum vocat Pu-

ritiam, cum ait: *Quæ puritia est i. p.* id est, Castus non frequentantur & polluti sunt.

IN LIBRUM III.

Pagina 215.

L. Scipio cum &c.] Antiqui libri, *ut vinea.* unde legi possset, *sub linea*, intellige *veste;* vel, *sutum linea.* Est autem linea funiculus, in quo inseruntur margaritæ, aurum factum, & ornamenti causa gestantur in collo. Scævola lib. 5 Responsor. *Lineam margaritarum triginta quinque legavit.* Idem lib. 17 Digest. *Lineas duas ex margaritis.* Hieronymus in vita Pauli eremitæ: *Uno filo villarum insuunt pretia.*

IN LIBRUM III DE GENTE POPULI ROM.

Pagina 235.

Plautus Vesperuginem.] Plautus Aulularia:

Neque Jugulæ, neque Vesperugo, neque Vergiliæ occidunt.

Homerus Odyssæa:

Ἕσπερος ὃς κάλλιστος ἐν οὐρανῷ ἵσταται ἀστήρ.

Castor fuit historicus Græcus antiquissimus, qui Chronica scripsit, & ab Eusebio & Suida nominatur. meminit & Ausonius:

Quod Castor cunctis de regibus ambiguis.

IN LIBRUM DE VITA POPULI ROM.

Pagina 236.

Neque ille Callicles.] Calliclem hunc inter minoris picturæ celebres artifices refert Plin. lib. 35, ubi de Euphranore quoque meminit. Neque ille Callicles, inquit, tabellis quaternûm digitorum celebris cum esset factus, tamen ascendere potuit ad Euphranoris gloriam: neque ego his quatuor libris de Vita populi Rom. possum me æquare magnis historicis, atque adeo tibi, Pomponi Attice, qui omnem antiquitatem complexus es in eo volumine, quod de magistratibus fecisti. Cornelius Nepos in vita Attici: *Moris etiam majorum summus imitator fuit, antiquitatisque amator, quam adeo diligenter habuit cognitam, ut eam totam in eo volumine exposuerit, quo magistratus ornavit. nulla enim lex, neque pax, neque bellum, neque res illustris est populi Rom. quæ non in eo suo tempore sit notata.*

Neque enim obsonium.] Quemadmodum obsonium, inquit,

tota cœna ex diversis rebus exceptum, cum unam in sportam est conjectum, vix dignosci & secerni potest: ita res tam multæ, tamque variæ, ab ultima antiquitate repetitæ, si uno loco generatim & confuse tradantur, non possunt commode percipi. Itaque convenit discretis libris agere. Primum de re familiari ab patribus, secundo de victuis consuetudine primigenia, tertio de disciplinis priscis necessariis vitæ: ad extremum de causis & eventis bellorum populi Rom.

Pagina 237.

Aut bovem aut &c.] Loquitur de ære signato; de quo idem refert Plinius lib. 33: *Servius rex primus signavit æs. antea rudi usos Romæ Timæus tradit. signatum est nota pecudum. unde & Pecunia appellata.* Plutarchus quoque in Poplicola tradit, vetustissimos nummos bove, vel ove, vel sue fuisse signatos. Id genus Suetonius in Augusto vocat Nummos regios, id est, a regibus Romanis signatos. Mox infra pro *solere resonare*, lege *solere resignare*, vel, *donare*. & pro *sacciperione cum*, lege *sacciperio novo cum*.

Segestria appellabant.] Segestre dixit Lucilius lib. 15:

Penula si quæris, canterius, servus, segestre,
Utilior mihi, quam Sapiens.

& Suetonius Augusto: *Segestri vel lodicula involutus.* Erat autem teges sive involucrum, quod primum fiebat ex stramentis, sive segetibus, a quibus Varro dictum putat: postea e pellibus. unde Festus ait, Segestria vocari pelles nauticas, quas Græci δέρις appellant.

Pagina 239.

Lepistæ etiam nunc.] Varr. lib. 4 de Lingua Lat. Lepistam nominat vas vinarium in ædibus sacris Sabinis in Deorum mensa positum. Festus Lepistam refert inter vasa aquaria. Est, opinor, a Græco λεπάστη, cujus Athenæus & Pollux meminerunt.

Ubi erat vinum.] Videndum an legi debeat, *aut lepista, aut galeola, aut sinum;* scilicet apponebatur ministrando vino. Nam Priscianus hic observat, *Sinum nominandi casu.* Galeola & sinum vasa vinaria, a similitudine galeæ & sinus ita dicta; quibus in mensa ministrabatur vinum. in eorum locum successit Acratophoron, Græcum nomen, quod significat urceolum. Varr. lib. 1 de Re rust. *Ministrat acratophoro vinum.*

Cicero lib. 3 de Finib. *Ne hoc ephippiis & acratophoris potius, quam proegmenis & apoproegmenis concedatur.*

Mori longi.] Legendum, *Fori longi.* sic vocat canales, quorum usus in torculari ad cupas, ut in agris sunt Fori, sulci angusti & oblongi. Columella:

Augustosque foros adverso limite ducens.

Cocula, quæ coquebat &c.] Coci initio nominati, qui faciebant panem, & coquebant primum sub cinere in foco, postea in furno. Cato de pane: *In foco calido sub testu coquito leniter.* Seneca ad Lucilium: *Farinam aqua sparsit & assidua tractatione perdomuit, finxitque panem, quem primo cinis calidus & fervens testa percoxit, deinde furni paulatim reperti, & alia genera, quorum fervor serviret arbitrio.* Pistores autem dicebantur, qui far pinsebant, id est, tundebant pilis, vel molis trusatilibus frangebant. Varro Taphemenippo: *Nec pistorem ullum, nisi eum, qui in pistrino pinseret farinam.* Servius in lib. 1 Æneid. *Quia apud majores nostros molarum non erat usus, frumenta torrebant, & ea in pilas missa pinsebant, & hoc erat genus molendi. unde & pinsores dicti sunt, qui nunc pistores vocantur.*

Quam murrhinam &c.] Videtur legendum, *Loram murrhinam.* Plautus Pseudolo:

Quid si opus sit, ut dulce promat indidem, ecquid habet? rogas
Murrhinam, passum, defrutum, mellinam, mel quojusmodi.

Cujus versus testimonio probare conatur Plinius, Murrhinam vinum fuisse lautissimum, myrrhæ odore conditum. Sed Varro a vino separat in Satyra Ἀνθρωπουργία: *Non modo vinum dare, sed etiam, ut Plautus ait, murrhinam, passum, defrutum:* & Gellius lib. 10, inter dulcia a vinis distincta, murrhinam recenset. Itaque verisimilius est, quod Varro hic refert, quosdam existimasse, Murrhinam fuisse loram, sive dulcem potionem ex maceratis aqua vinaceis, & conditam odoribus, unde nomen ἀπὸ τοῦ μύρου. Ea, quod nequaquam ebrietatem induceret, antiquæ mulieres utebantur pro potu: postea, crescente luxuria vino addito loram, passum, potare cœperunt.

Pagina 240.

Ex uno exemplo.] Intelligit exemplum L. Egnatii Mecennii, qui uxorem, quod vinum bibisset e dolio, fuste percussam interemit, ejusque cædis a Romulo fuit absolutus. vel, quod Fabius Pictor in Annalibus scripsit, Matronam, quod

loculos, in quibus erant claves vinariæ cellæ, resignavisset, a suis inedia mori coactam. Plinius lib. 14.

Extra urbem in &c.] Servius Tullius rex urbem in regiones quatuor divisit, quas Tribus urbanas appellavit, Suburanam, Esquilinam, Collinam, Palatinam: tum agrum Romanum partitus est in regiones viginti sex, ut tradidit Fabius Pictor, vel in viginti septem, ut Vennonius. quarum regionum nomina imposuit tribubus rusticis, quas illis quatuor urbanis adjecit. De his regionibus hic loquitur Varro, & Dionysius lib. 4 Antiquit. Rom.

Sed quod ea &c.] Forte: *Ex quo bella propter talem misturam immoderatam exæquatis cunctis.* Urbem Romam in initio tenuerunt tria genera hominum, a quibus nomina imposita tribubus: Ramnenses Albani fuere, qui cum Romulo Romam coloniam deduxerunt; Tatienses Sabini, qui cum T. Tatio Sabinorum rege eodem commigrarunt; Luceres Etrusci & Ardeates, omnisque populus adventitius, qui ex agris undique Romam confluxerat. Ita in urbe regnante Romulo triplices civitates, & bella assidua propter talem misturam immoderatam.

Pagina 241.

Posteaque Q. Fabio &c.] Nonius observat Senati pro Senatuis: quæ vox cum hic non exstet, apparet, locum esse mutilum. Fortassis autem deest tale quiddam: *Ex senati consulto ver sacrum votum.* Nam Varro hic agit de religione & cærimoniis: & Fabio Maximo Dictatore, ex senatusconsulto populus ver sacrum voveri jussit, ut auctor est Livius lib. 32.

Tullum Hostilium.] Idem refert Solinus Polyhist. *Tullus Hostilius in Velia, ubi postea ædes Deûm Penatium facta est.* De Anco aliter: *Ancus Martius in summa Sacra via, ubi ædes Larium est.* & mox: *Tarquinius Priscus ad Mugioniam portam supra summam Novam viam.* Sed Varro, ut hic, ita lib. 4 de Lingua Lat. portam Mugionis in Palatio collocat.

Hanc Deam Ælius.] Intelligit Deam Pandam, quam nominat in Satyra Sciemachia:

Ted Anna Peranna, Panda, te Lato, Pales.

in quem locum plura diximus. Quod autem Nonius ait, Varronem hic deducere verbum Pandere a pane dando, ipsius commentum est, non Varronis etymon.

Facta sit: in qua &c.] Totum hunc locum ita legendum

& distinguendum censeo: *Facta. sic inquam omnia regiis temporibus delubra parva facta, ut signa, cetero cultu*, &c.

Quid inter hos Joves &c.] Significat Jovem fictilem, quem Tarquinius Priscus rex in Capitolio dicavit, curavitque miniandum, ut ex Varrone refert Plinius. Propertius lib. 4:

Fictilibus crevere Deis hæc aurea templa,
Non fuit opprobrio facta sine arte casa.

Et a quibusdam &c.] Huc fortassis pertinet id, quod refert Plinius lib. 8. *Lanam*, inquit, *cum colo & fuso Tanaquilis, quæ eadem Caja Cæcilia vocata est, in templo Sangi durasse, prodente se, auctor est M. Varro: factamque ab ea togam regiam undulatam in æde Fortunæ, qua Servius Tullius fuerat usus. inde factum, ut nubentes virgines comitaretur colus comta, & fusus cum stamine.* Virgo Fortuna, seu Virginalis, colebatur quasi Dea pudicitiæ, togæque puellares a novis nuptis ad eam perferebantur. Arnob. lib. 2: *Puellarum togulas Fortunam defertis ad Virginalem.* Ejus ædes fuit extra portam Capenam, quam Servius Tullius exstruxit, teste Plutarcho in Problem. Porro Undulatum Nonius interpretatur purum; quasi Varro hic opponat undulatas & prætextas togas; sed videntur potius a texturæ genere dici Undulatæ, quæ ad undarum similitudinem pictæ sunt. unde & Cymatiles seu Cumatiles, a fluctu, apud Plautum & Ovidium. vulgo hodieque Camelottæ.

Quibus temporibus.] Lemuralibus jaciebant fabas larvis, auctore Festo. Ovidius:

Cumque manus pure fontana perluit unda,
Vertitur, & nigras accipit ore fabas,
Aversusque jacit: sed dum jacit, Hæc ego mitto
His, inquit, redimo meque, meosque fabis.
Hæc novies dicit, nec respicit. Umbra putatur
Colligere, & nullo terga vidente sequi.

Pagina 242.

Cum interea &c.] Forte: *Cum Lucretia.* Quam haudquaquam, ut regias nurus, quas in convivio luxuque cum æqualibus viderant tempus terentes, sed nocte sera deditam lanæ, inter lucubrantes ancillas in medio ædium sedentem inveniunt. Livius.

Pagina 243.

Auri pondo.] Dissentit Plinius lib. 33: *Cum a Gallis, capta urbe, pax emeretur, non plus, quam mille pondo effici*

potuere. nec ignoro, M. Crassum duo millia pondo auri rapuisse suo & Pompeji tertio consulatu e Capitolini Jovis solio, a Camillo ibi condita, & ideo a plerisque existimari duo millia pondo collata. Sed quod accessit, e Gallorum præda fuit, detractumque ab his in parte captæ urbis delubris.

Qua abstinentia &c.] Pyrrhum regem intelligit, a quo Cyneas, legatus Romam cum ingentibus donis missus, neminem, qui munera vellet, invenit. Hic autem duæ negationes unius vim intendunt, & magis negant; ut Bimargo: *Qui non modo ignorasse me clamat, sed omnino omnes heroas negat nescisse.* Lucilius lib. 18:

Cetera contemnit, & in usura omnia ponit
Non magna: proprium vero nil neminem habere.

Quibuscum turpe fecerant.] Vetus editio: *Quibuscum turpe fœdus.* unde puto legendum esse: *A quibus ictum turpe fœdus.*

*Quotquot * Decius.*] Dederunt hosti, inquit, eos, a quibus turpe fœdus ictum: quod factum æque profuit, ac quod Decius se devovit. Loquitur de pace, sive sponsione Caudina, quam Sp. Postumius & T. Veturius Coss. cum injussu populi fecissent, dediti sunt hosti. quo facto non minus exercitum conservarunt, quam P. Decius vitæ suæ devotione. Liv. lib. 9: *Postumius in ore erat: eum laudibus ad cælum ferebant; devotioni P. Decii Cos. aliis claris facinoribus æquabant.*

IN LIBRUM II.

Pagina 244.

Ex tabernis ligneis.] Postrema vox corrupta est. alii reponunt *lanignis*, id est, in quibus lanii carnes vendunt; sed propius ad veterem scripturam est *lineis*. De tabernis argentariis ita meminit Livius lib. 27: *Plurimis simul locis circa forum incendium ortum. eodem tempore Septem tabernæ, quæ postea Quinque, & Argentariæ, quæ nunc Novæ appellantur, arsere.*

In conviviis &c.] Meminit hujus instituti Cicero in Tusculanis. *Mos apud majores*, inquit, *hic epularum fuit, ut deinceps qui accubarent, canerent ad tibias clarorum virorum laudes atque virtutes.* — *Assa voce*, id est, sola linguæ voce, non admixtis musicis instrumentis, ut citharis: quas qui pulsant & simul accinunt, psallocitharistæ appellantur a Suetonio in Domitiano. Varro Catone de Liberis educandis: *Melos in cantibus est bipartitum: unum, quod est in assa voce; alterum, quod vocant organicon.*

Cum a nova nupta &c.] Ad hunc solemnem morem in nuptiarum initiis communicandi ignis & aquæ, respexit Virgilius lib. 4 Æneid.

Dant signum, fulsere ignes & conscius æther
Conjugii.

Quem versum explicans Servius, hæc Varronis verba recitat: Aqua & igni mariti uxores accipiebant. unde & hodie faces prælucent, & aqua petita de puro fonte per puerum felicissimum vel puellam, quæ interest nuptiis, in qua solebant nubentibus pedes lavari. Plutarchus in Problematis multas & varias hujus instituti rationes tradit: & Festus, Ovidius, Dionysius, & alii alias afferunt, quas longum esset commemorare.

Foco ejus.] Fortasse legendum, *foco ædilis.* Nam Plutarchus auctor est, apud ædiles accendi faces jugales consuevisse.

Fax ex pinu alba.] Al. *Fax ex spinu alba.* Faces illas nuptiales, quas novis nuptis pueri ingenui præferebant, ex spina alba fieri solitas, tradunt Festus & Plinius, idque quoniam in Sabinarum raptu talibus tædis pastores usi erant. Varro in Ætiis: *Fax ex spina alba præfertur, quod purgationis causa adhibetur.* Sed & pinum nuptiarum facibus solemni ritu adhibitam constat. Varro Γεροντοδιδάσκάλῳ: *Quæ noctu initia fieri solita, etiam nunc pinea fax indicat.* Virgilius in Ciri:

Pronuba nec castos accendet pinus honores.

Ovidius lib. 2 Fastor.

Dum tamen hæc fient, viduæ cessate puellæ,
Exoptet puras pinea tæda faces.

Cum item e foco.] Legendum, *Cum ignis e foco.*

Natus si erat.] Hunc locum ita explicat Servius: *Varro, Pilumnum & Picumnum infantium Deos esse, ait, eisque pro puerpera lectum in atrio sterni, dum exploretur, an vitalis sit, qui natus est.* Et hoc quidem vulgo: sed alius lectus sternebatur natis pueris nobilibus. Junius Philargyrius ad illud Virgilii Ecloga 5 *Dea nec dignata cubili est: Pueris nobilibus editis*, inquit, *in atrio Junoni Lucinæ lectus ponitur, Herculis mensura.*

L. Lucullus &c.] Hunc locum recitat Plinius lib. 14, non expresso tamen operis Varroniani titulo, quem ex Nonio deprehendimus. Sed apud Plinium corrupte legitur, *Hortensius supra decem cados heredi reliquit.* apud Nonium his perperam attexuntur illa, *medimnûm vini mille cadûm:* quæ a Plinio recte absunt, nec sunt Varronis, at Nonii annotantis, *sic medimnûm, ut mille cadûm.*

Pagina 245.

Ad Sybaritanam &c.] Legendum fortasse, *anancæ a populo.* Ad Sybaritanam prædam accesserunt, inquit, magna & pretiosa vasa, a populo nobilium Tarentinarum urbium. Sybaritana præda est elegans & sumtuosa, ut mores ejus gentis lascivi, atque effeminati. Anancæ sunt urnæ, a Græco ἀνάγκη, quæ est urna judicialis, vel clepsydra, teste Hesychio. unde Anancæum poculum urnale dixit Plautus Rudente:

Credo hercle anancæo datum quod biberet.

Varro indicat, Tarentinos habuisse causa luxuriæ, cui unice dediti, & ab illis Romanos accepisse, subactis Thuriis, quos a Sybaritis oriundos, primum Tarentini oppresserunt, postea Romani in ditionem receperunt, ut auctor est Strabo lib. 6.

Pellibus tegerentur togæ.] Tollenda postrema dictio. est enim Nonii, & ab ipsius verbis sequentibus inepte avulsa. Loquitur autem Varro de velis theatralibus, de quibus idem refert Plinius lib. 19. Carbasina deinde vela primus in theatro duxisse traditur Lentulus Spinther, Apollinaribus ludis.

IN LIBRUM III.

Pagina 246.

Nam postea C. Luctatio &c.] Scribendum: *Nam postea a C. Lutatio, Consule, ad Ægates insulas, cum ipse catapulta ictus abesset.* Cajus Lutatius Catulus Consul cum Postumio Albino, anno U. C. DXI, commisso apud Ægates insulas navali prœlio, insignem victoriam de Pœnis obtinuit, & gravissimo bello Punico primo finem imposuit. Ex quo cum triumphum peteret, restitit Q. Valerius prætor, & sponsione contendit, sibi jus triumphandi competere, quod, dum prœlium commissum esset, consul in lecto decubuisset, ipse prætor conflixisset: sed Attilius Calatinus judex sponsionis judicavit, quoniam consulis imperio & auspicio secunda pugnæ fortuna evenisset, ejusdem & jus triumphandi esse. Itaque anno proximo navalem triumphum proconsule egit. Et hoc est, quod ait Varro: A C. Lutatio consule ad Ægates insulas Pœnos devictos, cum ipse catapulta ictus prœlio non interfuisset.

Pagina 247.

Nam Mercurii virgam.] Mercurius gestabat virgam auream. unde χρυσόρραπις Ἑρμῆς cognominatus. Virg. lib. 4 Æneid. ex Homero:

Tum virgam capit: hac animas ille evocat Orco.

Horatius in Odis:

Tu pias lætis animas reponis
Sedibus, virgaque levem coerces
Aurea turbam, superis Deorum
Gratus & imis.

Apulejus lib. 10 Metamorph. de Mercurio: *Puer luculentus nudus, nisi quod ephebi chlamyde sinistrum tegebat humerum, flavis crinibus conspicuus. inter comas ejus aureæ pinnulæ simul conjunctæ prominebant cum caduceo & virgula.* De *verbena* videantur Plinius lib. 22, & Festus.

Mutini quod in Sicilia &c.] Asconius Pædianus in Comment. in Orat. Ciceronis in Pisonem: Varro quoque in lib. 3 de Vita populi Rom. quo loco refert, quam gratus fuerit erga benemeritos, dicit, *Mutini quod*, &c. De Mutine & rebus ab eo gestis, multa Livius; tum de honoribus a populo Rom. in illum collatis ita lib. 37: *Mutine, &, si quorum aliorum merita erga populum Rom. erant, in senatum introductis, honores omnibus ad exsolvendam fidem consulis habiti. Mutines etiam civis Rom. factus, rogatione ab tribuno plebis ex auctoritate Patrum ad plebem lata.*

Ut ejus convivium &c.] Puto legendum esse, *Ut ejus convivium, qui a triumpho daret in Capitolio.* Nam convivium triumphale celebrari in porticibus Capitolii plerumque solebat, interdum etiam alibi. Dio lib. 55 de Tiberio Cæsare: *τά τε ἐπὶ τοῦ κέλητις ἐπινίκια ἔπεμψε, καὶ τοῦ δήμου τοὺς μὲν ἐν τῷ Καπιτολίῳ, τοὺς δ' ἄλλοθι πολλαχόθι ἐδείπνησε.* Eo peracto, is, qui triumphaverat, vesperi tibiis & fistulis præeuntibus domum reducebatur; quod Cn. Duillius, qui primus Romanorum ducum egit navalem triumphum, semper servavit.

Pædius Pætus cum.] Non dubium est, quin legendum sit, *P. Ælius Pætus*: etsi Plin. lib. 10 refert, hoc prodigium contigisse L. Ælio Tuberoni: *In capite prætoris urbani L. Tuberonis, in foro jura pro tribunali reddentis, sedit ita placide, ut manu prehenderetur. Respondere vates, exitium imperio portendi, si dimitteretur: at si exanimaretur, prætori. Et ille avem protinus concerpsit: nec multo post implevit prodigium.* Valerius Maximus lib. 5 nominat Ælium prætorem: cujus hoc prodigium impletum, cum decem & septem militum familiam, eximiæ fortitudinis viros, Cannensi prœlio amisit.

Eorum qui ludis Troicis cursitassent.] Antiquæ editiones ha-

bent, *Eorumque ludiſtricas* &c. unde ſuſpicatus ſum, poſſe legi: *Puerorum quæ ludis trita, cum ſic aſſant.* Nænia eſt cantio puerilis & ludicra, qualis illa de creando rege: *Si recte facies, eris rex;* cujus meminit Horatius:

Roſcia dic ſodes melior lex, an puerorum
Nænia, quæ regnum recte facientibus offert.

Aſſabant autem pueri, cum ſola voce canebant ſuas cantiones ludicras, & ad eorum exemplum præficæ ad tibias. alibi dixi. Sed retineo lectionem Scaligeri, quem vide in Conjectaneis.

Ut dum ſupra &c.] In luctu mulieres induebantur riciniis, prætextis clavo purpureo, uſque dum mortuus domi eſſet: at cum funus efferebatur, ſumebant pullas pallas, ricinia injiciebant mortuo, ut cum iis cremaretur. Itaque cum lex XII Tab. funeris ſumtus minueret, tria tantum ricinia ad rogum deferri permiſit, quæ in Solonis legibus τρία ἱμάτια appellantur. Cicero lib. 2 de Legibus: *Extenuato igitur ſumtu, tribus riciniis, & vinculis purpuræ, & decem tibicinibus, tollit etiam lamentationem.* Liv. lib. 34 de prætexta: *Nec id vivi ſolum habeant factum inſigne, ſed etiam ut cum ea crementur mortui.* Florus in Epitoma lib. 48: *M. Æmilius Lepidus antequam exſpiraret, præcepit filiis, lecto ſe ſtrato ſine linteis, ſine purpura efferrent.*

Supervacuum.] Nonius: *Supervacuum non putat oportere dici Varro de Vita populi Rom. lib. 3, ſed ſupervacaneum.* fortaſſis reſpicit locum illum: *Ab hac ſupervacaneorum conſuetudine*: ut nihil ſit neceſſe hoc novum fragmentum conſtituere. Salluſtius Catilin. *Illis ſupervacaneum eſt pro potentia paucorum pugnare.*

Plebiſque ſcito cautum.] Plebiſcito Furio de teſtamentis. Nam C. Furius trib. pl. legem tulit, *Ne cui ſupra mille aſſes legare, mortiſve cauſa donare liceret: qui plus ſibi legatum accepiſſet, quadruplum reſtitueret.* meminit Cicero in Oratione pro Balbo, & Theophilus Inſtitution. ad legem Falcidiam: qua lex Furia eſt abrogata.

IN LIBRUM IV.

Pagina 248.

Cum Pœnus in &c.] Liv. lib. 33 de Hannibale: *Hunc natura & moribus immitem, inſuper & dux ipſe efferavit, pontibus*

ac molibus ex humanorum corporum strue faciendis. Appianus de eodem: Ἔστι δὲ οὓς ὑπ' ὀργῆς ἀνῄρει, καὶ τοῖς σώμασι τὸν ποταμὸν ἐγεφύρου, καὶ ἕτερα. *Palangæ* sunt fustes teretes, quibus subducuntur naves: a Græco φαλάγγαι. Cæsar lib. 1 de Bello Gallico, *Machinatione navali phalangis subjectis.* Julius Pollux: Τὰ τῶν νεῶν ξύλα, οἷς ὑποβληθεῖσιν ἐφέλκονται αἱ νῆες, φάλαγγες καὶ φαλάγγαι.

Iniquus equestri &c.] Videtur legendum: *Iniquus senatus equestri ordini.* Loquitur enim de C. Sempronio Graccho, qui, ut ait Vellejus, dabat civitatem omnibus Italicis, Italiam ad Alpes fere porrigens, agros dividebat, vetabatque quemquam civem plus quingentis jugeribus habere, quod lege Licinia cautum erat: portoria nova constituebat, novis coloniis implebat provincias: judicia a senatoribus ad equites transferebantur, frumentum plebi dabatur, nihil denique immotum relinquebatur. Plutarchus refert, C. Gracchum trecentos equites pari numero cum senatoribus adjecisse: Florus vero tradit, ipsum equites senatoribus admiscuisse, ut ita duplicatas vires equites in senatu haberent. Appianus idem, quod Varro & Vellejus, ademisse senatui judicia, & equestri ordini tradidisse. Ex quo illi quinquaginta annos judicarunt; quoad L. Sulla Dictator in senatorum potestatem judicia restituit, quæ decem solos annos tenuerunt. Aurelia enim lege lata a L. Aurelio Cotta prætore, in partem judiciorum cum senatoribus & equitibus vocati tribuni ærarii, quos demum Julius Cæsar sustulit, & judicia ad duo genera judicum redegit, equestris ordinis & senatorii. Quæ omnia ex Cicerone, Pædiano & aliis nota sunt.

E Græcia, Asia.] De L. Lucullo accipio, cujus villæ regii splendoris celebrantur.

Aut dominatus quo &c.] Melius meo judicio: *Aucti, dominatus quo appellarentur.* Domini appellatio apud Romanos adeo odiosa fuit de imperio, ut etiam in re domestica, quo omnem dominis invidiam, omnem servis contumeliam detraherent, dominum patrem familias servos familiares appellare consueverint, ut Seneca & Macrobius tradiderunt. Suetonius in Augusto Domini appellationem ut maledictum & opprobrium semper abhorruit. Idem Tiberio: *Dominus appellatus a quodam, denuntiavit, ne se amplius contumeliæ causa nominaret.* Sallustius lib. 3 Histor. *Per suffragia ut Præsides olim, nunc dominos destinatis.* quod ipsum Varro hic voluit dicere, Magistratus ita auctos, ut appellarentur Dominatus.

Pagina 249.

Quæ mandata &c.] Emendarim, *neque mandata arcana T. Ampio dedissent, audivi dicentem Cn. Magnum.* Dictum Pompeji, arguentis consules auctores turpissimæ fugæ ex Italia, aut alterius commissi, de quo non liquet. T. Ampius fuit dux Pompejanarum partium, quem Cic. lib. 10 Epist. consolatur exsulem, & de reditu bene sperare jubet. meminit ejusdem lib. 8 ad Atticum, Cæsar lib. 3 de Bello civili, & Suetonius in Cæsare. Cn. Magnus, omisso Pompeji nomine, est in inscriptione epistolæ ad Ciceronem: *Cn. Magnus Ciceroni Imp. S.* Tacitus: *Datum erat crimini, quod Theophanem Mytilenæum proavum eorum Cn. Magnus inter intimos habuisset.* Vellejus lib. 2: *Filiam C. Cæsaris Cn. Magnus duxit uxorem.*

Itaque retulit.] Hæc fortassis est summa auri, quam initio belli civilis, refracto ærario publico, retulit, vel Lentulus consul, vel C. Cæsar; de quo Plinius lib. 33: *Cajus Cæsar primo introitu urbis in civili bello suo ex ærario protulit laterum aureorum XXVI M, & in numerato pondo CCC. Nec fuit aliis temporibus respublica locupletior.*

Tunicas, neque capitia.] Hæc duo fragmenta mihi videntur pertinere ad librum 1, in quo de victu & vestitu egit: at in hoc de bellis civilibus. Porro Capitium Nonius hic interpretatur *capitis tegmen*, cum sit pectori tegendo, & mamillare feminarum, ut lib. 4 de Lingua Lat. *Capitium, quod capiat pectus.*

IN LIBRUM II DE SCENICIS ORIGIN.

Pagina 250.

Appio Claudio.] Appius Claudius Pulcher scenam varietate colorum adumbravit, vacuis ante pictura tabulis extentam, ut ait Valerius Maximus lib. 2. Eo pertinet hoc fragmentum Varronis.

IN LIBRUM II DE ACTIONIBUS SCENICIS.

Pagina 251.

Galearia.] Galearia sunt, quæ galeæ usum aut formam habent. Quadrigarius lib. 1: *Prius hisce auctoribus induere reticula galearia.* Sed hic scribendum *Galera*, nominandi casu plurali. nam ut Collus collum, Calamistrus calamistrum vete-

res dixerunt, ita & Galerum: quod Charisius hic observat. erat autem pileum capitis, non Mercurii tantum, sed etiam pontificum & flaminum. Apulejus Apologia 1: *Quod imperatoribus paludamentum, quod pontificibus galerum, quod lituus auguribus.* Isidorus lib. 19: *Galerum pileum ex pelle cæsæ hostiæ factum.* In scena eo ornabantur nuntii & tabellarii. ex quo inter ornatus scenicos Varro hic retulit.

IN ANNALES.

Pagina 252.

Nummum argenteum.] Nummi viles & minimi pretii fuerunt regiis temporibus; quippe Numa Pompilius ligneos scorteosque nummos pro congiario populo divisit. Primus Servius rex & æs signavit nota pecudum, & nummum argenteum conflavit, ut eo appenso & rudi uterentur, sicut antea solebant ære. nam argentum demum signatum est anno Urbis conditæ DLXXV, Q. Ogulnio Gallo, C. Fabio Pictore Coss. quinque annis ante primum bellum Punicum, ut tradidit Plin. lib. 33.

IN EPHEMERIDEM.

Pagina 253.

Navali Etesiæ.] Emendarim, *Anavali*, *Etesiæ*, Anavali venti, id est, prælusores, quos alii vocant prodromos, sive præcursores, a verbo ἀναβάλλομαι, quod inter cetera significat præludere. unde ἀναβαλλόμενος, qui præludit, apud Suidam, & ἀναβολὴ principium, & præludium. Plin. lib. 2: *Hujus exortum diebus octo ferme aquilones antecedunt, quos Prodromos appellant: post biduum autem exortus iidem aquilones constantius perflant diebus quadraginta, quos Etesias vocant.* Mox libri veteres habent, *uberius fluant, & auctumnum ventosum faciant.* quæ vera est lectio. Fluunt venti, proprie, quoniam ventus non aliud intelligitur, quam fluctus aeris. Plinius ibidem. Vitruvius: *Ventus est aeris fluens unda, cum incerta motus redundantia.*

IN ADMIRANDA.

Perdicas Bœotios.] Forte illud admirandum Varro hic refert, quod Plinius lib. 10: *Perdices non transvolant Bœotiæ fines in Atticam.* Solinus Polyhistore: *Perdices sane, cum ubique*

liberæ ſint, ut aves univerſæ, in Bœotia non ſunt: nec, cum volant, ſui ſunt juris, ſed in ipſo aere, quas tranſire non audent, metas habent. inde ultra notatos jam terminos nunquam exeunt, nec in Atticum ſolum tranſmeant. hoc Bœotiis proprium.

In ſilva mea &c.] Legendum: *In ſilva Mæſia*, de qua idem admirandum refert Plinius lib. 8: *In Mæſia ſilva Italiæ non niſi in parte reperiuntur hi glires.*

IN ÆTIA.

Pagina 254.

Fax ex ſpina alba.] Spina alba magnam vim habere credebatur ad maleficia depellenda. Ovidius lib. 6 Faſtor.

Sic fatus ſpinam, qua triſtes pellere poſſet
A foribus noxas, hæc erat alba, dedit.

Et mox:

Virgaque Janalis de ſpina ponitur alba,
Qua lumen thalamo parva feneſtra dabat.
Poſt illud neque aves cunas violaſſe feruntur;
Et rediit puero, qui fuit ante color.

Ideo nuptiarum facibus auſpicatiſſima habebatur: etſi ad Sabinarum raptum referat Plinius. Apud Chariſium eſt: *Varro, In Aſia: Fax*, pro *in Ætiis: Fax.*

IN LIB. I HEBDOMADON.

Pagina 258.

Capella Homeri.] Hoc epigramma Varro appoſuit Homeri imagini. Capella ſignificat vitam erroneam, vel famam nominis ejus toto orbe diffuſam. nam capræ late vagantur, & nuſquam conſiſtunt. unde ab Homero vocantur *αἰπόλια πλατέα.* Ietæ vero tale epitaphium Homeri tumulo inſcripſerunt:

Ἐνθάτε τὴν ἱερὴν κεφαλὴν κατὰ γαῖα καλύπτει
Ἀνδρῶν ἡρώων κοσμήτορα θεῖον Ὅμηρον.

IN INCERTOS LIBROS.

Pagina 259.

Hic Demetrius.] Puto legendum eſſe:

Hic Demetrius æneas tot nactus eſt,
Quot luces habet annus abſolutus.

Eſt autem epigramma ſubſcriptum imagini Demetrii Phalerei,

philoſophi & civis Athenienſis clariſſimi: de quo ita Diogenes Laertius in ipſius vita: *Καὶ εἰκόνων ἠξιώθη χαλκῶν ἑξήκοντα πρὸς ταῖς τριακοσίαις, ὧν αἱ πλείους ἐφ' ἵππων ἦσαν καὶ ἁρμάτων καὶ συνωρίδων.*

IN LIB. I DE POETIS.

Claudium & Tuditanum.] De ætate Ennii & Nævii meminit Cicero in Bruto, ubi Varronem laudat auctorem, ut opinor, ex hoc ipſo libro primo de Poetis. Sed quod Varro tradit, Ennium, cum ageret annum ſextum & ſexageſimum, duodecimum Annalem ſcripſiſſe, videtur ſignificare, Ennii Annalium libros duodecim ſolos fuiſſe: cum tamen a veteribus Grammaticis citentur octodecim. An ergo Ennius ſcripſit Annalium libros duodecim? quos Q. Varguntejus, obſervato geſtorum ordine, in octodecim digeſſit; & Varro ſecutus eum librorum numerum, quem ipſe Ennius fecit, Grammatici eum, quem Varguntejus? Sane in Lucilii Satyrarum libris Varro eadem ratione a vulgo diſſentit, ut alibi diximus; & Nævium non aliter, quam in Bello Punico adducit, quod Nævius illud continua oratione perſcripſiſſet; cum tamen Grammatici libros VII laudent, in quos a C. Octavio Lampadione fuit diviſum, ut auctor eſt Suetonius de Claris Grammaticis. Sed ſive duodecimus liber fuit ultimus Annalium Ennii, ſive duodeviceſimus: illud conſtat, Ennium in eo libro notaſſe tempora ætatis ſuæ, & conditæ Urbis. Quo pertinent verſus apud Cic. de Senectute:

Sicut fortis equus, ſpatio qui forte ſupremo,
Vicit Olympia, nunc ſenio confectus quieſcit.

Et apud Varronem lib. 3 de Re ruſtica:

Septingenti ſunt paulo plus aut minus anni,
Auguſto augurio poſtquam inclita condita Roma eſt.

IN SATYRAS MENIPPEAS.

Pagina 260.

Aborigines.] Hac Satyra Varro videtur diſſeruiſſe, naturam hominis eſſe quidem illam participem rationis & ingenii, ſed inhorreſcere & efferari ſine cultura virtutis. Eo pertinet titulus Aborigines: qui populi antiquiſſimi Italiæ primum in montibus vagabantur, nullis civilibus inſtitutis aut domeſticis moribus exculti: poſt in iiſdem mœnibus cum Trojanis advenis incluſi, & ad omnem humanitatem fuerunt informati.

De quibus plura Sallust. Catil. & Dionys. Halicar. lib. 1 Antiq. Rom.

Pagina 261.

Sublimes speribus.] Observasse mihi videor, Varronem, cum Satyram claudit, plerumque spectatores appellare festiva & eleganti aliqua sententia. Ita, *Væ victis: Properate vivere puera, quas finit ætatula ludere, esse, amare, & Veneris tenere bigas.* Et Cosmotorine: *Detis habenas animæ leni, Dum ventus vos flamine sudo Suavem ad patriam perducit.* Item Margopoli: *Sensistis, dicite labdæ, & vivos contemnite vivi, Anticipate atque addite calcar; stultos contemnite docti.* Hinc fere suspicor, etiam hæc verba esse in extremo hujus Satyræ: licet in tam accisis & desectis reliquiis, quæ prima sint aut ultima, difficilis est judicatio.

Agatho.] Agatho adolescens inducitur a Platone in Symposio, ubi honesti amoris præstantem in omni vitæ ratione vim & dignitatem magnifice prædicat. Hujus nomine Varro Satyram inscribit, in qua inanes adolescentiæ cupiditates acerbe insectatus, tum gravissime monet, decere teneros & molles animos juvenum, studiis doctrinæ ad virtutem percipiendam imbui & præparari.

Lampadion.] Nomen meretricis protervæ & procacis: quod inter comicas personas retulit Pollux, & Nævius fabulæ inscripsit, cujus meminit Varro lib. 6 de Lingua Lat. Lucretius lib. 4 ait, ὑποκοριστικῶς ab amatoribus appellari Lampadiones, puellas loquaculas & contumaces:

At flagrans, odiosa, loquacula Lampadion fit.

Spes est auxilii &c.] Plautus Pseudolo:

Tibi inventurum esse auxilium argentarium.

Similiter:

Et amore pereo, & inopia argentaria.

Pueri obscœnis verbis.] Inter cetera nuptiarum solemnia illud quoque fuit observatum, ut cum nubentes prætextam modo deposuissent, tum a multitudine puerorum illis occinerentur versus joculares, incompositi, & obscœni, qui Fescennini appellabantur; sive quod Fescennio oppido Campaniæ essent allati; sive quod fascinum putabantur arcere. Catullus in Epithalamio Juliæ & Manlii:

Nec diu taceat procax
Fescennina locutio.

Horatius lib. 2 Epistol.

Feſcennina per hunc invecta licentia morem,
Verſibus alternis opprobria ruſtica fudit.

Eodem pertinet hic locus Varronis.

Dum recentes muſteos.] Turnebus putat, hunc eſſe ſenſum: Dum in fiſcellis carnarii ſuſpiciunt teneros caſeolos etiamnum fluitantes & ſtillantes, quorum ſaliva & ſapor eos allicit. Ego leviter aliquando ſuſpicatus ſum, hoc exemplo docere Varronem, adoleſcentes arcendos eſſe ab omni rerum turpitudine, quæ primum in oculos incurrit, mox penetrat animum. itaque illud *recentes* mutabam in *nefrendes*: quæ vox ſignificat teſtes arietum vel porcorum, quos inter edulia ciborumque delicias refert Plinius. Vide Feſtum & Placiadem.

Factus ſum veſpertilio.] Veſpertiliones forma quadam proverbii videntur dici homines ancipitis fidei vel inſtituti, aut incertarum partium, ut Tytides Homericus, quem

Οὐκ ἂν γνοίης ποτέροισι μετείη,
Ἠὲ μετὰ Τρώεσσιν ὁμιλέοι, ἢ μετ' Ἀχαιοῖς.

Nimirum veſpertilio animal incertæ naturæ eſt: neque in muribus plane, neque in volucribus; quod quia interdiu latet, noctu evolat, ab eo Ulpianus veſpertilionem ſervum appellavit, quem Plautus tenebricoſum, Varro tenebrionem, lucifugam Lucilius.

Pagina 262.

Δοῦλος Ἔρως ἐστί.] In vulgatis libris Nonii hæc adducuntur ex Varronis Agathone Duloreſte, ut non ſatis conſtet, an inter reliquias Satyrarum debeant referri, an potius tribui Pacuvio: cujus tragœdia Duloreſtes a Grammaticis aliquoties citatur. Ego leviter aliquando ſuſpicatus ſum, Pacuvii verſus e Nonianis libris excidiſſe, vel, quod alias ſæpe, imperitos librarios illius tragœdiæ nomen cum inſcriptione Satyræ Varronis negligenter conjunxiſſe. Nunc autem attentius mihi hac de re cogitanti, videtur illud Duloreſte corruptum eſſe, atque ita reſtituendum eſſe, Δοῦλος Ἔρως ἐστί. An ſervus eſt Amor, inquit, qui hominem ſervum facit? quæ ſunt accipienda de amore vulgari & impudico.

Age modo.] Chariſius laudat Varronem Menippea Satyra, *Age modo Argo citiremem*: quam puto integram eſſe inſcriptionem Satyræ; cujus initium adducit Junius Philargyrius, cum inquit, *Varro in Agemodo*; Chariſius corrupte *in Agemoro*. Solent enim veteres proverbiorum aut inſigniorum verſuum principia dumtaxat recitare, ut ex Ciceronis libris Epi-

ſtolarum ad Atticum notiſſimum eſt. Videtur autem eſſe parœmia, cujus aptiſſimus uſus, cum graviori onere quempiam relaxamus; vel cum adhortamur ad id, ad quod a natura ſit aptus factuſque, ut docilem ad literas, verecundum ad caſtitatem., facile enim eſt currentem, ut ajunt, incitare. Argo navis fuit inſigni celeritate, a qua nomen habet. nam ἀργὸν celerem veteres dixerunt. Catullus de Argonautis:

Auſi ſunt vada ſalſa cita decurrere puppi.

Andabatæ.] Andabatæ erant gladiatores, qui ex equis pugnabant oculis clauſis, vel capite operto, ne alter alterum poſſet cernere. unde vulgari proverbio ſic dicuntur, qui temeraria atque inconſiderata contentione in rem quampiam incumbunt; velut qui honoris & gloriæ cupiditate, aut amore divitiarum quaſi occæcati, de iis acerrime contendunt inter ſe & digladiantur: quos lacerat hæc Menippea.

Τὸ σοῦ κράνος.] Ita emendavit Lipſius. recte. Varro alloquitur Andabatam, qui in pugna frontem & oculos tectus galea, nec minus tamen his detectis cæcutit: quia aurum, inquit, non minus excæcat oculos, quam tua hæc galea.

Ædepol idem.] Uſurpat Plauti verſum in Milite:

Quid jam? quia luſcioſus? verbero ædepol tu quidem cæcus, non luſcioſus.

Mortales multi.] Videtur dicere, variam & inteſtabilem eſſe vitæ rationem, & vel incertis fortunæ eventis, vel cæco impetu cupiditatum homines huc & illuc rapi atque impelli. Illud autem *rurſus ac prorſus*, genus locutionis antiquis uſitatum, formam quandam habet proverbii. Ennius Andromeda:

Rurſus prorſus reciprocat fluctus feram.

Plautus Amphitruone:

Ego cunas receſſim, rurſum prorſum trahere.

Terentius Hecyra:

Tace. trepidari ſentio, & curſari rurſum prorſum.

Quæ verba explicans Donatus, *Rurſum*, inquit, *proprie retro, prorſum ante ſignificat: & eſt proverbiale, ſicut dicimus, Surſum deorſum, Retro foras, Hac illac.* Euripides:

Φέρουσιν αὔθ' οἱ θεοὶ πάλιντε καὶ πρόσω.

Hæc enim Dii rurſum ac prorſum miſcent.

Quod Eraſmus purum recte vertit, *Surſum deorſum.*

Pagina 263.

Nec manus viſco.] Dicuntur manus viſco tinxiſſe, qui furtis & rapinis ſtudent. Lucil. lib. 28 Satyr.

Omnia viscatis manibus leget, omnia sumet:
Crede mihi, presse res auferet omnes.

Sumta metaphora a tenacitate visci. unde & viscata beneficia, & viscata fortuna apud Senecam.

Viri casta.] Ita Græci ἁγνὴ γάμων. Horat. lib. 2 Epist.

Castis cum pueris ignara mariti puella.

Et alibi:

Nuptiarum expers, & adhuc protervo
Cruda marito.

Ἄμμον μετρεῖς.] Hoc proverbium Græci solent usurpare de iis, qui nimis magnum studium conferunt in res difficiles & obscuras, quarum neque initium facile sit dispicere, neque exitum. Sed & in avaros recte dicitur, quoniam immensa pecuniæ cupiditas est, nec unquam expletur aut satiatur augendi opes libido.

Nos barbari quod.] Censet, non minus peccare judices, qui propter aviditatem pecuniæ judiciorum religionem perfringentes, noxios locupletes legum pœnis eripiunt, quam homines barbaros, qui innocentes reos extremo supplicio afficiunt. quæ enim vis est, quæ arceat homines ab improbitate & maleficio, ubi viderint, judiciorum corruptelis se posse delictorum pœnam subterfugere? Quod autem ait *in gabalum:* hoc ut antiquum & obsoletum vocabulum Nonius observat, interpretaturque Crucem. mihi videtur, cum de institutis barbarorum loquatur Varro, ab illis hanc vocem sumsisse. Sane dictio, quæ Gallis patibulum significat, non est ab hac valde diversa: & Strabo lib. 4 scribit, Gallos in sacrificiis solitos homines in crucem tollere. Nisi potius credendum sit, Romanos hanc vocem, ut alias multas, accepisse a Turrenis sive Oscis; hos porro a Syris aut Hebræis, quibus *Gab* significat eminens, excelsum. unde fortassis Caballus, equus major; sicut Camelus in Latinum venit a nomine Syriaco Gemal, aut Hebraico Gamal.

Pagina 164.

ΑΝΘΡΩΠΟΥΡΓΙΑ.] Est opinor de Natalitiis & Nuptialibus, quibus vulgus pecunias profundere queritur: simul exagitat immanem avaritiam eorum, qui in contrahendo matrimonio nihil magnopere quærunt præter dotes fortunæ, & arctissimum humanæ societatis vinculum, quod mutua benevolentia & caritate decet adstringi, dotalibus pactionibus stipulationibusque devinciunt. Inscribitur autem Ἀνθρωπουργία, id est, hominum procreatio, cujus velut initia sunt, Sponsalia, Nuptialia, & Natalitia; quæ sacra non constant sine impendiis. *Et Hy-*

menæus, inquit, *primo lavere alvum marſupio ſolet*, ſeu marſupium exhaurire.

Doti dato inſulam &c.] Τὰ τῆς γῆς ἀγαθά. Chius inſula maris Ægæi, & ager Cæcubus in Campania, feraces vini præſtantiſſimi. Seplaſia forum Capuæ, aut platea, in qua unguentarii negotiabantur. Cicero in Rullum: *Jam vero qui metus erat tunicatorum illorum in Albana & Seplaſia.*

Non ſit theſauris.] Præclara ſententia, quæ a Tibullo ita expreſſa:

Non opibus hominum mentes curæque levantur;
Nam fortuna ſua tempora lege regit.

& a Juvenale Satyra 14:

Nec Crœſi fortuna unquam, nec Perſica regna
Sufficient animo, nec divitiæ Narciſſi.

Horatius lib. 3 Carminum:

——*neque conſularis*
Summovet lictor miſeros tumultus
Mentis.

Perſarum montes.] Sumſit a Plauto in Sticho:

Perſarum montes, qui eſſe aurei perhibentur.

Illud *Craſſi* mutant nonnulli in *Crœſi*: cujus atria fuerunt aurata, ut Cleopatræ reginæ Ægypti: quæ Lucanus lib. 8 ita deſcribit:

Ipſe locus templi, quod vix corruptior ætas
Exſtruet, inſtar erat; laqueataque tecta ferebant
Divitias, craſſumque trabes abſconderat aurum.

Anthropopuli &c.] Forte, Ἀνδροπροβολὴ *non modo*; id eſt, Quo tempore novus maritus eſt in procinctu, uxor in thalamo, cum non modo vinum dare, &c. enumerat enim ſumtus nuptiales. Alii putant, hanc vocem pertinere ad inſcripitonem Satyræ, & pro Ἀνθρωπουργία ubique reponunt Ἀνθρωπόπολις; quibus non aſſentior.

Ut Plautus ait.] Plautus Pſeudolo:

Quid ſi opus ſit, ut dulce promat indidem, ecquid habet? rogas?
Murrhinam, paſſum, defrutum, mellinam.

quo apparet, non inter vina modo murrhinam, ſed inter dulcia quoque nominatam, ut obſervat Plin. lib. 14, cap. 13.

ARMORUM JUDICIUM.] Hoc titulo fuit tragœdia Attii, item Pacuvii, quæ de contentione ducum Græcorum ſuper armis Achillis. Ab his Varro ſumſit, & inſcripſit Satyræ, cujus argumentum mihi non liquet; niſi eſt de philoſophorum diſſertationibus contentioſis magis, quam frugiferis.

Ut in litore cancri.] Dictum venustum in superbos & elatos incessu, quo proceram staturam mentiantur; cui affine Græcum illud, ἐπ' ἄκρων ὀνύχων βαδίζων, & Lucilianum de gallo gallinaceo victore:

Gallinaceus cum victor se gallus honeste
Sustulit in digitos, primosque erigit ungues.

Plautus Pœnulo:

Vix quidem hercle, ita pauxillula est, digitulis primoribus.

Turpilius Demetrio: *Sandalio innixa digitis primoribus*: ubi Primores digiti sunt primæ partes digitorum, aut summi digiti, ut loquitur Seneca ad Lucilium: *Non exsurgit in plantas, nec summis ambulat digitis, eorum more, qui mendacio staturam adjuvant, longioresque, quam sunt, videri volunt.* Sunt autem cancris pedes octoni, omnes in obliquum flexi: de quibus Plinius lib. 9.

Pagina 265.

BIMARGUS.] Hæc Satyra est in imperatores & duces bellorum, qui magnis imperiis & provinciis præsunt, magna bella gerunt, statuuntque excelsa tropæa; at serviunt interim cupiditatibus & deliciis, magnifica ædificia exstruunt, & exornant signis, tabulis, atque Corinthiis operibus: lautitias ciborum toto orbe terrarum exquirunt. Hi sunt nimirum τρόποι τρόπων, quos omnes heroas dicit nescisse, tenere solos istos imperatores, vi & imperio insolentes, quos vocat Bimargos, aut Vimargos, voce conformata ex Latina & Græca, ut Flexibulæ, Signosia, & Dentarpagæ.

Cum Quintipor Clodius.] Poeta ineptus, cujus meminit in Epistola ad Fuslum p. 199 his verbis: *Quintiporis Clodiani forias ac poemata gargaridians dices*, O fortuna, o fors fortuna.

Socius es hostis.] Socios, inquit, habes numero hostium, & cum his bellum ita geris, ut pulchra & bella omnia domum tuam deportes. Quod videtur dictum in proconsules, prætores, eosque, qui cum imperio provinciis præerant. Sed antiqui libri habent: *Socius es hostibus, cum sociis*; quomodo dixit Sallustius Jugurtha: *Sociis vestris veluti hostibus, hostibus pro sociis utuntur.*

Non Hercules potes.] Nonius, Agere interpretatus gerere: ex quo mihi aliquando legendum videbatur, *Non Hercules Potens, qui agebas, sed Conopiona.* Dictum venustissimum in ducem effeminatum, qui se tamen jactabat Herculem. Non

eras, inquit, Hercules ille potens, sed æmulabaris illum Conopiona, dum in bello culices arcebas conopeo: sicut Cleopatra regina, cujus

—Interque signa, turpe, militaria sol adspicit conopeum.
Conopiona autem dixit, sicut Cornopiona Herculem indigitant Œtæi, quod ipsos a locustis, quas κόρνοπας appellant, tutatus est, ut refert Strabo lib. 13. Potens epithetum proprium Herculis, exstat in antiquis inscriptionibus. in Hymno Orphei Καρτεροχείρ. Efficax Horatii Epodo:

Nec munus efficacis Herculis.

Sed Varro & alii veteres, in istiusmodi dictionibus fere N literam omittebant, ut Pons, Frons, Tunsus, Pransus: qua de re alibi. ex eo suspicor, hic in omnibus libris veteribus scriptum fuisse Potes, ut in augurum libris DIVIPOTES. Alii putant legendum: *Non Hercules potest, qui Augiæ egit κόπρον.*

Ut novum cribrum.] Hoc jacit in eos, qui, ut victorias suas ostentent, spolia capta publice suspendunt: sicut nova supellex solet domi novo paxillo affigi, unde pendeat. Ita Eumenidib. ait, Zenonem patrem illum Stoicorum, novam hæresin, novo paxillo suspendisse. id Græcis παττάλῳ ἀνακρεμάσαι, quod Eustathius putat proverbio dici, pro, negligentius curare aliquam rem, cum sit ostentare & proponere.

Omnes heroas negat &c.] Hic negationes duæ unius vim intendunt, Græcorum modo. Lucilius lib. 17 Satyr.

——— proprium vero nil neminem habere.

Cicero lib. 4 Academic. *Quod bonum quale sit, negat omnino Epicurus, sine voluptatibus sensum moventibus nec suspicari.* Idem lib. 3 de Finibus: *Sed quamquam negent Stoici, nec virtutes, nec vitia crescere.*

Vulcanum necdum &c.] Al. *Neccum.* Eandem superstitionem tangit Arnobius lib. 4: *Per humani generis coquinas currit, inspiciens & explorans, quibusnam lignorum generibus suis ardor excitetur in foculis: habitudinem fictilibus contribuit vasculis, ne flammarum dissiliant vi victa. Neccum* antiqua particula, pro ne unquam. ita Necunquam, pro ne unquam quemquam, veteres dixerunt auctore Festo: & Quæcum, pro quæcunque. Lucret. lib. 6:

Morbida vis quæcum extrinsecus insinuatur.

Præquam, præterquam. Cato lib. 1 Originum: *Fana in eo loco compluria fuere. ea exauguravit, præquam quod Termino fanum fuit id nequitum exaugurari.*

Pagina 266.

Trisulcum fulmen.] Trisulcum fulmen fuit dictum, quia id aut incendit, aut findit, ant terebrat. Servius lib. 2 Æneid. fulminum tria genera esse dicit: unum, quod afflat, seu fuligine obducit; alterum, quod findit; tertium, quod incendit. Hoc posterius Varro intelligit. Vide Festum Manubiæ & Trisulcum.

Cum allium ac cæpe &c.] Verba rancida & duriuscula, dicuntur allium ac cæpe olere. item homines parci aut egeni, quibus hæc victus, & ideo inter loquendum anima fœtida. Plautus in Mostellaria de servo impuro:

Germana illuvies, oboluisti allium.

Persius Sat. 4:

——— *tunicatum cum sale mordens*
Cæpe.

Κατάκρισις. *Est enim.*] Ita libri veteres, a quibus multum dissentiunt vulgati, qui *κατάχρησις est enim vera, cum in candel. pend. strigil.* Sed neutra lectio expedit observationem Nonii, annotantis hic Strigilis neutri generis: quam tamen ut alias multas, vanam esse ipse crediderim, atque ita Varronem scripsisse: *κατάχλυσις est enim vera, acausta in candelabro pendent strigilia.* hac sententia: Ut nullum usum præstant in candelabro pendentia velaria, vel qui non accensi,

dependent lychni laquearibus aureis:

ita nulli rei sunt imagines, statuæ, tropæa, si non virtutis splendore & lumine lucent. Strigilis, & lecythus, vel ampulla olearia habent usum in balneis; illa ad frictiones, hæc ad unctiones. Plautus Persa:

Ampullam, strigilem, scaphium, soccos.

Sed illud Strigilia est vox poetica, quæ hic significat lintea, velaria, aut id genus aliud, quod obstrigillat & impedit lumen.

Levis tippula.] Tippula insectum levissimum, quod aquas transit, superficiem tantum contingens: a quo forte dicta, quasi Tingula. sed & lino atque retibus adhæret, & in his sedem figit. unde Varroni, *tippula linifici*: etsi Junius & Scaliger hoc mutant in lymphorum aut lymson.

Legem Lucaniam.] Suspicor esse legem sumtuariam, a Varrone hic luci claro latam, & probatam. unde illi nomen, nisi a Græco λευκανία. Sed, ut dixi, suspicor tantum, non affirmo. Illud vero *scutulavimus*, an est Obscuravimus & intricavimus, a scutulis, seu pedicis aranei, quem Plinius vocat scutulatorem, quod insolubili nodo implicat pedicas.

Mihique divitum &c.] Θέσις Satyræ: sed in his verbis sunt pleraque mendosa, quæ nec restituere facile possum, nec explicare. Fortasse legendum: *Nixnque divitum stilo nostro papyrino levii scapos scapitio n. p. p.* hac sententia: Victorum divitum thesauros levavi, & exoneravi nummis. Scapos metaphorice vocat thesauros sive loculos, in quibus reconduntur nummi; sicut in scapo semina herbarum. unde Scapitium, quod in scapis includitur, vox poetica. Levii quarti ordinis, pro levavi, ut Agathone, *Cælo dolitus.* Cato de Re rustica: *Inter librum & stirpem artito.* Plautus Asinaria: *Auguratum est, impetritum est.*

Cum prytimum certum.] Legendum, *cum* ἐρίτιμον *certum*, vel, *rhytmion certum.*

Pagina 267.

CAPRINUM PRŒLIUM.] Caprinum prœlium, vel κρισμαχία, forma quadam proverbii dicitur disceptatio frivola & otiosa: ab eo, quod huic generi, lascivo & apto cornibus, inanium prœliorum crebra libido. Sic grammaticorum cavillationes de patria Homeri, de Ulyssis errore, & istiusmodi rebus nihili, eleganter dici possunt Caprina prœlia. Similiter Varro, opinor, certamen honoris & gloriæ, ceterarumque rerum communium & abjectarum, in quas vulgus temeraria contentione incumbit, Caprinum prœlium vocat. Porro Græcum titulum περὶ ἔριδος, ex veteribus libris, parva adhibita correctione, reposui: alii malunt περὶ ἡδονῆς, interpretanturque Caprinum prœlium, certamen rei venereæ. haud inepte. nam & capræ maxime salaces sunt, & ipsa vox prœlii venereum congressum denotat. Virgil. de equo ætate confecto:

——— *si quando ad prælia ventum est.*

Propert. lib. 2:

——— *angusto versamus prælia lecto.*

Arnob. lib. 3: *Hellespontiacum Pripum inter Deas virgines atque matres circumferentem res illas, prœliorum semper in expeditione paratas.*

CAVE CANEM.] Cave canem, elogium, inscribi solitum in janua, quo ignoti ædium ingressu arcerentur. Nam veteri more canes ad ostium, non vivi modo, sed vel sculpti, ut in regia Alcinoi:

Χρύσεοι δ' ἑκάτερθε καὶ ἀργύρεοι κύνες ἦσαν,
Οὓς Ἥφαιστος ἔτευξεν ἰδυίῃσι πραπίδεσσι
Δῶμα φυλασσέμεναι μεγαλήτορος Ἀλκινόοιο,

Ἀθανάτους ὄντας, καὶ ἀγήρως ἤματα πάντα.

vel picti in pariete, ut in fornice Petroniana, in qua non longe ab ostiarii cella canis ingens, catena vinctus, in pariete erat pictus, superque quadrata litera scriptum, CAVE CANEM. Hoc uti conveniet more proverbii, quoties admonebimus, cavendum esse ab homine maledico & obtrectatore, qui velut canis oblatrat, & si quem lædat, nihil præter κυνὸς δῆγμα: aut ab hospite sordido vel inhumano, & minime hospitali, cui ad ostium canis acer & mordax, qui ignotos, vel parum acceptos domino, ab aditu ædium suarum arceat. hinc apud Varronem Eumenid. Cynicus quidam suæ præbitionis die, in januam jubet inscribi hoc elogium, CAVE CANEM, nimirum ne ingrederentur, qui ad illum constituerant. Quamquam jaci etiam potest in custodem plus nimio vigilantem. nam antiqui custodes appellabant Canes. Æschylus Agamemnone:

Λέγοιμ᾽ ἂν ἄνδρα τόνδε τὸν σταθμὸν κύνα
Σωτῆρα νηός.

& contra, canes Custodes. Virg. de Cerbero:

——— *custode sepulto.*

Pagina 268.

COSMOTORINE.] Cosmotorinem & Plutorinem Varro Satyras inscripsit, in quibus videtur disseruisse, repentinas calamitates bellorum, eluvionis, pestilentiæ, turbare mundum & divitias, & tandem conficere atque consumere. perinde ac cochlear omnia, quæ in olla, commiscet, & ut lima ferrum atterit. Τορύνη, genus cochlearis, cujus meminit Aristoph. in Equit.

Σκεύη δύω χρησίμω δοίδυξ ἠδὲ τορύνη.

Grammatici exponunt τὸ κινητήριον τῆς χύτρας. Latini vocant Truam, a terendo. Titinius Setina:

Coquus magnum ahenum, quando fervit, paulo confutat trua.

Singulos lectos.] Lucilius:

Lanæ opus omne perit, squallor, tineæ omnia cædunt.

Videtur autem Varro probare exemplo domus ornatæ & instructæ, cujus supellex deperit paulatim, item in mundo homines, animalia, urbes, sensim interire; ut ait Lucretius:

Inque dies privos aborisci quæque creata.

Soliarde vigebat.] Forte legendum, *soliar desigebat.* Soliar significat sedile, & velum pictum variis coloribus, quo solium sternitur, sicut toral, quo tegitur torus. Festus: *Soliar sternere*

dicuntur, qui sellisternium habent; & Soliaria vocantur Babylonica, quibus eadem sternuntur.

Toga tracta est.] Toga pacis, Abolla militiæ: & hæc quidem propria ducum & præfectorum, ut hic locus indicat, & versus Juvenalis:

Nescit, cui dederit Tyriam Crispinus abollam.

Suetonius Caligula: *Convertisse hominum oculos fulgore purpureæ abollæ, animadvertit.* Ea hic seni data ad turbam, veteri instituto, quo in magnis tumultibus etiam senes, & alii omnes, qui vacationem habebant, nomina dare cogebantur. Liv. lib. 7: *Et cum, quod per magnos tumultus fieri solitum erat, justitio indicto, delectus sine vacationibus habitus esset, legiones, quantum maturari potuit, in Auruncos ductæ.* idem lib. 6: *Tertius exercitus ex causariis, senioribusque scribatur.*

Africa terribilis.] Sumsit ab Ennio, cujus versum Cicero refert:

Africa terribili tremit horrida terra tumultu.

&, ni fallor, loquitur de bello Punico II, quo totius Africæ, & Romani imperii vires, infestis signis concurrerunt. Sed prior versus meo judicio ita legendus est:

Africa terribilis contra concurrere, Didûs:

qui est genitivus Græcus, ut apud Virgil.

Fatidicæ Mantûs:

de quo satis multa Charis. lib. 1. Alter versus est ἀκέφαλος, ut ille Eumenid.

Maximum cædit ferro, sed cædere Ulyssem.

& Lucilii lib. 30:

Quod tuas laudes culpes, non proficis hilum.

Item Virgilii lib. 2 Georgic.

Tmolus assurgit, quibus & rex ipse Pheroneus.

Atque Ægeus fluctus.] Quam urbem dicat, ignoro: ideo nec de lectionis integritate certi aliquid statuere possum. conjecturam tamen meam proponam. Suspicor legendum esse:

——— *atque*

Gæeos, fluctu quam lavit ante aquilo:

Sævus ubi posuit, &c.

Gæeus, ut limosus, epitheton Nili, cujus fluctus aquilus, ut Homerus μέλαν ὕδωρ, & Apollonius μέλας πόντος. Sævus Neptuni filius, est Busiris rex Ægypti, qui hospites omnium gentium immolare solitus fuit. ex quo Virgilius:

——— *illaudati nescit Busiridis aras.*

Is condidit urbem, ut Diodorus Siculus testatur, Ἡλιόπολιν

ab Ægyptiis appellatam, a Græcis vero Θῆβας: quas Homerus prædicat centum portas habuisse, per quarum quamlibet reges soliti erant maximos exercitus educere. Unde illa tam opulenta civitas diruta & vastata, clarissimum fuit exemplum interitus urbium, quo hic utitur Varro. & Juvenalis:

Atque vetus Thebe centum jacet obruta portis.

Pagina 269.

Detis habenas &c.] Coronis anapæstica. *Anima lenis*, ut Lucretius lib. 5:

Aurarumque leves animæ, calidique vapores.

Ibidem:

Ventorum pavidus paces, animasque secundas.

Cato de consulatu suo: *Inde omnem classem ventus auster lenis fert.*

Flamine sudo.] Lucilius libro 29:

Ventorum flamina flando suda secundent.

Attius Prometheo:

Profusus flamine hiberno gelus.

Cras credo &c.] Dictum Academicum, quod usurpamus aptissime, cum in rebus dubiis & incognitis, affirmandi arrogantiam vitantes, liberum nobis judicium in posterum reservamus; quia, ut ait Pindarus:

Ἡμέραι δ' ἐπίλοιποι μάρτυρες σοφώτατοι.

Varro inscribit Satyræ, quæ est in homines leves & inconstantes, quorum vagatur animus errore, nec habet unquam quod sequatur, aut in quo consistat. Quales εὐριπίστους multos hodie est invenire, quorum pars in studiis inanibus bonam ætatem consumunt, & divinis literis consignatæ fidei doctrinam non attingunt nisi in senectute: pars certissima fidei decreta, quasi Dædalea opera versant, &, revocant in disceptationem, nec in illis unquam sibi constant.

Cygnus.] Cygnum inscribit Satyram, in qua sepulturæ & funeris sumtus, ritusque vanos exagitat: quia cygnus in hæc unicum exemplum, ut qui moriens, *Dulcia defecta modulatur carmina lingua*: tum collo directo, & expansis alis se componit. Hoc primum, quamvis neget Aristoteles, tamen præter quod idonei auctores tradiderunt, etiam homines fide digni nobis affirmarunt, audivisse cygnum multo cantu funus suum præeuntem.

Tua templa ad alta.] Ennius in Andromacha, Templa alta vocat loca inferorum, obscura & profunda:

Achetusia templa, alta Orci, pallida.
Varro hic sepulcra. apte. Templi notio enim tam laxa est, ut significet quodvis domicilium hominum & inferorum. Hinc & Virgilius pro sepulcro posuit lib. 4 Æneid.

Præterea fuit in tectis de marmore templum,
Conjugis antiqui.

Phani, properans &c.] Phanius quidam homo curiosus & rerum suarum satagens, solebat exquisita opera obstruere fores ædium, ne se inscio, vel invito, quis intraret. Sed omnis illa obstructio frustra erat. nam & fures, artificio quodam reseratis foribus, e cella penum omnem auferebant clanculum, & adulteri per tegulas ad uxorem furtim commeabant. Idem, aut alius Phanias, solebat penetralia arcte custodire, simulans, reposuisse magnas divitias, cum nummum nullum haberet, auctore Eustathio Odyss. ω. Itaque in proverbium abiit, ἡ Φανίου θύρα, de custodia operosa, eademque inutili atque fallaci. Hinc Varro, opinor, in persona Phanii notat istos curiosos, qui in condendis & asservandis corporibus mortuorum, nimiam curam & sumtus immodicos impendunt. quocunque enim loco, vel modo, cadavera componantur, in ea penetrat occulta naturæ vis, & conficit ita, ut nec vola, nec vestigium appareat. Tum vero sepulcra illa sublimia, & magno opere structa, munitaque, quid sunt, nisi ἡ Φανίου θύρα?

Denique si vestimenta &c.] Tangit morem comburendi cum mortuo vestes discissas. Virgil. de Miseni funere:

Purpureasque super vestes velamina nota
Injiciunt.

Suetonius in Cæsare: *Scenici artifices vestem, quam ex instrumento triumphorum ad præsentem usum induerant, detractam sibi atque discissam, injecere flammæ.*

Democritus, qui &c.] Mel hanc efficaciam habet, ut putrescere corpora non sinat. ex quo Democritus voluit, defunctos in melle condi & asservari: quomodo conditus Hippocentaurus ex Ægypto allatus fuit Claudio Cæsari. Vid. Plin. lib. 22, & Athenæum lib. 2 Deipnosophist.

CYNICUS.] Priscianus lib. 8: *Varro Cynico: Si mehercule purgant, &c.* Ubi fortassis legendum, *Diem hercule purgant*, ut Persius:

——— *noctem flumine purgas.*

vel, quod magis puto, *Cynico sine Hercule purgante*, ut Satyræ inscriptio sit: CYNICUS SINE HERCULE PURGANS. tum fragmentum: *Deorum cura non satisfacitur reipublicæ.* Cynici

irridebant lustrationes & purgationes, quibus noxa aliqua expiabatur: & cum vulgus purgamenta, velut abominanda, mitteret in aquam profluentem, aut in mare, ipsi etiam his vescebantur. Lucianus de Cynico, Ὃν ἔδει τῆς Ἑκάτης τὸ δεῖπνον φαγόντα, καὶ τὰ ἐκ τῶν καθαρσίων ὠά.

Pagina 270.

DESULTORIUS.] Desultorius intelligitur equus expeditus, & paratus ad usum insiliendi desiliendique: sive in prœlio, in quo binos trahere equos sine ephippiis, & in recentem ex fesso transultare, militaris instituti fuit: sive in circo, ubi solemne genus certaminis, ex equo in equum transiliendo, contendere citato cursu ad metam. Cicero pro Muræna: *Quasi desultorius in quadrigarum curriculum.* Hinc Desultorius titulus Satyræ Varronianæ, qua invehitur in Tritones illos, qui voluptariis navigiis in mari lasciviunt, certantque, quasi in circo solent desultoriis equis. Quos Seneca lib. 7 de Benefic. notat his verbis: *Cui triremes & cæratas non mitterem, lusorias & cubiculatas, & alia ludibria regum, in mari lascivientium, mittam.* Homer. de Ulysse naufrago Odyss. Σ:

Ἀμφ' ἑνὶ δούρατι βαῖνε κέληθ' ὡς ἵππον ἐλαύνων.

a quo Varro fortassis titulum sumsit.

Domini delicias.] Libri omnes: *In aliis domini.* ego priora duo verba judicavi pertinere ad Græcam inscriptionem, quam ita restitui, περὶ τρυφῆς σὺν ἄλλοις: quæ emendatio ita certa est, ut nihil sit necesse in ea confirmanda longiorem orationem insumere.

Faselo nactum.] Emendandum opinor, *faselum actum*, hoc sensu: Faselum, delicias domini, actum & impulsum, hoc, quantumvis leve & parvum incommodum, servus tonsili remo luit. *Tonsilis remus*, aptus ad tundendum cælandumque. *Flicta*, agitatio, impulsio, ab obsoleto verbo Flicto vel fligo: quo tamen Virgil. usus.

DOLIUM.] Diogeni Cynico domus fuit dolium fictile ex terra, aptum excipiendo soli, & avertendis pluviis ac ventis, tum immune a flammis:

——— *dolia nudi*
Non ardent Cynici: si fregeris, altera fiet
Cras domus, atque eadem plumbo commissa manebit,

ait Juvenalis. Ab hoc titulus Satyræ, quæ fortassean de ædificiis.

Pagina. 271.

A cælatura Cælum.] Plin. lib. 2 hunc locum respicit: *Quem κόσμον Græci nomine ornamenti appellaverunt, eum & nos a perfecta absolutaque elegantia Mundum. Cælum quidem haud dubie cælati argumento diximus, ut interpretatur M. Varro.*

Alium curvantem.] Non dubito, quin legendum sit, *turbantem.* Virg. lib. 9 Æneid.

Impastus ceu plena leo per ovilia turbans.

Turbare pro miscere, agitare, volvere, absolute, ut hic, utitur lib. 3 de Re rustica: *Cum mare turbaret.* & Lucretius lib. 5:

——— quare pugnare necessum est
Dissimiles inter se res, turbareque mixtas.

Nisi quis malit *cursantem*, ut dixit Seneca ad Lucilium: *Circa lucem discurritur.* Porro totus hic locus ita constituendus est:

Animum meum mitto speculatum toto orbe, uti
Quid facerent homines, cum exporrecti fient,
Me faceret certiorem: si quis sumeret
Me melius operam, ut ejus consilio potius
Vigilium adminicularem nostrum: qui videt
Alium turbantem extremo noctis tempore.

Opinionibus ventilabundus.] Antiqui libri, *vertilabundus*, quod rectum puto. ut enim a Conscribo Conscribillo, a Sorbeo Sorbilo, ita a Verto Vertilo, unde Vertilabundus, qui vertigine actus cadit.

Divitum apothecas.] Ita Turnebus emendat, & censet, Varronem hoc jacere in prodigos & ebriosos, qui nati sunt vino in vesicam colando, quique cellas divitum vinarias epotas effundunt in matulam, quam dicit communem, quod in eam confluit vinum omne; ut communis locus dicitur Acheruns, quo omnes post mortem eunt. Approbo emendationem: cetera aliter sentio. Apothecæ Chiæ, cellæ, in quibus vinum Chium repositum, quod omnium præstantissimum regnabat mensis divitum. Unde Lucilius χίοστε δυναστής. Matella hic sumitur pro modulo potus, ad quam accommodare modum bibendi admonemur proverbio illo, Est modus matulæ. Sic Patella pro modulo cibi, eleganti illa sententia Eumenid. *Patella esurienti posita, provocat Neapolitanas.* Hoc ergo Varro voluit dicere his verbis: Divitum exquisitas & superfluas potiones, revocat ad communem & temperatum usum potus.

Eris iterum exporrectus.] Nonius hoc verbum, ut rarum, observat. frustra. nam haud dubie scripsit Varro *experrectus*,

vel *exporgitus*. Similiter in his libris mutat Innoſco, & Propius, in Ignoſco, Prodius: manifeſto errore.

Pagina 272.

ΕΠΙΤΑΦΙΩΝ.] Ἐπιταφίων nomine intelligit Varro omnem cultum & honorem, qui mortuis ſolebat deferri poſt ſepulturam: cujus generis elogia, parentalia, ſebrua, & ſimilia: quorum ambitione non modo claros & honoratos viros, ſed homines etiam privatos & infimos exarſiſſe, teſtantur monumenta, quibus prope omnes provincias repleverunt. Epitaphiorum autem uſum non inutilem eſſe oſtendit Cato ille ſenex, qui apud Ciceronem in libro de Senectute profitetur, ſe legendis ſepulcris in memoriam redire mortuorum.

Ἐν δέ τισι κ. τ. λ.] Vetus editio, *Varro* επιταφιων ευδετισι, περι εντaφιων. Alibi, *Varro* περι επιταφιων. utraque lectio corrupta, ex qua eruere meliorem nondum potui.

Ubi maneant capeti &c.] Libri, inquit, ſunt indices loculorum, quibus conduntur cineres atque oſſa Deorum, heroumve: quoniam in ſepulcris nulla nota, nullum ſignum apparet. κάπετος, ſpecus, foſſa, ſcrobs, & omne cavum terræ rebus condendis. itaque notio ejus laxior, quam τάφου.

Quoniam in ſepulcris &c.] Laertius lib. 8 de Empedocle: Οὐδὲν δὲ παράδοξον τάφον αὐτοῦ μὴ φαίνεσθαι, μηδὲ γὰρ ἄλλων πολλῶν. Juvenalis:

——— *data ſunt ipſis quoque fata ſepulcris.*

Auſonius Epigrammate 34:

Miremur periiſſe homines? monumenta fatiſcunt.
Mors etiam ſaxis, nominibuſque venit.

Nec vola, nec veſtigium.] Hoc proverbii uſum habet, cum res evanuit ita, ut ne indicium quidem, vel ſignum ullum ſuperſit. nota enim communis eſt vel manus, vel pedis impreſſio. Exſtat & Taphemenippo.

ΕΠΙ ΤΗ ΦΑΚΗ.] Hunc titulum obtinere locum proverbii, indicat Gellius lib. 13. *Videte tamen*, inquit, *ne exiſtimetis ſemper, atque in omni loco, mortales multos pro multis hominibus eſſe dicendum, ne plane fiat Græcum illud de Varronis Satyra proverbium*, Ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον. Quod Varro jacit in homines ſumtuoſos pariter & inertes, qui nihil poſſunt, vel animi contentione, vel labore corporis efficere, & ſunt in omni vitæ ratione vel labore lauti ac elegantes. Cum autem vitam, quam tenuis cultus corporis facile ſuſtentat, obruunt copia,

atque rerum omnium affluentia, tum vero lenti admiſcent unguentum.

Nec multinummus.] Ita lib. 3 de Re ruſtica: *Multinummos alo aſinos.*

Elops.] Lucilius de elope: *Quem præclarus elops.*

Legendo.] Hoc monitum, ſeu conſilium, libenter amplecti decet omnes politiori humanitate tinctos, quoniam ipſe, qui dedit, conſtantiſſime in illo perſeveravit. Varro enim ad octavum & octogeſimum annum vitam produxit, &, quo extrema etiam hora ſtudiorum fructus ferret, in lectulo ſuo compoſitus, ſcriptione occupatus, ſpiritum emiſit. Quod autem dicitur, *vitam procudere*, tralatitium eſt a fabris ærariis, qui ferrum cudendo malleis producunt & extendunt. Sic, Procudere dolos, Plautus. Lucretius, Procudere ſecula, prolem, voluptatem.

EST MODUS MATULÆ.] Hoc proverbium monet, adhibendum eſſe modum compotationi & ebrietati, de quo vide locum illum Endymion. *Divitum apothecas.*

Vino nihil jucundius.] Elegantes & ſuaves verſiculi, digni cyathis & poculis, non modo libris, inſcribi. Commendant autem moderatum uſum vini, qui multa ad res neceſſarias invitamenta affert, & animi ſimul & corporis ægritudini medetur. nam vinum immoderate hauſtum, noxium eſt & letale; quod vere monet Lucilius:

Scito enim bene longinquum mortalibus morbum
In vino eſſe, ubi qui invitavit dapſilius ſe.

In uxorculæ opicillum.] Suſpicor Opicillum hic ſignificare vaſculum picatum, quo vinum conditur & aſſervatur, a verbo Opico, quod eſt apud Catonem de Re ruſt. vel μεταφορικῶς uſurpari pro veſica, quæ eſt quaſi vas aliquod aut receptaculum potus, ut venter cibi. unde Plautinus Saturio in Perſa;

Nolo in veſicam quod eat, in ventrem volo.

Similiter autem Varro dixit Octogeſi, *addere in bulgam, in veſicam*, id eſt, dare & conferre. & lib. 4 de Ling. Lat. *Cum in dolium aut culleum vinum addunt ruſtici.*

Pagina 273.

Simpuvio vinitari.] Eſt vinum dari, quod in ſacrificiis fiebat Simpuvio. Varr. lib. 5 de Ling. Lat. *Quo vinum dabant, ut minutatim funderent, a guttis Guttum appellarunt, & quo ſumebant minutatim, a ſumendo Simpuvium nominavere.*

Melicas Calenas, obbas.] Μέλη Græcis est genus vasis, aut poculi fictilis, cujus meminit Athenæus lib. 11. unde fortassis Varroni Meliçæ Calenæ, a Caleno oppido Campaniæ nobili, præstantis vini feracitate. *Obba* poculum ingens & capacissimum, vel ligneum, vel ex sparto. Tertullianus in Apologet. *Quid differt ab epulo Jovis silicernium? a simpuvio obba? ab haruspice pollinctor?*

Cumanos Calices.] Calix Cumanus, genus poculi figulini, quod Cumæ dabant, ex rubra argilla. Martial. lib. 4 Epigr.

Hanc tibi Cumano rubicundam pulvere testam
Municipem misit casta Sibylla suam.

Helio πιοπο· olfacit.] Cælius Rhodiginus lib. 13 putat, hunc locum commode posse restitui, si legamus, *heluo πίπας*, vel *οἰνοπίπας*: quæ vox, inquit, temulentum significat *παρὰ τὸ πιπίζειν*, id est, sugere. Alii aliter; nec est necesse singulorum sententias a me recenseri. Ipse emendarim *helluo, δίοπος olfaciet.* Mos vetus fuit, dare osculum feminis, ut sciretur, an temetum olerent. Hinc Varro ait, Qui continuo ingurgitat in se merum, is si velit explorare uxoriam temulentiam, quomodo olfaciet temetum? Δίοπος, spectator, cognitor, procurator; quo nomine recte censetur rex & princeps, auctore Æschylo.

Ismenias hic Thebogenes.] Ismenias Thebanus, tibicen celeberrimus; quem Varro ait, opulentia & luxuria diffluere: & Plinius refert, multis fulgentibusque gemmis uti solitum, instituisseque, ut omnes musicæ artis gemmarum ostentatione censerentur. Celebratur dictum Antisthenis philosophi, qui cum audisset, Ismeniam optimum haberi tibicinem, *At homo nequam est*, inquit. *nam si probus esset, tibicen non esset.*

ΕΥΡΕΝ Η ΛΟΠΑΣ ΤΟ ΠΩΜΑ.] Hoc proverbio uti conveniet, quoties vitæ societate & communione junguntur, qui moribus, vel affectionibus similes sunt. ut cum

Uxor pessima, pessimus maritus:

discipulus indocilis, præceptor parum doctus: vel cum causa non honesta & probata, qualicunque patrocinio defenditur, aut prætextu honestatur; ut apud Maronem Dido infelicem amorem suum, *Conjugium vocat, hoc prætexit nomine culpam.* Hieronymus contra Rufinum: *Quod librum Eusebii pro Pamphili verteres, quod tuum quasi operculum, venenatæ patellæ imponeres.* Atque hoc sensu Varro illud inscribit Satyræ, quæ lacerat malitiosum genus adulatorum, qui non modo loquuntur ad voluntatem alterius, sed etiam omnia dicta, factave

quantumvis improba, excipiunt plausu, acclamatione, murmure. hæc apte dicuntur ἠχητικὰ καθηκόντα, & ipsi parasiti ἠχέται, quasi obstreperi & clamosi, quales in scena inducebantur inter mimos secundarum partium, auctore Festo. Alii legunt περὶ καθηκόντων, ἢ περὶ γεγαμηκότων. Quid si? περὶ τῶν μιμητῶν.

Ταμιεῖον συνέχων.] Dictum festivum de mensa copiosa & instructa, in qua velut penus omnis apponitur. Profertur autem hic εἰρονικῶς ab adulatore callido & versuto, qui, ut extollat tenuem apparatum mensæ, quasi unus hominum priscæ frugalitatis & parsimoniæ, acclamat ταμιεῖον συνέχων, Cellam penariam ferens. Nimirum ficti adulatores, ut ait Petronius, cum cœnas divitum captant, nihil prius meditantur, quam id, quod putant gratissimum audientibus fore. nec enim aliter impetrabunt, quod petunt, nisi quasdam insidias auribus fecerint.

EUMENIDES.] Tractat dogma Stoicorum, πάντας ἀνθρώπους μωροὺς εἶναι; & generatim colligit, Reges, philosophos, sacerdotes Magnæ matris, ebrios, avaros, prodigos, pro insanis censeri debere. idem probat Horatius lib. 2 Sat. 3. Porro Eumenides easdem vocat Furias & Pœnas.

Plenus vini] Ita Terentius, *Vini plenum.* Horatius contra, *Inane vini dolium.*

Dum (*essena hora* —) Locus corruptus, & qui sententiam nullam ejiciat, ita fortasse restituendus: *Dum æs* (*στενόποροι nam ad latera*) *imponeret ædilis signosiæ, Deam gallantes vario retinebant studio.* Apta sententia. Dum, inquit, ædilis inferret stipem cellæ, cujus ad latera erant angusta foramina, in modum thesauri, Galli Deæ laudes dicebant, occinebantque varias salutationes atque nænias, quibus moris erat Diis valedicere, & tanquam pueris occupare somnum. Quod merito ridet Arnobius lib. 7. *Quid*, inquit, *domuitiones illæ, quibus, bene ut valeant auspicabili salutatione mandatis? Somni enim quiete solvuntur, occuparique ut hoc possint, lenes audiendæ sunt næniæ.* Porro Æs vocat stipem, quam Galli totum diem emendicabant, & vesperi ædilis inferebat thesauro. Festus: *Impensam stipem, æs sacrum, quod nondum erat pensum.* Στενόποροι, foramina angusta, ut lib. 6 de Lingua Lat. *Delphis in æde foramen vallatum est quoddam, in thesauri speciem.* Sed videtur antiqua lectio commode posse restitui, unius literæ adjectione, ut legatur, *sena phora nam.* φορὰ est collatio, ἔρανον, & ea hic sena ad latera

Gallorum, qui totum diem, immo mensem, rogabant stipem; nisi quis etiam malit, *jam adlata erat.*

Ædiclis signosia.] Est cella vel ædicula, in qua reponitur signum, statuave. νόσσια, vox Græca, significat nidum, mansiunculam, loculamentum: sed Varro ut Latinam abutitur, atque ita componit, ut Bimargus, & Dentarpage: de qua ratione compositionis Quinctil. lib. 1: *Ex nostro & peregrino, ut biclinium; aut contra, ut epitogium, & Anticato.*

Pagina 274.

Strobile, omittis.] Strobilus, servus Plauti Aulularia, nomen habet a cochleæ natura, quam στρόβιλον vocant; aut a deformitate corporis. στρόβιλον enim Græci σχολιὸν, καμπυλὸν, pravum & incurvum dicunt.

Nam ut arquatis &c.] Lucretius lib. 4 idem tradit de arquatis, sive ictericicis:

Lurida præterea fiunt quæcunque tuentur
Arquati: quia livoris de corpore eorum
Semina multa fluunt, simulacris obvia rerum.
Multaque sunt oculis in eorum denique mixta,
Quæ contage sua palloribus omnia pingunt.

Similiter Galenus lib. 1 de Causis symptom. asserit, ictericis omnia tum videri flava, cum tunica oculorum cornea, bile rubea cum sanguine infecta est, vel potius oppleta. *Veternosus* hic est phthisicus, cui solet corium veterno atque scabiosa macie exasperari, ut ait Apulejus lib. 9 Metamorph.

Furiis incinctum.] Ita Catullus de comitibus Bacchi:

Pars sese tortis serpentibus incingebant.

Vetus poeta:

Ceruleæ incinctæ igne incendunt.

Silius lib. 15:

——— *apparent mœnia Grajo,*
Condita Massiliæ, populis excincta superbis.

Pagina 275.

Discumbimus mussati: dominus maturo ovo cœnam committit.] Veteres cœnam ab ovis auspicabantur, pomis finiebant. Cicero ad Pætum: *Integram famem ad ovum affero.* Horat. lib. 1 Sermon.

——— *si collibuisset ab ovo, usque ad mala.*

Huc pertinet, quod Varro dicit: *Ovo cœnam committere*, id est, incipere, ordiri: nimirum ut Committi dicuntur ludi, cum, signo dato, quadrigæ e carceribus emittuntur.

Patella esurienti posita &c.] Hæc sententia indicat, majorem percipi voluptatem ex tenui victu, quo cum desiderio ad naturæ necessitatem fruimur, quam ex magnificis epulis, soli luxuriæ & ventris libidini paratis. Est enim verum illud, quod Socrates dicere solebat, *Cibi condimentum esse famem, potionis sitim.* Patella, genus vasis, aptum ad usum cibi communis, ut oleris, pulmenti. Horatius Epist.

Nec modica cœnare times olus omne patella.

Neopolitanæ piscinæ, deliciæ divitum, & gulæ otiique fomenta, celebrantur a Plinio lib. 9.

Dum sermone cœnulam variamus, Interea tonuit bene tempestate serena.] Sumsit ab Ennio lib. 2 Annal.

Quom tonuit lævom bene tempestate serena.

de quo dixi ad Satyram, Læx Mænia.

Inscribit Scantius.] An a flavis capillis nomen habet, aptum homini lauto, & voluptario? Extat Tergisti in veteri inscriptione, P. SCANTIUS PHILETUS FECIT SIBI ET SCANCIÆ. *Hornum* ipsius anni accipit Nonius, ut sit hic sensus: Die meæ præbitionis, quo decebat convivas festive & hilariter accipere, ego in januam jusseram inscribi, CAVE CANEM, ne ingrederentur, qui ad me constituerant: & cum in eo essem occupatus, atque in schola res graves & ferias tractarem; Scantius, homo festivus, inscribit, H. P. D. id est, frugibus ipsius anni præbebit, & convivas accipiet. Sed potest etiam legi, *curarem inscribi* T. SCANTIUS H. P. D. scilicet habebit scholam. Cujus moris meminit Lucianus in Hermotimo: *Πινάκιον γάρ τι ἐκρέματο ὑπὲρ τοῦ πυλῶνος μεγάλοις γράμμασι λέγον, τήμερον οὐ συμφιλοσοφεῖν.*

Beluæ, an de albu &c.] Græcas voces fuisse crediderim, quas imperiti librarii non intelligentes, Latinis characteribus perscripserunt, &, quod sæpe alias, depravarunt. An vero Gallos vocat belluas cristatas? quales depingit Lucretius:

——— *in numerumque exsultant sanguine læti,*
Terrificas capitum quatientes numine cristas.

ut fortean legendum sit: *ἐν κεφαλῇ quibus λόφος ἀτενὴς*, vel *ἀντ' ἀλκῆς quibus λόφος ἀτενὴς*, insigne fortitudinis, quibus rigida crista. Lucianus de Gallo ave: Ὡς ἀντὶ τοῦ κράνου τὸν λόφον ἔχειν ἐνοι τῇ κεφαλῇ. Sed cur Galli videbantur colubræ? an propter lubricos motus, & contortos crines, quos

jactabant? de quibus Apulejus: *Absonis ululatibus constrepentes fanatice pervolant: denique capite demisso, cervices lubricis intorquentes motibus, crinesque pendulos in circulum rotantes.* Statius lib. 10:

Sanguineosque rotant crines.

Cur vero *Cercopitheci?* an trahebant caudas? de quo mihi non liquet.

Item Tragici prodeunt &c.] Tragici primum nuda ora perungebant fæcibus vinaceis, a quibus nonnulli Tragœdiam nomen accepisse opinantur, quasi τρυγῳδίαν: post ab Æschylo reperta persona, cujus operimento caput & os tectum undique. Hinc Varro dicit, Tragicos olim fuisse ore fæcibus peruncto; nunc prodire capite gibbero, id est, exstanti & eminenti. Prudentius lib. 2 contra Symmachum:

Ut tragicus cantor ligno tegit ora cavato,
Grande aliquid cujus per hiatum crimen anhelet.

Damacrinus insanus.] Emendarim, *Damacrinus sanus equiso* ἔξω βεβαίοις *morbi fluctibus educit unquam.* hac sententia: Qui sunt domitores equorum, ex his nemo sanus educit furentem equuleum, ubi jam furor est assiduus, & haud fere unquam intermittit. Damacrinus, domitor, quasi ὁ κρίνων τὴν δάμασιν.

Maximum cædit ferro.] Versus est ἀκέφαλος, quod genus alibi observavimus. Intelligit vero Ajacem, qui ob successionem armorum Achillis Ulyssi adjudicatam subito furore correptus, gladio districto silvam petiit, & existimans, se Græcorum copias cædere, gregem pecorum trucidavit: tum duos maximos sues, trabe suspensos, quos putabat esse Agamemnonem & Ulyssem, flagris cæcidit.

Pagina 276.

Furando tamen &c.] Videtur legendum *frudando;* ut Plautus Aulular.

Egomet me frudavi, animumque meum, geniumque meum.

Terent. Phormon.

Suum defrudans genium comparsit miser.

Quemadmodum autem servi de dimenso suo subtrahebant, & sedulo convasabant peculium, ut tandem se peculio suo redimerent ex servitute; sic avari ex se ipsis quærebant & cogebant peculium, quod præsidii causa seponebant, ut eo necessitatis tempore uterentur. de quo peculio Celsus lib. 9 Dige-

ſtor. *Audiſſe ſe ruſticos ſenes ita dicentes: Pecuniam ſine peculio fragilem eſſe: peculium appellantes, quod præſidii cauſa ſeponeretur.*

Herculis, athletæ.] Hercules idem athleta, idem gladiator. ex quo Vejanius Horatianus, cum rudem accepiſſet,

— *armis Herculis ad poſtem fixis, latet abditus agro.*

Empedocles natos &c.] Empedocles philoſophiam verſibus tradidit apud Græcos, ut Varro & Lucretius apud Latinos. in his de origine humana ita ſtatuit: Membra ſingula ex terra, quaſi utero prægnantis, temere profuſa, mox coiiſſe & effeciſſe ſolidi hominis materiam, permixtam igni & humori. Vid. Laertium & Cenſorinum de Die natali.

Ego medicina a Serapi.] Serapis princeps Deus in Ægypto, ut in Latio Saturnus. credebatur morbos immittere. unde eſt in Epigrammatis Græcis:

Ἐνθάδε παιδεύουσιν, ὅσοις κεχόλωτο Σεράπις.

rurſus eoſdem curare, quod Varro hic indicat. Laertius lib. 5 refert, Demetrium Phalereum philoſophum, cum Alexandriæ amiſiſſet oculos, a Serapide rurſus illos accepiſſe. & Tacit. lib. 4 Hiſt. de origine ejuſce Dei multa narrans, ſcribit, nonnullos putare, Serapin eſſe Æſculapium, qui ægris corporibus medeatur.

Quotidie precantur.] Hic mutatum genus verbi Nonius obſervat. an ergo Varro dixit: *preco ter*, vel, *præcanturio*, ὑμνέω. Porphyrius quidem Περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων, de eodem cultu Serapidis agens, ὑμνῳδοὺς memorat.

ΘΕΩ ΕΡΑ] Eſt præceptum pietatis in Deum, quod præſtat cetera ſapientum dicta, quæ pro foribus templi Delphici inſcripta celebrantur.

Pagina 277.

Cepam eſſe, & veſci cuminum.] Id eſt, Flere & pallere. Cepam eſſe, κρόμμυον ἐσθίειν, proverbium Græcorum, de iis, qui videntur lacrimari. Cuminum veſci, aut bibere, dicuntur, qui pallent. Plin. lib. 20 de cumino: *Omne pallorem bibentibus gignit. Ita certe ferunt Porcii Latronis, clari inter magiſtros dicendi, aſſectatores, ſimilitudinem coloris, ſtudiis contracti, imitatos: & paulo ante Julium Vindicem, aſſertorem illum a Nerone libertatis, captatione teſtamenti ſic lenocinatum.*

Phrygios peroſa &c.] Galli ſacerdotes, Magnam matrem Deûm per urbem ferentes, incinebant cornua.

——— *rauciſonoque minantur cornua cantu,*

ait Lucretius. Varro, mutato genere, dicit *cornus*, quomodo veteres locutos monuit Priscianus lib. 6. Quamquam hæc eadem paulo aliter recitat Nonius in voce Anima: *Phrygios per ossa cantus liquida canit anima.* ut Apulejus lib. 8: *Tinnitu cybalorum & sonitu tympanorum, cantusque Phrygii mulcentibus modulis excitus.* Est autem metrum hoc Gallijambicum, quod genus solemne & proprium Gallis sacerdotibus Cybeles, in hujus Deæ sacris, de quibus Varro agit. Lusit eo Catullus poema de Cybele & Aty.

Nunc corius ulmum &c.] Galli fanaticorum modo discurrentes se ipsos cædebant, & cruentabant. ex quo sanguineos vocat Lucanus. Ovid. in Ibin:

——— mollesque ministri,
Cædunt jactatis vilia membra comis.

Eodem refero locum hunc Varronis: etsi non memini me alibi legere, Gallos usos flagris ulmeis, quibus cædebantur servi nequam. unde Plautinus Libanus in Asinaria, scapulis suis paratam esse virgidemiam, auguratur ex eo, quod picus rostro ulmum tundit. Quin potius Galli tundebant pectora pinu arbore, Magnæ matri sacra. Statius lib. 10:

———quatit ille sacras in pectora pinus.

vel latera rumpebant flagro, quod describit Apulejus lib. 8 Metamorph. *Arrepto denique flagro, quod semiviris illis proprium gestamen est, contortis tæniis lanosi velleris prolixe fimbriatum & multijugis talis ovium tessellatum, indidem sese multimodis commulcant ictibus.* Quare videtur legendum: *Nunc corius culmum tuus depuvit.* ut dicat: Flagro tuo, Galle, quo te ipsum cædebas, nunc excutiuntur frumenta. Depuvire, est cædere & verberare. Lucilius:

———palmisque misellam
Depuvit me.

Pergis hera?] Ita Catullus Gallos vocat Gallas:

Rapidæ ducem sequuntur Gallæ.

nimirum præcisa virilitate erant propiores mulieribus, quam viris, appellabanturque Semiviri. Similiter Horatius hominem mollem feminino genere appellat lib. 1 Serm.

Julius & fragilis Palatia.

Et Q. Opimius festivo homini Egillio: *Quid tu Egillia mea;* ut est apud Ciceronem lib. 2 de Oratore. Virgil.

O veræ Phrygiæ, neque enim Phryges.

Tibi Tympana &c.] Tandem Galli Cybeles, rationibus

necessariis convicti dementiæ & insanitatis, dant se excolendos philosophiæ, eique honores Deæ suæ deferunt lubentes:

Tympana tenta tonant palmis, & cymbala circum
Concava, raucisonoque minantur cornua cantu,
Et Phrygio stimulat numero cava tibia mentes.

& reliqua, quæ Lucretius lib. 2 explicat. Eodem pertinent præcedentia duo fragmenta.

Et ceteris Scholasticis.] Videtur legendum, *Expletis Scholasticis.*

Festice.] Ut *regifice*. Attius apud Ciceronem:

Priami domum auro atque ebore instructam regifice.

Consurgia consurgimus.] Ἑλληνισμὸς, ut in illo Catulli: *Gaudia quæ gaudeas.* Consurgium, ut Vigilium.

Pagina 278.

ΕΧΩ ΣΕ.] Ἔχω σὲ, Habeo te, apte usurpamus, ubi quid nostri juris & mancipii fecimus: quo sensu dixit Aristippus Socraticus, cum esset objectum, habere eum Laida, ἔχω Λαΐδα, ἀλλ' οὐκ ἔχομαι; & Sallustius, *animum rectorem humani generis habere cuncta, nec ipsum haberi.* Malim tamen hic vertere, ἔχω σὲ, Teneo te, quod ipsum est elegans genus loquendi, cum rem fugacem, quasi manu prehendimus & retrahimus. Suetonius in Cæsare: *Prolapsus etiam in egressu navis, verso ad melius omine, Teneo te, inquit, Africa terra.* Et sane aptissime accommodatur Fortunæ, cujus ita vaga, incerta atque instabilis ratio est, ut a nemine teneri possit, nisi a solo sapiente, (quod hæc Menippea evincit) qui eam virtutis nexu constringit, & tenet in sua potestate:

Omni Fortunam occupat hora,
Omnibus unus adest fatis.

Quod Catoni tribuit Lucanus, alludens, opinor, dictum Metrodori philosophi, gloriantis, occupasse se Fortunam, atque cepisse, omnesque aditus ejus interclusisse, ut ad se aspirare non posset. Q. Curtius lib. 7, c. 8: *Fortunam tuam pressis manibus tene. Lubrica est, nec invita teneri potest.* Hoc Scythæ magno regi; nos dictum putemus omnibus.

Russatis emicant &c.] Russata insignia Martis vocat chlamydes, aut paludamenta, punicei coloris, quibus ductores exercitus fere utebantur. Plutarch. in Bruto: Τὸ μὲν σῶμα τῇ πολυτελεστάτῃ τῶν ἑαυτοῦ φοινικίδων περιβαλεῖν ἐκέλευον. Vopiscus in Aureliano: *Tunicas ducales russas quatuor.* Ruſ-

ſus color idem, qui rubeus aut phœniceus. Chariſius lib. 1: *Ruſſeum Grammatici non magis dicendum putant, quam Albeum, aut Praſineum; ſed Ruſſum, & Album, & Praſinum.* Catullus:

Dentem atque ruſſam defricare gingivam.

Hinc Ruſſatus, infectus ruſſo colore. Tertullianus de Corona militis: *Et nunc ruſſatus ſanguine ſuo.*

Albet, algu danti.] Scribendum judico: *Albet, algus dante frigore.* Algores dare, ut Dare cladem, Dare malum. Ruina hic eſt; quæ alibi aqua caduciter ruens; & apud Petronium:

Et concreta gelu putri velut unda ruebat,
Victa erat ingenti tellus nive.

Scaliger reponit:

Ambeſſet algus, dentientem frigore.

FLEXIBULA.] Plinius in præfatione librorum ſuorum ad Veſpaſianum, deridens Græcos, ut nimium in feſtivioribus titulis excogitandis ambitioſos, *Noſtri craſſiores*, inquit, *antiquitatum, exemplorum, artiumque quam facetiſſimi; lucubrationem, puto, qui Antias civis erat & vocabatur, Valerius primus aſſerit: Varro in Satyris ſuis Seſquiulyſſem, & Flexibulas.* Quibus verbis laudat modeſtiam Latinorum, quod rudes & minime exquiſitos titulos libris ſuis inſcripſiſſent: Varronem autem dicit paululum affectaſſe feſtivitatem inſcriptionum in Satyris Seſquiulyſſe & Flexibulis. Sed poſterioris inſcriptionis iſta, quam Plinius notat, elegantia, ex verbis ipſius non ſatis elucet. Itaque videamus, ecquid poſſimus ex argumento Satyræ idoneam aliquam rationem tam feſtivi tituli colligere. Videtur Varro inſectatus proconſules, prætores, & reliquos magiſtratus, qui in provinciis cum ſumma poteſtate verſabantur, quod nullum officium præſtarent conſtantis & moderati imperii. Ejus antem cauſam jacit in immenſas cupiditates, & illecebras vitiorum, quæ animos huc & illuc rapiunt, nec, quo loco volunt, conſiſtere ſinunt omnino: ſicut & virtutes eoſdem movent atque impellunt, ſed diſpari ratione. etenim hæ animos cum moderata quadam conſtantia faciles in omnes partes & ad omnem caſum expeditos reddunt. Hæc igitur ſunt, inquam, virtutes, vitia, imperia, Varronis Flexibulæ, vel Flexabula, ut oratio a poeta dicta Flexanima.

Pagina 279.

Strabones ſunt facti.] Strabo fieri dicitur quis amore vel nimia cupiditate alicujus rei, quod eam ſubinde retorto ocu-

lo, & transversum spectet. Ita Strabonem fieri deliciis dixit Lucilius lib. 18:

Nulli me invidere, non strabonem fieri sæpius deliciis me istorum.

Varro hic amore & libidine. proprie: quoniam libido distorquet oculos & contrudit in angulorum angustias, quos vocant Hirquos. Unde Virgilium volunt scripsisse:

Transversa tuentibus hirquis.

& Persium:

——*patranti fractus ocello.*

Commalaxarem me apathem.] Totum hunc locum restitui ex veteribus libris, & ipso sensu, quem ita concipio: Quod philosophia me exercerem, & præstarem ab omni perturbatione animi liberum, quem Græci ἀπαθῆ nominant, hoc effeci, ut ne sentirem quidem dolorem vel indifferentem esse, neve irarum habenas unquam laxarem, aut refrenarem cupiditates. Commalaxare verbum a Græcis sumsit, quibus μαλακίζειν est præparare, subigere, & quasi mature facere. Sic μαλακία, μαλάχη, μάλαγμα prope sua Latini fecerunt.

Neque cupiditati non &c.] Hic una negatio redundat, vel additur Græcorum modo, ut alterius vim augeat & intendat: qua de re satis multa diximus Satyra Bimargo.

Paratum esse hoc minime.] Quid si, *hominem*, vel, *hoc munere?* intellige, *provinciali.* Vide Satyram, Pransus paratus.

Gemini.] Suspicor titulum corruptum esse, & unicum hoc fragmentum pertinere ad Satyram, Lex Mænia: cujus legis caput, Ne filii patribus luci claro sigillent oculos, hoc est, ne oculos clauderent: quod per translationem videtur dictum, quasi ne mortem eorum maturarent. Nam mos vetus fuit, ut parentibus liberi, cum morerentur, oculos clauderent, item liberis parentes. Martialis lib. 10:

Quinque dedit pueros, totidem mihi Juno puellas;
Clauserunt omnes lumina nostra manus.

Seneca lib. 9 Controvers. *Ita oculos meos filii manus operiant, ut ego inter liberos meos fortior fleti.* Lucanus lib. 3:

——*tacito tantum petit oscula vultu,*
Invitatque patris claudenda ad lumina vultum.

In pietate.] Fortasse melius, *in die lata.* ut Bimargo: *Legem Lucaniam luci claro latam.*

Gerontodidascalus.] Γεροντοδιδάσκαλος, Senis doctor, proverbii forma dicitur is, qui frustra laborem impendit in rem seram & intempestivam; velut si quis conetur hujus

feculi effrenatam libidinem revocare ad feveritatem, & continentiam majorum. Hoc Varro infcribit Satyræ, in qua Senex quidam inducitur commemorans veterum Romanorum inftituta, in moribus pofterorum nimia focordia repreffa & pæne exftincta. Sic autem conformavit Γεροντοδιδάσκαλος, ut Alexis Comicus Ἀσωτοδιδάσκαλος, quam fabulam citat Athenæus.

Cultelli Empeſtatiæ Bithyniæ.] Fateor, mihi non liquere de genere illo cultellorum, quod Varro hic fignificat ad finiendam vitam, & maturandam mortem, fuiffe inventum. quare in re obfcura lectionem antiquorum codicum proponere volui. Ut autem, quid fufpicer, aperiam, opinor extremas duas voces Græcas fuiffe, quas imperiti librarii, cum non intelligerent, corruperunt. Forte ἐν ἐσχατιᾷ βιοθύνοι, in neceffitate vitam abrumpentes, feu, extremis in rebus, ut loquitur Salluft. lib. 3 Hiftor. *Ac tum maxime, ut ſolet extremis in rebus, ſibi quiſque cariſſimum domi recordari.*

Ter ſub armis &c.] Hic Verfus Ennii eft ex Medea exfule, quam vertit ex Euripidis Græca; in qua fic loquitur Medea:

— ὡς τρὶς ἂν παρ' ἀσπίδα
Στῆναι θέλοιμι μᾶλλον ἢ τεκεῖν ἅπαξ.

Illud autem, Vitam cernere, genus loquendi antiquum, Nonius ita explicat, ut dicat, Cernere hic fignificare, amittere. inepte. quid enim hoc ad Euripideum, Παρ' ἀσπίδα στῆναι? quod eft, in acie ftare. Cernere eft dimicare, vel contendere, ut Græcorum κρίνειν. Ennius Hectoris Lytris: *Severiter fortuna ferri cernunt de victoria.* Virg. lib. 6 Æneid. *Inter ſe coiiſſe viros, & cernere ferro.* Hinc, Cernere bellum, pugnare, & fignis collatis concurrere. Lucret. lib. 5:

——— *æquo certamine bellum*
Magnis de rebus inter ſe cernere certant.

Et, Vitam cernere, de vita dimicare, vel, in difceptationem conftituere vitam; ut apud Græcos κρίνειν τὰ ὅλα, de fumma rerum decertare. Ennius lib. 6 Annal.

Ferro, non auro, vitam cernamus utrique.

Vide Servium, Senecam, & ipfum Varronem lib. 6 de L. L.

Pagina 280.

Rapta a neſcio &c.] Hic tria membra divulfa pofuimus ordine, quæ arbitramur fingulatim pertinere ad antiquos ritus nuptiarum. Ac primum quidem ad morem illum rapiundæ

vi ſimulata virginis, quem Feſtus exponit his verbis: *Rapi ſimulatur virgo e gremio matris, aut, ſi ea non eſt, ex proxima neceſſitudine, cum ad virum transfertur, quod videlicet ea res feliciter Romulo ceſſit.* Apulejus autem copioſe deſcribit lib. 4 de Aſino aureo. *Tunc*, inquit, *me gremio ſuo mater infelix tolerans, mundo nuptiali decenter ornabat, mellitiſque ſuaviis crebriter ingeſtis, jam ſpe futura liberorum votis anxiis propagabat: cum irruptionis ſubitæ gladiatorum impetus, ad belli faciem ſæviens, nudis & exſertis mucronibus coruſcans, non cædi, non rapinæ manus afferunt, ſed denſo conglobatoque cuneo cubiculum noſtrum invadunt protinus: nec ullo de familiaribus noſtris repugnante, ac ne tantillum quidem reſiſtente, me miſeram, exanimem, ſævo pavore trepidam, de medio matris gremio rapuere.* Huc fortaſſis reſpexit Catullus illis verſibus:

Tu fero juveni in manus
Floridam ipſe puellulam
Matris e gremio ſuæ
Dedis.

Et:

Qui rapis teneram ad virum
Virginem.

Rapturis ramicis rumpit.] Lego: *Raptoris ramicis rumpit*; ut Catullus:

Omnium ilia rumpens.

Confluit mulierum.] Hoc pertinet ad morem deducendi novam nuptam, quem abunde explicavimus lib. 2 de Vita pop. Rom. Senſus eſt: Nunc quidquid eſt mulierum tota Roma, confluit ad initia nuptiarum, quæ majores modeſte & verecunde noctu peragebant, ut pinea fax indicat, quæ etiamnum in nuptiis præfertur. In illo mulierum eſt ἔκλειψις, poetis uſitata, cum omittunt vocem ſexus, turba, multitudo, aut ſimile quid.

Noctu fieri Initia.] Cereris occulta illa, & ſolis matronis facere conceſſa ſacra ita vocari, vulgo notum eſt. Cur autem Varro ſic appellet nuptialia auſpicia, non æque cognitum. an quia, ut in illis ſacerdotes cum facibus diſcurrebant, ita in his pueri patrimi & matrimi præferebant facem in honorem Cereris? an quod hæc non minus, quam illa, vitæ principia ſunt? qua de cauſa Græcis γάμος dicitur τέλειος, ὡς τελῶν πρὸς τὸν βίον τῶν ἀνθρώπων, inquit Pollux. unde τέλεια & προτέλεια, ſacrificia nuptialia, quæ, Varrone auctore, dicere licebit Initia. ſiquidem τελεῖσθαι & προτελεῖσθαι eſt initiare, vel præparare.

Novus maritus.] Cingulum novæ nuptæ vir in lecto solvebat, quod mox Dianæ, ob eam causam Cinxiæ cognominatæ, dicabatur. erat autem contextum ex lana ovis, eoque vinctum nodo, qui Herculaneus appellabatur, propterea quod Hercules in suscipiendis liberis felicissimus fuisset: nimirum qui septuaginta ex se genitos habuisset. Catullus in Epithalam. Jul. & Manlii:

Te suis tremulus parens
Invocat: tibi virgines
Zonula solvunt sinus.

Et in carmine ad Januam:

Nec quærendum aliunde foret nervosius illud,
Quod zonom posset solvere virgineam.

Taciturnus, taxim.] Usurpat & Modio p. 292, *Tacitulus taxim.* Fortassis sumsit a Pomponio, cujus versum hunc Nonius refert:

Clandestino tacitus taxim perspectavi per cavum.

Vehebatur enim &c.] Ita hunc locum emendavi, recte ad sententiam. Senex ille, inquit, unus antiquorum hominum scilicet, ita vegeto & firmo corpore erat, ut quamvis ætas licentiam daret utendi arcera, tamen ea raro, vehiculo assidue, veheretur. Quæ autem his verbis attexuntur apud Nonium, non sunt Varronis; sed pertinent ad interpretationem legis XII Tab. qua decemviri in jus vocato ire recusanti, jumento dato, arceram sterni prohibuerunt. Illam legem apud Gellium lib. 20 sic restituendam judico: SI IN JOUS VOCATO MORBUS ÆVITASVE VITIUM ESIT, QUII IN JOUS VOCASSIT JOUMENTUM DATO. SEI NOLET, ARCERAM NEI STERNITO.

Ac rusticus Romanus.] Sic Cicero in Catone: *Rusticos Romanos, vicinos & familiares meos.* & Cicero filius epistola ad Tironem: *Habes, ubi deponendæ sint urbanitates. rusticus Romanus factus es.*

Vel decem menses.] Hoc Terentius in Eunucho, notans mulierum longum & inutile studium comandi, dixit, *Annus est: Dum moliuntur, dum comuntur, annus est.* Ita annus & decem menses, eadem sunt Senecæ, cum de luctus tempore loquitur; ut lib. 8 Epist. *Annum feminis ad lugendum constituere majores.* & in libro de Consolatione: *Majores decem mensium spatium lugentibus viros dederunt.* Nimirum decem menses annum absolverunt, dum Romulus in anno

Constituit menses quinque bis esse suo:

nec, quod ad luctus tempus, Numa mutavit, ut jampridem animadversum est a doctissimis Ictis Cujacio & Rævardo. Porro tangit Varro hic magnificentiam villarum, quam etiam conqueritur lib. 1 de Re rustic. & Plin. lib. 18. Strabo lib. 5.

In quibus Libyssa citrus.] Citrus arbor in Atalante Mauritaniæ monte nascitur, ex qua olim faciebant lectos, fores, & mensas, quas eboreis pedibus fulcientes feminæ, viris contra margaritas regerebant. Cato in ea, quam habuit, oratione, Ne quis consul bis fieret: *Dicere possum, quibus villæ atque ædes ædificatæ atque expolitæ maximo opere, citro, atque ebore, atque pavimentis Pœnicis stent.* Sic autem Varro dixit *Libyssa citrus*, ut Catullus,

Quam magnus numerus Libyssæ arenæ.

& Virgil.

— vel qualis equos Threïssa fatigat, Harpalyce.

Candens corpore] Παρόμοιον, ut in illo Ennii lib. 1 Annal.

Quamquam multa manus ad cæli cærula templa
Tendebam.

& Attii Telepho:

Ære atque ferro fervere, igni, insignibus.

Et Plauti Captivis:

Quanta pernis pestis veniet, quanta labes larido,
Quanta sumini absumedo, quanta collo calamitas,
Quanta laniis lassitudo.

Trivio lumine Lunæ.] Ita vocat candidum illum splendorem lunæ, diffusum in omnes partes, quo candere taurum album & nitentem dicit κατ' ἐξοχὴν, quia taurus sacer dicatusque Lunæ, atque adeo vector ejus. unde illam Græci vocant ταυροπόλον & ταυρωπόν. Porro cognominatur Trivia, quod tribus viis in cælo movetur, in altitudinem, & latitudinem, & longitudinem, ut est lib. 4 de Ling. Lat.

Multos ærarios facere.] Ærarium generis masculini observat Nonius: quæ observatio, uno verbo ut absolvam, falsa est. nam Ærarios facere, vel, In ærarios referre, dicebantur censores, cum plebejos delecti nomine in Ceritum tabulas rejiciebant, movebantque albo centuriæ suæ, ita ut civium quidem numero manerent, sed pro capite dumtaxat tributi causa æra penderent. Livius: *Tribu moti, ærarii omnes facti.*

Manius Curius.] Valerius Maximus lib. 6 idem Curii factum refert, sed paulo aliter: *Graviter autem animadvertebatur in eos, qui nominatim in tribu sua citati ab eo, qui delectum habebat, non respondissent. nec unum genus pœnarum. nam*

vel libertate mulctabantur, & ut servi errones venibant; vel laceratione corporis vexabantur. Livius lib. 7: *Acerbitas in delectu non damno modo civium, sed etiam laceratione corporum lata, (partim virgis cæsis, qui ad nomina non respondissent, partim in vincula ductis) invisa erat.* Interdum & domus eorum evertebantur, & arbusta succidebantur, ut M. Fabio Cæsone, & L. Valerio Coss. factum refert Dionysius Halicarnas. lib. 9.

Pagina 281.

Tricas Tellenas.] Tricæ Tellenæ παροιμιωδῶς dicuntur res impeditæ & intricatæ, a Tellena urbe antiqua Latinorum, quam Ancus Martius rex vi cepit. Arnobius lib. 5: *Jamdudum me fateor hæsitare, circumspicere, tergiversari, & tricas, quemadmodum dicitur, conduplicare Tellenas.*

Hic ephebitum.] Corruptus locus, quem difficile est integritati suæ reddere. Fortean legendum, *hic ephebitum mulieravit, hic ad pædica adolescenti*: quod a veteris scripturæ vestigiis minimum recedit, & ad sententiam optime convenit. Uterque, inquit, amat, rex & pauper: hoc interest, quod illi ad obsequium adolescens indomitus & agrestis, vel, ut Martialis ait,

— qualis Geticæ satiatus lacte juvencæ
Sarmatica gelido ludit in omne rota:

isti regi, pulchellus, comtulus, &, ut inquit idem,

— Mytilenæi roseus mangonis ephebus,
Vel non cæsus adhuc matre jubente Lacon.

Est autem Ephebitus dictio mera Græca, facta ex ἔφηβος & ἴτης, quæ significat puerum agrestem, &, ut ita dicam, impetuosum. Ad pædica adolescentem, interpretor meritorium, pædicarium, seu pædicatoribus obsequentem, quomodo dixit Virgil.

———fidusque ad limina custos,

pro atriensi. Catullus:

Ad lecticam homines,

pro lecticariis. Propertius:

Lygdamus ad cyathos,

id est, pincerna.

Dein certe alvi &c.] Fortasse legendum, *Dein tetthe alvi.* Tetthe, τεθή, nutrix: quo nomine fuit comœdia Cæcilii, translata ab Eubulo, vel Alexide. Fici autem laxando, molliendoque alvo plurimum prosunt: tum etiam multum & co-

piosum sanguinem generant. ex quo in libro de Euchymia Galenus refert, se, cum annum agens octavum & vicesimum abscessum vereri cœpisset, qua hepar diaphragma contingit, abstinuisse omnibus horæis, exceptis ficis & uvis egregie maturescentibus.

Nihil sunt Musæ &c.] Alii aliter. ego emendarim, *poliechos*, quod minimum recedit a vestigiis veteris scripturæ, & ad sententiam aptum est maxime. cum enim paulo ante reprehendisset astrologum, qui peculiari siderum observatione, aut alio nescio quo invento se efferebat: hoc jacit in statuarium, &, Nihili faciundæ sunt, inquit, Musarum statuæ, quas ex ære ita artificiose duxisti, ut frequentes & canoros sonitus edere videantur. Nam se ipsum noscere & intueri, acremque se & vitiorum & bonorum suorum judicem præbere, id unum laude dignum est.

Ærifice duxti.] Æra ducere, proprium opus statuariorum, cum malleis attenuant & efformant effigiem aliquam. Horat. lib. 2 Epist.

——alius Lysippo duceret æra,
Magni Alexandri vultum simulantia.

Hinc ærifice ducere Varroni est, ex ære fabricare, aut sculpere.

Pagina 282.

Videre volunt in mari thunnos.] Græci uno verbo efferunt θυννοσκοπεῖν, quasi e specula thunnos observare. Aristophanes Ἱππεῦσι: Κἀπὸ τῶν πέτρων ἄνωθεν τοὺς φόρους θυννοσκοπῶν. Observabant autem cetarii thunnos in promontoriis maris, vel e præaltis trabibus, defixis in vado. Hinc Varroni, *ascendere in malum alte*; Philostrato, Σκοπορεῖταί τις ἀφ' ὑψηλοῦ ξύλου, lib. 1 Iconum.

Luto fluens.] Ita libri veteres: sed videtur legendum, *Ludo*, sive *Lydo*, scilicet regi, Pactolus *tulit aurum*. Loquitur enim de aureis lateribus, quos Herodotus refert, Crœsum regem, parantem expeditionem in Cyrum, obtulisse & consecrasse Apollini Delphico, numero centum & septemdecim, immani pondere: de quibus etiam meminit Lucianus in Charonte, & Ausonius in Ludo septem Sapientum:

Rex an tyrannus Lydiæ Crœsus fuit
His in beatis, dives insanum in modum,
Lateribus aureis templa qui dives dabat.

Sed infelix ejus belli exitus & captivus Crœsus docuit, fru-

stra illos esse, qui magnificis donis, aut sumtuosis victimis; ad impia vota Deum sollicitant: & verum sacrificium esse puræ atque integræ mentis preces, effusas in res & necessarias, & honestas. Quod vere monet Seneca ad Lucilium. *Colitur autem*, inquit, *non taurorum opimis corporibus contrucidatis, vel auro argentoque suspenso, nec in thesauro stipe infusa, sed pia & recta voluntate.*

Socrates cum in &c.] Fortassis intelligit votum Socratis, cum vicinus morti Æsculapio gallum vovit. *Exodium* est exitus, a Græco ἔξοδος, ut a πρόλογος, prologium dixit Pacuvius. Utitur Varro sæpius. Suetonius in Tiberio: *Nota in Atellanico exodio.* Juvenal. Sat. 6:

Rusticus exodio risum movet Atellanæ.

Ubi Exodia sunt, quæ extra fabulæ argumentum e scena digressis histrionibus interponebantur, ut apud Græcos Satyræ, apud Latinos Atellanæ.

Pagina 283.

HERCULES TUAM FIDEM.] Hujus invocationis usus, cum rebus afflictis imploramus fidem & auxilium alicujus potentis & fortis viri. Hercules enim ipse ille Deus, qui a tutando Tutani & nomen habuit, & numen: quod hæc Satyra probat. Porro est hic ἔκλειψις usitata in invocationibus Deorum, ubi intelligitur verbum Obsecro, imploro, aut simile. Plaut. in Curcul.

Tuam fidem, Venus noctuvigila.

& in Comœdiis frequenter, *Dii, vostram fidem*; &, *Deûm atque hominum fidem.* In qua loquendi figura Fidei nomen, opem & auxilium significare, Donatus in Andriam Terentii notat.

Noctu Hannibalis &c.] Cum Hannibal ad urbem exercitum duceret, & res Romana in summo discrimine versaretur, repente terriculamenta quædam nocturna ita illum concusserunt, ut sine mora inde cesserit. Qua causa Romani fanum exstruxerunt extra portam Capenam, ab eventu Rediculum appellatum. Deum vero, cui consecrarunt, a tutando Tutanium dixerunt. Festus, & Plinius lib. 10.

Hac propter omnes.] Hac propter, ut Quapropter, & hoc propter. Ennius Epicharmo:

Isthæc propter Juppiter sunt, quæ dico tibi.

Lucretius:

Dextera ea propter nobis simulacra remittunt.
Nec soli poetæ, sed & oratores & historici præpositiones convertunt, idque κατ' ἀναστροφὴν, ut Suetonius de Rebus variis apud Charisium observat. Ita Varro, *Eum apud*; Sallustius, *Quos inter*; Livius, *Omnibus ex.*

Non Tutilinam.] Tutilina Dea a tuendo dicta, sicut Tutanus Deus a tutando, auctore Nonio. præerat enim tutelæ populi Rom. colebaturque in Aventino: unde Porcius, de Ennio scribens, dicit eum coluisse Tutilinæ lucos, ut est apud Varronem lib. 5 de Ling. Lat. Quamquam Augustinus lib. 4 de Civitate Dei tradit, Tutilinam Deam præesse frumentis collectis atque reconditis, ut tuto servarentur. Tertullianus de Spectaculis: *Columnas Sessias a sementationibus, Messias a messibus, Tutilinas a tutelis fructuum sustinent.*

HERCULES SOCRATICUS.] Probat, sapientem Stoicum non minus, quam Herculem, invictum laboribus esse, & victorem vitiorum. Seneca ad Serenum: *Catonem autem certius exemplar sapientis viri nobis Deos immortales dedisse, quam Ulyssem & Herculem prioribus seculis. Hos enim Stoici nostri sapientes pronuntiaverunt invictos laboribus, & contemtores voluptatis, & victores omnium terrarum.* Plura Turneb. Advers. lib. 12.

In omnibus rebus bonis.] Sunt verba hominis militaris & jactabundi. Res bonæ, sunt expeditæ & compositæ: quibus opponuntur malæ. Sallustius Catilina: *Domi inopia, foris æs alienum, mala res, spes multo asperior.* Ibidem: *Mala abunde omnia erant, sed neque res, neque spes bona ulla.* Livius lib. 40: *In bonis tuis rebus, nostris dubiis.*

Chlamyda.] Chlamys purpurea, vestis militaris, & fere imperatoria. Cornificius ad Heren. lib. 4: *Citharœdus palla inaurata indutus cum chlamyde purpurea, coloribus variis intertexta.* Vopiscus in Aureliano: *Elata purpurea chlamyde, intus civibus, foris militibus se ostendit.* Porro videtur legendum, *Chlamydas & purpurea amicula*, scilicet indutus. Livius lib. 37: *Reginæ pallam pictam cum purpureo amiculo.*

HIPPOCYON.] Hic titulus exstat in omnibus libris veteribus. alii reponunt Ἱπποσύνη: qui quidem non video qua ratione ducti id faciant, præsertim cum non constet Satyræ argumentum, ad quod accommodari possit inscriptio. Quid vero illud ἱπποκύων? an convitium est in equitem famelicum & egenum, qui vivit de stipendio equi? an in Censorem acerbum, & severe notantem equites?

IDEM ACCI QUOD.] Utitur Satyra Testamentum; ubi Gellius explicat, lib. 3.

Pagina 284.

ΚΕΝΟΔΟΞΙΑ.] An reprehendit cruenta spectacula gladiatorum? in quibus, ut Cyprianus ait, *homo in hominis voluptatem perimitur: disciplina est, ut perimere quis possit, & gloria, quod peremit*: an bellicas victorias, paratas humano sanguine?

LEX MÆNIA.] Damnat vitam cælibem, & matrimoniorum usum, ad conservationem generis humani maxime necessarium, dilaudat: simul exagitat totum illum gregem impurorum hominum, quorum plerique volgivagam Venerem sectantur; alii sexum a natura datum, nefario scelere præcidunt. Quæ vero sit ista lex Mænia, vel Minia, (nam utrumque libri veteres habent) mihi non liquet. Varro caput ejus recitat, *Ne filii patribus luci claro sigillent oculos*: quod nonnulli ita sunt interpretati, quasi caveatur, ne filii parentibus morituris oculos occludant; sed ut id faciant propinqui & necessarii. Ulpianus in Institut. nominat legem Mæniam, quam de matrimoniis fuisse, licet conjicere ex eo, quod ex alerutro peregrino natum deterioris parentis conditionem sequi jubet. & hanc idem intelligit lib. 27 ad Sabinum, cum ait: *Lex naturæ hæc est, ut qui nascitur sine legitimo matrimonio, matrem sequatur; nisi lex specialis aliud inducit*. Alia lex Mænia, de Auctoritate patrum, nominatur a Cicerone in Bruto.

Exercebam ambulando.] Respexit ad dictum Socratis, quem ferunt, cum usque ad vesperam contentius ambularet, quæsitumque esset ex eo, quare id faceret, respondisse, se, quo melius cœnaret, obsonare ambulando famem, ut est apud Ciceronem lib. 5 Tuscul. Quæst.

Sereno lumine tonuisset.] Tonitrua, quæ nitido & innubili cælo fremebant, certissima futurorum argumenta credebantur. Varro Eumenid.

——— dum sermone cœnulam variamus,
Interea tonuit bene tempestate serena.

Ac Homerus quidem læta interpretatur, maxime post effusas preces. Romanis tristia fuisse, sæpe notatum est.

Si qui patria.] Vetuste. sic enim antiqui loquebantur, Qui, nequi, siqui, aliqui: quæ imperiti fere ubique in veterum libris immutarunt in quis, nequis, siquis, aliquis. Patria dicitur ma-

jor parens, id est, dignior, antiquior, ut explicat Cic. lib. 1 de Republ. *Sed quoniam*, inquit, *plura beneficia continet patria, & est antiquior parens, quam is, qui creavit; major ei profecto, quam parenti, debetur gratia.*

Aut aliqua liberos producit.] Subest vitium, cujus emendationem certam non expedio. putavi aliquando legendum, *haud aliqua* &c.

Signata sacra esse.] Sacrum Nonius hic exponit, scelestum & detestabile; quam interpretationem secutus Lipsius, eruit hanc sententiam: Signa Deorum desierunt videri sacra, sive religiosa, postquam homines sunt facti sacri, id est, scelesti. Sed legendum, ut est in omnibus libris, *signata sacra*, id est, inviolata & incorrupta; ut *signatam virginem* dixit Lucilius lib. 29.

Pagina 285.

Hæc lanigeras.] Minervam significat, quam tradunt multas artes invenisse ad salutem hominum & ad conservationem valde necessarias: tum lanificii & vestium usum, sine quo nulla omnino vita esset, docuisse. unde & Operosa dicta. Horatius lib. 3 Carm.

Tibi telas, operosæque Minervæ
Studium.

LONGE FUGIT QUI.] Hæc sententia monet, non posse quemquam tam longe fugere, ut suos & genus humanum fugiat, & nusquam reperiat sui gregis, suæ cognationis, id est, homines. Ejus aptissimus usus, si jacias in istos curiosos, qui fugiunt congressus & societatem hominum, suo more arbitrioque viventes: aut in Stoicos philosophos, quos forma beatæ vitæ, quam sibi temeraria opinione finxerunt, ita delectat, ut jactent, se omnes vincere, tam animi, quam corporis & fortunæ bonis: se solos sapientes, formosos, & beatos esse; reliquos dementes, vel miseros. Atque hos nimium sibi tribuentes hac Satyra Varro exagitat. Ut autem hic dixit, *suos fugere*, ita Cicero lib. 3 de Republ. *Se fugere*, id est, humanæ naturæ sensum repudiare & exstinguere. *Cui qui non parebit*, inquit, *ipse se fugiet, ac naturam hominis aspernabitur.* Quamquam & hoc genus locutionis multo elegantissimum est, ubi transfertur ad animum, ut si dicas, illum *se fugere*, qui animi affectionem, vel ægritudinem, qua acrius urgetur, mutare

ſtudet. quod quidem ſtudium natura mentibus humanis inſitum, notat Horat. lib. 2 Carm.

——— quid terras alio calentes
Sole mutamus? patriæ quis exſul
Se quoque fugit?

& Lucretius copioſe deſcribit lib. 3:

——— nunc plerumque videmus
Quid ſibi quiſque velit neſcire, & quærere ſemper,
Commutare locum, quaſi onus deponere poſſit:
Exit ſæpe foras, &c.
Hoc ſe quiſque modo fugit.

Secus, vel ad ædilitium &c.] Ita libri veteres omnes, quos leviter emendandos cenſeo, aſſenſus Turnebo, *æquus vel ad ædilitium modium, purus.* Ædiles præerant menſuris, & ipſi æquas juſtaſque habebant, ad quas exigebant reliquas. Juvenal.

Et de menſuris vis dicere, vaſa minora
Frangere, pannoſus vacuis Ædilis Ulubris.

Cum ergo hunc Stoicum ſapientem valde æquum & integrum oſtendere Varro vellet, ait, illum vel pro modio eſſe, tam vero, quam ædilitio. Nec damno tamen conjecturam hominum doctiſſimorum, Joſephi Scaligeri, & Juſti Lipſii, qui a veteri ſcriptura paululum recendentes, emendant, *Securus vel ad ædilitium munus.* ut dicat, Stoicum illum ſapientem ita fortem, ut, etiamſi ad ædilitium munus, id eſt, ad beſtias dandus ſit, ſecurus tamen & conſtanti animo perſeveret.

Cleophantus.] Qui glorioſe loquitur. nomen aptum Stoico, qui virtute, qua ſola beatam vitam contineri prædicat,

——— uno minor eſt Jove, dives,
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum:

cum tamen omnis ratio tam ſplendidæ virtutis, re ipſa vana ſit & inanis, nec ullum plane fructum rebus humanis afferat. quid enim in communem utilitatem conferre poſſit is, qui omnem ſenſum humanitatis repudiat & aſpernatur? Scite igitur Lucilius:

Penula ſi quæris, canterius, ſervus, ſegeſtre,
Utilior mihi, quam ſapiens.

Cave attigeris.] Superbum & intolerabilem faſtum denotat. Turpilius Leucadia:

Ne me attigas, atque auſer manum.
Eja quam ferocula eſt.

Cato in oratione de Dote: *Illa te, ſi adulterares, digito non auderet contingere.* Plautus Pœnulo:

Pura sum, comperce amabo me attrectare.

Sed ut is erat &c.] Cynici philosophi vivebant siliquis, leguminibus, & aliis vilissimis cibariis: de quibus fortassis hic loquitur, aut de priscis hominibus. Videtur autem legendum: *Sed victus erat hæc legumina, arte parata parva, cicer, ervilla, cepa regia, allia Cypria, ceteris.*

MAGNUM TALENTUM.] Magnæ pecuniæ summa erat: & forma quadam proverbii dicitur de re maximi pretii. Terent. Phorm. Act. IV, sc. 3:

——— si quis daret
Talentum magnum.

Virg. lib. 9 Æneid.

——— auri pondo duo magna talenta.

Viticapiferis.] Dictio composita est ex tribus partibus, quasi vitia capere feræ, ut Sexagesi, Quassagipennæ, quæ quassis aguntur pennis. De qua ratione compositionis ita Quinctilianus lib. 1: *Ex tribus nostræ utique linguæ non concesserim, quamvis Capsis Cicero dicat compositum esse ex cape, &, si vis.*

MANIUS.] Hac Satyra exagitat beatulos istos, qui neglecto Deorum cultu, se ipsos mactabant divinis honoribus, & quæ Diis propria, templa, pulvinaria, lectisternia, epula, his etiam ampliora, magnificentioraque sibi faciebant. Inducit autem Manium, hominem religiosum, referentem ad populum de sacris quibusdam legibus, aut scriptis erutis e terra, quibus probat, Rempublicam duabus rebus contineri, Lege & Religione.

Ager derelinqueretur.] Pacuvius Teucro:

Quæ desiderio alumnum, pœnitudine
Squalles scapresque inculta vastitudine.

quem postremum versum pæne integrum Varro huc transtulit, nisi quod pro verbis Squalleo & Scapreo nomina reposuit. Dicit autem Pacuvius Scapreo, pro Scabreo, ut Ennius Andromeda: *Scrupeo investita saxo atque ostreis quam exscaprerent:* qui versus restituendus est apud Festum in voce Scrupi.

Tum ad me fuerunt.] Crederem legendum, *ferunt*: alioquin erit ἀρχαισμὸς, *Ad me* pro *apud me*, ut in 1 de Re rust. *Ad te enim rudem esse.* & Ciceronis 2 de Oratore: *Cum ille dubitaret, quod ad fratrem promiserat & ad Atticum: Fuit ad me sane diu.*

Manius mane.] Alludit prænomen Manii, dictum ab eo, quod mane quis initio natus sit, ut Lucius prima luce. Quamquam suspicor hic induci personam Manii, ut hominis pii

& religiosi: forte a Manio Ægerio, qui primus Dianæ Nemorensi, haud procul ab Aricia, lucum consecravit; de quo Festus.

Pagina 286.

Viget, veget.] Ita Seneca ad Lucilium: *Vivit, veget, liber est.* Ibidem: *Et vixit, & viguit.* Livius lib. 35: *Vivunt enim, vigentque fama rerum gestarum.* Idem lib. 2: *Hunc, quo vivimus, vigemusque.*

Ut pote plurimum.] Etiam dixit Catullus: *Quantum qui pote plurimum perire.*

Vinicius meus &c.] Vinicii complures nominantur ab antiquis auctoribus, & in nummis & in lapidibus, equestri familia, sed honoribus illustres. Plotius fuit rhetor celeberrimus, apud quem etiam Cicero in dicendo se exercuit: de quo multa auctor libelli de Claris rhetoribus.

Hæc adventoribus accedunt.] Emendandum arbitror, *Ædium emtoribus accedunt*: quod verbum solemne in emtionibus. Paullus lib. 33 ad Edictum, *Si in emtione fundi dictum sit, accedere Stichum servum, neque intelligatur, quis ex pluribus accesserit.* Marcellus lib. 6 Digestor. *Comprehensum erat lege venditionis, dolia sexaginta emtori accessura.* Proculus lib. 6 Epistolar. *Si, cum fundum venderes, in lege ita dixisses, id emtori accessurum esse.*

Habens antepositam &c.] His lepidissimis versibus scite describit ganeones, quibus est modulus vitæ culina; in quos optime convenit illud:

Γάστερ' ὅλον τὸ σῶμα πανταχῆ βλέπων
Ὀφθαλμὸς, ἕρπει τοῖς ὀδοῦσι θηρίον.

Sunt autem hi versus tam inter se omnes connexi & apti, ut prope ausim affirmare, a Varrone ita scriptos fuisse. nam quod eadem hæc recitans Nonius in voce Limus, aliter quædam hunc in modum refert,

Sedens altus alieno sciens,
Sed limus intra limites culinæ:

facile apparet, illum suo more, multis omissis & immutatis, integrum locum pervertere.

Neque post respiciens &c.] Expressit illud Homeri: Ὁρῶν πρόσσω καὶ ὀπίσσω.

Hunc Cereris cibi &c.] Posterior vox inducenda, ut glossema, vel legendum, *Ceres, cibi.*

Pagina 287.

In patellam dare.] Decet bonum civem, inquit, Diis sacrificare, &, si non opimas & sumtuosas victimas, saltem portiunculam carnis offerre in patella. Ea erat vas parvum, libandis dapibus aptum, & ob id sacrum mensæ. Liv. lib. 26: *Ut salinum patellamque Deorum causa habere possint.* Valerius lib. 4: *Uterque patellam Deorum & salinum habuit.* Hinc, In patellam dare, esculentum quid Diis libare, &, De patella edere, libatum consumere. Cic. lib. 2 de Finib. *Reperiemus asotos primum ita non religiosos, ut edant de patella.*

Flebile cepe.] Hoc mutuatus est a Lucilio, cujus versum Nonius refert e lib. 5 Sat.

Flebile cepe simul, lacrimosæque ordine thallæ.

Dicitur autem Flebile cepe, quod tristi & acri odore consueverit lacrimas oculis excutere. unde in Græcorum proverbio est, Κρομμύων ἐσθίειν ἢ ὀσφραίνεσθαι, Cepas edere, aut olfacere; de iis, qui lacrimari videntur.

Nec sumtibus.] Nonius hic observat Luxuriam mascul. gen. quod ni esset ejus μνημονικὸν ἁμάρτημα, censerem legendum:

— *luxuique nec sumtibus lepidus statues finemque modumque.*

Sallust. de Rep. ordinanda: *Finem sumtuum statueris.*

MARCIPOR.] Hac Satyra contendit inanes cupiditates, & vana studia vulgi cum oblectamentis puerorum, & elegantes istos homines, quos vestis, supellex, gemmæ, ceteraque generis ejusdem nimio opere delectant, magis pueros esse docet, quam eos, qui ob imbecillitatem ætatis hoc nomine censentur. Quod idem paucissimis verbis notat Seneca. *Non*, inquit, *bis pueri sumus, ut vulgo dicitur, sed semper: verum hoc interest, quod majora nos ludimus.* Porro Marcipor, servile nomen, frequens erat apud antiquos, quod ducebatur a domino; sicut Publipor, Quintipor, Caipor. nam prisci illi Romani non alebant magnam familiam, sed singulis servis erant contenti. quare Marcipor, velut Marci puer appellabatur, quasi minister aut assecla, ut Græci παῖδας vocant servos. Plin. lib. 33: *Singuli Marcipores, Luciporesve, dominorum gentiles, victum in promiscuo habebant. Post ubi cœperunt alere infinitos servorum greges, hoc genus nominis obsolevit, & a diversis operis & ministeriis conformata diversa nomina. hinc dicti Mediastini, Vicarii, Atrienses, & alii innumeri.* Quinctil. lib. 1: *In servis jam intercidit genus illud nominis, quod ducebatur a domino, unde Marcipores, Luciporesve.*

Repente noctis.] Elegans & luculenta descriptio tempestatis repentinæ cum περιστάσει serenitatis, nubili, ventorum. Meridiem vocat mediam partem noctis, sicut contra Æquidiale pro æquinoctio dixerunt antiqui: secuti in hoc Græcos, qui ἰσομερίαν appellant, quia nox diei potius, quam dies nocti annumerari debeat. Cæli choreas astricas dixit, ut Tibull. lib. 2:

Ludite, jam nox jungit equos, currumque sequuntur
Matris, lascivo sidera fulva choro.

Manilius lib. 1:

Et quinque adverso luctantia sidera mundo,
Exercent varias naturæ lege choreas.

Chrysostom. Οὐκ ὁρᾷς τοῦτον τὸν οὐρανὸν, πῶς καλὸς, πῶς μέγας, πῶς ποικίλως τῶν ἄστρων ἐστεφάνωται χορῷ;

Cæli cavernas.] Cavum cælum. Ennius Andromacha:

Quæ cava cæli signitenentibus
Conficis bigis.

Idem Annal.

Lumine sic tremulo terra, & cava cærula candent.

Hinc Cavernæ cæli Varroni, & Lucretio lib. 3:

——magnas cæli complesse cavernas.

Pagina 288.

Spatale eviravit.] Spatale Venerivaga dici potest mulier vulgaris, & projectæ libidinis,

Nullum amans vere, sed identidem omnium
Ilia rumpens.

qualis illa Clodia, quam Cicero ait domum suam patefecisse omnium cupiditati, palamque sese in meretricia vita collocasse. Martial. lib. 2:

— poposcit Mammosum Spatalem, pro tribus illa dedit.

Sed hic est, opinor, ipsa Venus Volgivaga; quæ quasi malis venenis imbuta, animi & corporis vires effeminat. *Venerivaga*, ut Bimargo *Remivagus*. Cicero, *Solivagus* & *Omnivagus*. Lucret. lib. 4:

Volgivagaque vagus Venere.

Dein mittit evirile &c.] Ita libri omnes. nonnulli reponunt, *in frumen*: & hæc accipiunt de luxu illo capitali, quo olim infames Campani & Lesbii, quem Latini innuere volentes, dicunt Offendere, vel, Corrumpere buccas. Martialis lib. 3:

Cœpisti puras Opicus corrumpere buccas.

Mera miracula.] Miraculum veteres non modo pro monstro vel horrendo usurpant; sed laxiore & magis communi significatione hoc verbo intelligunt, quidquid mirum aut inusitatum evenit. Cato Dierum dictarum de consulatu suo: *Atque quamquam multa nova miracula fecere inimici mei; tamen nequio desinere mirari eorum audaciam atque confidentiam.* Lucretius:

——— ideo jactant miracula dictis.

Ut autem Varro dixit *mera miracula*, ita Cicero ad Atticum, *mera monstra nuntiant*, &, *scelera mera loquuntur.*

Peliam Medeæ.] Hæc fragmenta suspicamur eodem pertinere, videlicet ad descriptionem cujusdam decocti, vel medicatæ ablutionis, cujus occulta vi & efficacia fingit quendam ex senili ætate ad pueritiam revocari; sicut Medea Peliam regem Thessaliæ ferventi lebeti impositum recoxit, & hujus fratrem Æsonem, Jasonis patrem, herbarum decocto juventuti reddidit. Vide Diodorum lib. 4, & alios.

Delime, bipennis.] Obscurus locus, & haud scio an satis integer. nam Delimo verbum tertii ordinis non memini me legere, licet multa recensent Grammatici hujusmodi verba, quæ & primi sunt ordinis, & tertii. id autem significat detraho, decerpo; ut Limo apud Cic. lib. 3 Epistol. *Etsi de tua prolixa beneficaque natura limavit aliquid posterior annus.* An ergo Delimus nomen hic est? & de sene recocto atque repuerascente dicitur: Delime, bipennis, id est, deterse, limate, expedi te, ut levis passerculus.

Libram ocellatorum.] Suspicor esse lapillos, ex quibus contexti orbiculi, hodieque manent inter ornamenta puellarum: ita dictos, vel quia ocellorum speciem quandam præ se ferunt, & rotunditatem: vel quia conchæ, Nympharum lumina, ut Cajum Cæsarem solitum jactare Victor refert. Apud Suetonium in Augusto, ubi scribit, illum solitum esse cum pueris minutis ludere ocellatis nucibusque, accipio umbilicos aut laterculos crudos, in modum ocellorum formatos, quibus etiamnum pueri ludunt, vocantque globulos. Vidend. Turneb. lib. 3.

Et Diogenes qui amicos.] Fortasse legendum, βίαμικτος, id est, nullam commercium habens cum opibus, ceterisque rebus, quæ ad communem vitæ usum pertinent, utpote ἄπολις, ἄοικος, πατρίδος ἐστερισμένος, πτωχὸς, πλανήτης, βίον ἔχων τρυφήμερον, qualem Laertius describit. Quod autem de Diogene hic voluit dicere, id lib. 5 Tusculan. Cicero refert his verbis: *Diogenes Cynicus Alexandro roganti,*

ut diceret, si quid ei opus esset, Nunc quidem, inquit, paululum a sole absis: officiebat videlicet apricanti.

Pagina 289.

MARGOPOLIS.] Margopolis, vel Bimargopolis, dicitur Varroni civitas ampla & superba imperio: in cujus modum natura hominem instruxit, sic, ut illius partibus minutioribus respondeant membra corporis: animus aut ratio, quasi arx, principem locum obtineat. Vel forma quadam proverbii usurpatur, de cœtu & concilio hominum insolentium & protervorum. quos quidem hac Satyra insectatus videtur, monuisseque, enitendum esse, ut virtute & sapientia præstemus, non, quomodo vulgus, potentia aut opibus, aliisve malis artibus insolescamus. Sic Δουλόπολις, servorum civitas, usum habet proverbii, de cœtu hominum improborum, aut ignobilium. Et Ἀπραγόπολιν, urbem otii altricem, Augustus vocabat vicinam Capreis insulam, a desidia secedentium illuc, auctore Suetonio.

Cui Celer, dienos &c.] Emendo:

Cui Celer δι' ἑνὸς λήμματος λόγους
Antipatri Stoici filius &c.

Acuta sententia: Cum pater, inquit, proferret Antipatri Stoici λόγους μονολημμάτους, id est, ratiocinationes unius sumtionis: filius illi rutro caput diffindit, perinde ac Celer ille præfectus equitum, Remum rutro interemit, ob violatam legem, quam Romulus tulerat, Ne quis mœnia transiliret. Rutrum hic significat instrumentum fossorium, ligonem, non hoc, quo fruges conjiciuntur in modium, aut raduntur, & æquantur. Græci vocant σκαπάνιον, ut Dionysius lib. 1 de nece Remi.

Sensus portæ.] Apta contentio: Sensus sunt velut portæ, per quas commeant rerum omnium intelligentiæ: Venæ, tanquam aquæductus, in omnes partes corporis sanguinem partiuntur, & diffundunt; unde & sanguinis rivi a medicis nuncupantur, & a Varrone περὶ ἐξαγωγῆς, fervidi lacus sanguinis: Intestina, persimilia cloacis, per quæ cibi & potionis retrimenta perlabuntur.

Nemini Fortuna currum &c.] Elegantissima γνώμη, quæ nos admonet humanæ imbecillitatis, acerbitatisque fortunæ, cujus perpetuo edicto sancitum, Neminem posse effugere communes vitæ ærumnas, & absque omni offensione ad optatos exitus

pervenire. Sunt autem elegantes & aptæ metaphoræ, ductæ a certaminibus equestribus; in quibus Carcer erat locus septus & seclusus, unde primum emittebantur equi. *Æquor*, stadium, in quo decurrebant, a planitie maris sumta metaphoræ, sicut & æquor campi, æquor saxi, aliarumque rerum veteres dixerunt. *Calx*, aut meta, ubi sistebant; quem Varro candidum vocat, ut Cic. lib. 1 de Divinatione, & Lucret. lib. 6:

——— præscripta ad candida calcis.

proprie, quia meta albata, & creta notari solita; id quod Lipsius observavit e Plinio lib. 35, cap. 17. *Est & vilissima creta*, inquit, *qua Circum præducere ad victoriæ notam, pedesque venalium trans mare advectorum, denotare instituerunt majores.*

Intimo missum.] Lipsius tentat reponere, *anima m.* sed belle respondent illa, *inoffensum æquor*, *candidus calx*, *carcer intimus*; ut lib. 4 de Ling. Lat. *Intimus Circus ad Murtum.* Melius, meo quidem judicio, legeretur, *a carcere intimo missum vehi*, vel *labi.*

Sensistis dicite &c.] Qui immersi flagitiis & libidinibus, inquit, vos occultastis demisso capite, peracta jam fabula, *dicite Sensistis.*

Labdæ.] Ita appellantur, qui peragunt genus nefariæ libidinis, quod Obligurire, & Perdere caput in aliqua dicitur. Aristophanes ἐν Ἐκκλησιαζούσαις·

Δοκεῖ δέ μοι καὶ Λάβδα καὶ τοὺς Λεσβίους.

Ausonius: *Cui ipse linguam cum dedit suam, Labda est.* Nimirum a Lamda litera, quæ prima est in Λεσβιάζειν.

Pagina 290.

Noctilucam tollo.] Significat tædam νυκτιλαμπῆ, quam urebant luminis causa in ignitabulo, vel foco, quem in mediis ædibus habebant. Virgil.

Urit odoratam nocturna ad lumina cedrum.

Dicitur etiam hoc nomine lucerna, & sola noctu lucens luna. Horatius: *Rite crescentem face Noctilucam.* Levinus: *Ita uti alma Noctiluca est.*

Meleager.] Reprehendit nimium studium venandi, quod plerosque adeo tenet, ut illius causa labores & pericula prope infinita subeant. Inscribit autem nomen Meleagri, filii

Œnei, regis Ætoliæ; cujus natali tres Parcæ stipitem quemdam igni admoventes auditæ sunt effari:

Tum suæ vitæ finem ac fati internecionem fore
Meleagro, ubi torris esset interfectus flammeus.

quam sortem eventus multo post confirmavit. Nam cum Meleager jam se corroboravisset, immanem illum aprum, qui omnem Ætoliam horrendo impetu vastabat, delecta fortissimorum juvenum multitudine insectatus, confecit. Deinde captus amore Atalantæ virginis, quæ prima aprum sagitta vulneraverat, facti sui laudem in illam maxima ex parte transtulit, donavitque caput apri & setosum tergum. Quod cum indigne ferrent duo avunculi ejus, conarenturque a virgine apri exuvias vi rapere, ambos necavit: qua cæde fratrum audita mater Althea, instincta Furiis exclamat, Heu cor ira fervit cæcum, amentia rapior ferorque: mox fatalem illum stipitem tamdiu asservatum, flammis injicit; quo ardente pariter & Meleager visus est intestinis flammis exuri.

Funus exsequiati.] Ita in XII Tab. SERVILIS UNCTURA CIRCOMPOTATIOQUE QUOM FONUS EXSEQUIANTOR VINEIVE RESPARSIO NEI FUAT. Exsequiari dixit Bimargo: *Ipsum propter vix liberti semiatrati exsequiantur.* Funus exsequiari, est funeri exsequias ducere. idem, Funus exsequi. Gellius lib. 10: *Funus tamen exsequi, non est religio.* Vetus poeta apud Cic. lib. 1 Tuscul.

At qui labores morte finisset graves,
Eum omnes amici laude & lætitia exsequi.

Silicernium confecimus.] Tertullianus in Apologetico scribit, mortuis parari obbam, pollinctorem, silicernium: quod postremum verbum Grammatici ita varie exponunt, ut longum sit singulorum interpretationes commemorare. Vide Nonium, Festum, Placiadem & Donatum ad illud Terentii, *Silicernium senem.*

Cum etiam Thais.] Hæc videntur cum proxime superioribus verbis cohærere, ut dicat, Venatores ita dissolutos esse, ut quæ natura removit ab oculis, quod adspicerentur non decore, vestium cultu minime tegant atque abdant: cum etiam meretrices in scena prodeant longis tunicis, & ad talos usque demissis, ne corporis partes ad naturæ necessitatem datæ, si quo casu aperiantur, aspectum præbeant turpem & indecorem. Quod de scenicis & histrionibus recte quidem dicitur, in quibus tantam fuisse vetere disciplina verecundiam tradit Cicero, ut in scena sine subligaculo prodiret nemo. Alioqui

meretrices brevibus togis, & crure tenus medio succinctis utebantur, nec stolas vel pallas habendi jus illis erat, quibus solæ induebantur matronæ. Observat hoc Nonius, adducens illud Afranii Except.

Meretrix cum veste longa peregrino in loco
Solet tutandi causa sese sumere.

Hinc Togatæ meretrices dicuntur. Horat. lib. 1 Serm.

——— *tenerum est femur, aut crus,*
Rectius, atque etiam melius, persæpe togatæ.

Et ibidem:

——— *quid inter*
Est in matrona, ancilla, peccesve togata?

quem versum explicans Acron, *Matronæ*, inquit, *quæ a maritis ob adulterium repudiabantur, togam accipiebant, sublata stola propter ignominiam. Toga autem meretrici apta. ita enim prostare solebant cum togis puellæ, ut discernerentur a matronis.*

Pagina 291.

Modius.] Hoc mensuræ genus Varro inscripsit Satyræ, quam fecit in ganeones, ut symbolum & indicium moderationis: sicut Ægyptii Serapidis simulacro imponebant, ut indicaret, mensura modoque omnia contineri, auctore Ruffino Aquilejensi. Idem, quia maxime capax, in proverbii consuetudinem venit, ut modio dimensa dicantur, quæ large copioseque præbentur. Cic. lib. 6 ad Atticum: *Publicanis res est gratissima, si illa habent, pleno modio verborum honorem, invitationem crebram.* Petronius: *Uxor Trimalcionis Fortunata appellatur, quæ nummos modio metitur.* Similiter Græci, Μεδίμνῳ ἀπομετρεῖν. Xenoph. Ἑλληνικ. γ. Μεδίμνῳ ἀπομετρούσαι παρὰ τοῦ πατρὸς ἀργύριον.

Sed o Petrulle.] Petrones & Petrulli vocantur homines agrestes & stupidi; ut Rupices & Varrones apud Lucilium:

Varronum ac rupicum squarrosa, incondita rostra.

Illi a petris & rupibus, hi a varris, qui sunt stipites aut furcillæ, quibus retia sustentantur. Lucanus:

——— *dispositis attollat retia varris.*

Modi scenatilis.] Modus scenatilis est versus scenicus, ut jambicus, cujus usus in comœdiis & scena.

Capitis coronæ &c.] Videtur legendum:

Capitis corona e Bacchicis liveis
Faciem labore flatili viridis premat.

Bacchica livea, sunt folia ederæ nigræ. Plin. lib. 16 de edera:

Cujus coronis poetæ utuntur, foliis minus nigris, quam quidam Dionysiam, alii Bacchicam vocant, maximis inter nigras corymbis. Tertullian. de Corona militis: *Liberum eundem apud Ægyptios Osirim, Harpocration industria ederatum argumentatur, quod ederæ natura sit, cerebrum ab helvolo defensare.* Mos autem vetus fuit, in conviviis aptare coronas capiti & fronti ex edera, rosa, aliisque, quæ tempora refrigerarent, & ebrietatem prohiberent. Propertius lib. 3:

Me juvat & multo mentem vincire Lyæo,
Et caput in verna semper habere rosa.

Ovid. lib. 5 Fastor.

Tempora sutilibus cinguntur tota coronis,
Et latet injecta splendida mensa rosa.

Saperdæ, cum simus σαπροὶ] Venusta paronomasia. Videmur nobis, inquit, belli, elegantes, & sapere urbanum, cum simus putidi & insipidi. Σαπρὸς significat marcidum, vel fœtidum. unde & caseus putris hoc nomine censetur. Glossarius Græcus: Σαπρὸς, nugax, nugatorius, fœdus. Saperda non est hic sapiens, ut Nonius interpretatur; sed sapidus & urbanus. denotat etiam cancrum piscem, lingua Pontica. Persius Sat. 5:

——— *Saperdas advehe Ponto.*

Lucilius:

Occidunt, Lupe, saperdæ te & jura siluri.

Sed Cynicis involucrum &c.] Involucrum est integumentum vestium, quod philosophi antiqui gestabant, simul trahentes pallium, & id luteum, colore prodente mollitiem. Plautus in Captiveis ita vocat linteum tonsorium, quod collo & humeris injiciunt, ne vestes capillis detonsis inquinentur:

Nunc senex est in tonstrina, nunc jam cultros attinet,
Ne is quidem involucrum injicere voluit, vestes ut ne inquinet.

Græcis dicitur ὠμόλινον, ut Plutarcho in libro περὶ ἀδολεσχίας. Varro lib. 4 de Ling. Lat. vocat Circumjectum: *Quo vestes se involvunt, Circumjectum appellant.*

Quam istorum, quorum &c.] Videtur dicere, plerosque in vestitu tam exquisita & odiosa elegantia esse, ut togas pellucidas & tenues induant, quo clavos tunicis affixos ostentent. Solebant autem veteres immittere vestimentis clavos, eosque vel aureos, vel argenteos, vel coccineos, ut quisque dignitate & opibus præstabat. Hinc Clavata vestimenta Festus appellat, clavis intexta, ut sunt Latus clavus, & angustus clavus: alter senatorum, alter equitum proprius; ille latioribus

clavis consitus, hic angustioribus. Vitreæ togæ sunt pertenues & pellucidæ, quales fuerunt Coæ, sericæ, atque bombycinæ. Horat. lib. 1 Serm.

——— *Cois tibi pæne videre est,*
Ut nudam.

Lucanus lib. 10:

Candida Sidonio perlucent pectora filo.

Sic Vitreas telas dixit Claudianus Panegyrico:

Palla graves humeros velat, quam neverat uxor
Illi, percurrens vitreas sub gurgite telas.

Horatius:

——— *vitrea te fecimus unda.*

&:

Vitreo daturus nomina Ponto.

Persius:

——— *turgescit vitrea bilis.*

quod Horatius:

——— *jussit quod splendida bilis.*

Et hoc interest inter.] Quod Epicurus vitam, omni genere suavitatis completam, felicem & beatam prædicans, non intelligit corporis voluptates, quas sectantur ganeones, quæ tantum sensibus dulcem motum afferunt, mentem e sua sede & statu dimoventes; sed puras & liquidas voluptates, quas nullus dolor impedit, nulla animi molestia, aut metus perturbat. Quam sententiam explicat in epistola ad Herodotum ita scribens, ut Cicero vertit: *Cum itaque dicamus, Voluptatem finem esse; non luxuriosorum voluptates, easve, quæ in gustu sunt positæ, ut quidam ignorantes, aut ab nostra sententia dissentientes, aut male accipientes arbitrantur: sed non dolere, corpore animoque tranquillum esse, & perturbatione vacare dicimus. Non enim convivia & comissationes, non puerorum mulierumque congressus, non piscium usus, & ceterorum, quæ affert pretiosior mensa, suavem gignit vitam: verum ratio sobria, causasque perscrutans, cur quæque vel eligenda, vel fugienda sint, opinionesque expellens, per quas animos ut plurimum occupat tumultus.*

Dormire mallem &c.] Hoc totum Lipsius censet esse glossema, & ea re inducendum: sed videtur legendum, *sit licet potus vinum merum cibarium.*

Pagina 292.

Trimodiam amphoramque.] Amphora, inquit, tantum ca-

pit liquidæ materiæ, quantum tres modii aridæ. nam amphoram implent octo & quadraginta sextarii, qui sexdecim in modio sunt. Volusius Mæcian. in libro de Asse: *Quadrantal, quod nunc plerique amphoram vocant, habet urnas duas, modios tres, semodios sex, congios octo, sextarios XLVIII, heminas XCVI, quartarios CXCII, cyathos DLXXVI.* Festus recitat caput plebiscici Siliani, in quo ita erat: *Duodequinquaginta sextarii quadrantal fiet vini: Sextarius æquus cum vinario fiet, sexdecimque ii in modio fient.* Porro quod hic est *trimodia*, muliebri genere, idem usurpatur a Columella lib. 12, & a Plinio lib. 33. *Neque enim*, inquit, *aliter potuisset trimodia illa annulorum, Carthaginem ab Hannibale mitti.*

An qui gradu.] Sensus latet in his verbis & acutus, & elegans. Hoc enim dicit, opinor: Nonne præstantior est ille, qui gradu celeri & expedito nitens, te cito prævertit & antecessit, insuper melius vectus, quam tu, qui molliter & otiose fuisti vectus? Quod quidem videri potest referre voluisse ad contentionem Virtutis & Voluptatis: & hominem virtuti deditum, comparasse navo & expedito viatori; voluptarium & ganeonem molli atque dissoluto vectori. *Relinquere* hic est prævertere, superare cursu, aut celeritate, ut *relinqui*, superari: & Græcorum ἀπολείπειν & ἀπολείπεσθαι. Virg. lib. 5 Æneid.

Transeat elapsus prior, ambiguumque relinquat.

Lucret. lib. 5:

Imminui subter vires, ideoque relinqui.

MUTUUM MULI SCABUNT.] In omnibus actionibus vitæ, sive mentis agitatione, sive opera & manu peraguntur, ordinem & dispensationem quandam adhibendam esse, ut, licet certa ratione discretæ sint, tamen inter se nexæ maneant, & mutuo subsidio nitantur. Tali enim ordine actionum adhibito, constantiam & moderationem in omnibus rebus facillime servari. Itaque de hisce mutuis operis ac functionibus animi & corporis, apte usurpat proverbium, *Mutuum muli scabunt*: quod Erasmus putat nonnisi in malam partem accipi, cum improbi se vicissim mirantur & laudant.

Pagina 293.

Poneret quotidie.] Ponere hic est conficere, absolvere; ut in illo Horatii:

— *quia ponere totum Nesciet.*

qua significatione Græci quoque verbum τίθημι frequenter usurpant. Videre, curare, efficere, & administrare totum lanificium; sicut apud Plaut. Menæchmis:

Intus para, cura, vide quod opus est, ut fiat.

& alibi:

Qui herilem rem procurat, videt.

Lanea tracta.] Gerontodidascalo dixit, *Manibus trahere lanam.* unde *tracta lanea:* quæ Tibullo,

Tractaque de niveo vellera ducta putat.

Græcis μηρύματα, vel ἑλκύσματα.

Grallatores qui &c.] Apta similitudine ostendit, animum & corpus ita inter se nexa ac jugata esse, ut alter alterius ope & adminiculo nitatur. & animum quidem comparat grallatori, quod is suppeditat, & in omnes partes corporis diffundit vim agendi: corpus grallis, quod hoc sit quasi sustentaculum quoddam animi. Huc pertinent verba Tertulliani libro de Anima. *Anima*, inquit, *movet corpus, & conatus ejus extrinsecus paret: ab illa est impingi pedes in incessum, & manus in contactum, & oculos in conspectum, & linguam in effatum, velut sigillario motu, superficiem intus agitante.*

MYSTERIA.] Mysteria illa abdita, & seclusa sacra a cognitione vulgi, desiisse, successisseque in eorum locum fraudem, malitiam, fictas artes & insidias: quarum ita plena esse omnia, ut prope nihil veri, simplicis sincerique in communi hominum vita versetur.

Prisca horrida.] Cicero etiam suis temporibus oracula ubique defecisse testatur: & Celsus Epicureus nominatim oraculum Delphicum, Clarium, Dodonæum, &c. Cujus rei causam Plutarchus integro libro exquirit, sed non penetrat in mysterium illud veritatis, quod Prudentius effatur his versibus:

Ex quo mortalem præstrinxit Spiritus alvum,
Spiritus ille Dei, Deus & se corpore matris
Induit, atque hominem de virginitate creavit:
Delphica damnatis jacuerunt sortibus antra,
Non tripodas cortina tegit &c.

Æs defraudasse &c.] Turnebus restituit *Bovam:* quam putat esse vas vinarium longum, turgidum, & amplum, ad Bovæ serpentis similitudinem. Cujacius *Obbam*, genus poculi, cujus supra meminimus. alii *zonam*, aut aliud. Ego rectam arbitror *Onam.* Notat ridiculam & malitiosam imposturam cauponis seu cupedinarii, qui onam ficum luto oblevit, quod portitores callidi & urbani, quasi in fraudem portorii factum,

mulctarunt. Onæ ficus, sunt prædulces, quæ in agro Tarentino nascebantur: dictæ, quod ob præstantiam maxime ὀνίαι. Plin. lib. 15, cap. 19.

Molit & depsit.] Utrumque verbum habet obscœnum significatum. Horat. in Sermon.

——— *non alienas Permolere uxores.*

Cicero ad Pætum lib. 9, *Batuit*, inquit, *impudenter, depsuit multo impudentius.*

In id virgo dos &c.] Suspicor hoc dici: Eam ob rem virgo ducitur, ut, postquam in viri manum venit, insimulata flagitii aut criminis alicujus, dos ab illa auferatur. Mulier enim si quid peccasset, mulctabatur dote, quæ marito addicebatur. Cato in oratione de Dote: *Si quid perverse tetreque factum est a muliere, mulctatur: si vinum bibit, si cum alieno viro probri quid fecit, condemnatur.* Ausonius:

Sæpe in conjugiis fit noxia, si nimia est dos.

Sed fortassis legendum, *In id jurgo, dos.* Vide quæ annotavi in Satyram τοῦ πατρὸς τὸ παιδίον.

Pagina 294.

Vulpinare modo.] Reddit Græcorum Ἀλωπεκίζειν, quod illis est seducere, & imponere. Aristophanes Vespis:

Οὐκ ἔστιν ἀλωπεκίζειν, οὐδ' ἀμφοτέροις γίγνεσθαι φίλον.

Concursa.] Concursare, est quoquo versum cursare. Lucilius lib. 6:

Concursans velut angarius, lateque quiritans.

Nescis quid &c.] Tempus vesperum magna cura observant agricolæ, ut ex eo ventorum, serenitatis, nubili signa colligant. Ad quod respexit Virgil. lib. 1 Georg.

Denique quid vesper serus vehat, unde serenas
Ventus agat nubes: quid cogitet humidus Auster.

Hinc in proverbii usum abiit hæc sententia, Nescis quid vesper serus vehat: quæ nos admonet, ne præsentium rerum successu temere insolescamus, cum nescii & incerti simus, quomodo

——— *diem clauso componet vesper Olympo.*

Livius lib. 55: *In secundis rebus nihil in quemquam superbe ac violenter consulere decet, nec præsenti credere fortunæ, cum quid vesper ferat, incertum sit.* Quod Varro inscribens lepidissimo libro Satyrarum, (sic enim a Gellio meruit laudari) in quo differit de apto numero convivarum, & de ipsius

convivii habitu, jacit in eos, qui ignorant fructum conviviorum, & moderato apparatu cultuque abutuntur. Id ex eo, opinor, quod veteres Romani convivia agitabant vesperi, & ad multam noctem producebant. unde & Cœna dicitur Vesperna, & Vesperum. Plautus Rudente:

Si tu de illorum cœnaturus vesperi.

Et in milite:

Qui de vesperi vivat suo.

Nusquam autem plures.] Totum hoc censerem inducendum esse, ut glossema margini annotatum ab aliquo, qui Varronis sententiam de novenario numero convivarum voluerit confirmare ex eo, quod tantum novem ad mensam solebant accumbere: quod ipsum est præter fidem antiquitatis. nam sæpe duodecim communem mensam occupabant, etsi sordidum id habebatur. Horatius:

Sæpe tribus lectis, videas cœnare quaternos.

Suetonius in Augusto: *Cœna quoque ejus secretior in fabulis fuit, quæ vulgo δωδεκάθεος vocabatur.*

Pagina 295.

Octogesis.] Hac Satyra Varro videtur docere voluisse, nummos non tam pretio, aut numero, quam recto usu censendos ac æstimandos esse: Sicut nobilius est, inquit, Philippeum, quod asservamus & condimus in loculos, quam quod in vesicam demittimus, & consumimus. At vulgus definit, Pecuniam esse expultricem angorum, curarumque, & pro oraculo habet illud:

Τ' ἀργύριόν ἐστιν αἷμα καὶ ψυχὴ βροτοῖς.
Ὅστις δὲ μὴ ἔχει τοῦτο μηδὲ κτήσατο,
Οὗτος μετὰ ζώντων. τεθνηκὼς περιπατέει.

Id quod suspicor hic ab aliquo nummario nebulone dici. unde titulus Ochtogæsis, vel Ὀχθόγαισις, anxietatis expulsio.

Seque opificio.] Hæc ita recitat Nonius in verbo Clepere. quorum is forte sensus est: Postquam avaritia cœpit trahere & rapere; tum labores & honesta exercitia cessarunt, vigueruntque socordia atque desidia. Verumtamen non displicet mihi lectio, quæ est apud eundem in voce Probiter: *Seque opifice non probiter strepere.* quod interpretor, opere faciundo parum gnaviter se exercere. Sic autem dixit Strepere se, quemadmodum Contendere se, Erumpere se, aliaque id genus veteres dixerunt.

Addamus in bulgam.] Bulga eſt folliculus ſcorteus, in quo feruntur nummi, aut cibaria. Sed & pro ventre accipitur; ut apud Lucilium:

Ita ut quiſque noſtrûm e bulga eſt matris in lucem editus.

Hinc Varro feſtive ait, Nummos addere in bulgam, pro, in loculis reponere, vel in ventrem demittere; quaſi dicat, melius eſſe nummos edendo, quam bibendo conſumere, ut Plautinus Saturio:

Nolo in veſicam quod eat, in ventrem volo.

Non hæc res.] Priſcianus lib. 6 hæc verba adducit e Varronis de Numiſmatis. Eorum ſenſum puto eſſe: Non tam libido, quam cupiditas pecuniæ facit, ut puellæ, quæ ſunt oculis pætis & integris, fiant ſtrabæ & unoculæ. dum enim captant ab amatoribus nummos, & ad eos ſubinde oculos retorquent, ſtrabæ efficiuntur ἑτερόφθαλμοι. Nam qui non inhiat pecuniam, nec angitur cupiditate habendi, *hic ingentes oculo irretorto Spectat acervos*, inquit Horatius. Vide Flexibula.

Œdipothyestes.] Et argumentum, & tituli ratio obſcura mihi: niſi eſt de nefario concubitu, quo infames Œdipus & Thyeſtes; ille materno, hic filiæ; & ex quo uterque ſacræ prolis infelix parens.

Si quis melodinis.] Melodinus a melodia, ut Tibinus a tibia, Eumenidibus, niſi leg. μελωδεῖν *ſit* ὄνος λύρας.

Pagina 296.

Phonicia ſum.] Eſt encomium mulieris pſaltriæ, quæ aliis cantu præit, & cantantium ſe gallum gallinaceum dicit. alii putant circumſcribi munus phonaſci, & ea re legunt, *Phonaſcus adſum.*

Quam mobilem.] Videtur legendum, *lyram nobilem.*

Dicor. Porro is fuit Ennius.] Malim *bicorporis fuit Ennius*, ut ſit πρόληψις inſolentis dicti, ſe eſſe Pacuvium & Pompilium. Dixit autem Ennius, animam Homeri mutatam eſſe in pavonem κατὰ μετεμψύχωσιν Pythagoræ: deinde in ipſius corpus inſinuaſſe. Perſius:

Cor jubet hoc Enni, poſtquam deſtertuit eſſe
Mæonides, Quintus pavone ex Pythagoreo.

Muſarum Pompilius.] An eſt Pompilius poeta? cujus teſtimonio utitur lib. 6 de Ling. Lat. an Numa Pompilius rex,

qui fuit familiaris Nymphæ Ægeriæ, unius Musarum, & primus auctor carminum apud Romanos, quæ vocavit Saliaria?

Pagina 297.

Primum eam esse &c.] Sensum nullum eruo, nisi hoc dicit: Scientia psallendi est physica, quia manat a natura, & innascitur, sicut ipsa vox, basis & fundamentum ejus.

Merentis ut quietus &c.] Hujus loci sensus valde est obscurus, & ne lectio quidem satis integra: sed quantum conjectura assequi possum, videtur legendum:

Mœrentis, ut quietus ac demissior probandus,
Ἀξίου ὡς ἡρωϊκὸς, Ἰωνικὸς κιναίδου.

Non omnibus personis eosdem motus vel gestus convenire, sed alios aliis accommodatos esse: velut lugentis & sordidati, submissus motus probatur: contra viri clari & florentis, magnificus ac gravis; cinædi, mollis & dissolutus. Jonicum motum vocat lascivum & effeminatum, ut Horatius lib. 2 Carm.

Motus doceri gaudet Ionicos
Matura virgo.

quomodo & Comici Græci frequenter usurpant Ἰωνικὸς, pro eo, quod est ἁβρός. nimirum ab Joniis populis Asiæ, quos traditum est fuisse inertes, choreis deliciisque mancipatos.

Acerbus qui tibi &c.] An legendum: *Ac cervus*, vel, *Acer sus*, *qui tibi nihil mali fecit ob præclaram tuam artem figendi verutis?* An Nonius reposuit *verutis*, pro *veritus?* ob artem scilicet Musicam.

ΠΑΠΙΑΣ ΠΑΠΠΟΣ.] Arguit vulgus, quod insignem formam veræ laudis ab inani specie gloriæ nesciat discernere: tum in laudando quis sit adhibendus modus, aut quæ ratio servanda, præcipit. Eo pertinet inscriptio Papiapapæ. an Πάπιας, Πάππος? quæ sunt velut indigitamenta senum, alterum virorum proprium, alterum commune feminis, ut alibi diximus. Non desunt tamen, qui inscribant Παπία Πάππα; quod proverbii usum habet, vel cum vulgares blanditias & assentatiunculas repudiamus, quod istiusmodi ineptiæ senibus & pueris conveniant; vel cum monemus, unicuique debitum verborum honorem esse tribuendum; ut apud Homerum ab Agamemnone jubetur Menelaus blandiri copiis Græcorum:

Πατρόθεν ἐκ γενεῆς ὀνομάζων ἄνδρα ἕκαστον.

Quod plerique faciunt putidiuſcule, ad promerendam gratiam pleno modio verborum honorem principibus viris deferentes.

Ante aures modo.] Non erant, inquit, capilli exquiſita vel odioſa elegantia compoſiti, ſed ante aures tantum demittebantur parvuli cincinni, intorti ex illis capillis, qui in ima parte temporum juxta aures adnaſcuntur. Hos ſuſpicor vocari *ſoboles*, a ſtolonibus ſumta metaphora, quos veteres ſolitos criſpare veriſimile eſt: quemadmodum etiam hodie plerique Germaniæ & Belgiæ populi faciunt. Sane ſtudium comandi illos notat Petronius his verbis: *Deſcendentes ab aure mea capillos meos dentata manu duxit.* Iſidorus Origg. lib. 19: *Antiæ ſunt cincinni dependentes prope auriculas; Græco vocabulo ab auribus dictæ.* Gloſſarium: *Antiæ*, *κόμαι διὰ τῶν κροτάφων κρεμάμεναι γυναικεῖαι.* etſi Feſtus aliter.

Pagina 298.

Quos calliblepharo naturali palpebræ &c.] Βλέφαρα Græci vocant palpebras & pilos in extremo ciliorum margine natos, quibus in videndo lucis noſtræ radii diriguntur. Hinc καλλιβλέφαρα, & malarum remedia, & formæ lenocinium in ea parte dicuntur: quæ Plinius varie ſolet vertere, nunc remedia glutinandis palpebris, nunc replicandis, nunc circumliniendis. Ex eo Varro in honeſta matrona laudat palpebras tinctas calliblepharo naturali, quaſi nativa pulchritudine, non aſcita & fucata, qua utuntur mulieres interpoles. Juvenalis:

Ille ſupercilium madida fuligine tinctum
Obliqua producit acu.

Tertullianus de Habitu muliebri: *Medicamenta ex fuco, quibus malæ colorantur, & illum ipſum nigrum pulverem, quo oculorum exordia producuntur.*

Fictum levi marmore.] Ita Nævius lib. 1 Iliados:

Collum marmoreum torques gemmata coronat.

Et Lucilius *pectus marmoreum* lib. 28 Satyr.

Hic corpus ſolidum invenies, hic ſtare papillas,
Pectore marmoreo.

Diffingitur purpura.] Παθητικῶς, pro diffingit, i. e. verſicolorem facit. Eſt enim Diffingere, aliam formam inducere. Horat.

Neque diffinget, infectamque reddet.

Μωμήσεταί τις μᾶλλον κ. λ.] Hoc elogium proverbio ce-

lebratum inscripserunt operibus Apollodori pictoris, ejus, qui primus umbrarum imitationem invenit. Plin. lib. 35, cap. 9.

Umbram quoque spei.] Proverbium, de spe tenui, aut nulla, ut καπνοῦ σκιὰ, de re vili & nihili, Sophocles Antigona:

Τὰ δ' ἄλλα καπνοῦ σκιᾶς οὐκ ἂν πριαίμην.

Pagina 299.

Qui potest laus &c.] Non potest, inquit, vera laus facile dignosci, quod multæ sunt in animis hominum quasi latebræ, & externi motus, quos ad significandam voluntatem abditam ac retrusam natura dedit, specie assimulatæ virtutis persæpe fallunt. *Furaces motus*, vocat fucatos & ascitos.

PARMENO.] Insectatur mortalium stultam temeritatem, qui cupiditatibus & ambitione præcipites, se ipsos assiduis laboribus fatigant: cum nihil sit beatius, quam rebus omnibus relictis, studiis ingenuis operam navare. E quibus humanissimam & aptissimam ad tranquillitatem vitæ curarumque levationem judicat poeticen, cujus partes multas, & varia genera recenset. Hinc inscribit nomen Parmenonis, illius cantillatoris celebrati proverbio Græco, Οὐδὲν πρὸς τὴν Παρμένοντος ὗν.

Alia trabes pronis.] Ennius. Medea:

Utinam ne in nemore Pelio securibus
Cæsa accidisset abiegena ad terram trabes.

Ex illo Euripidis:

Μηδ' ἐν νάπαισι Πηλίου πεσεῖν ποτὲ
Τμηθεῖσα πεύκη.

Catullus:

——— *illa procul radicibus exturbata*
Prona cadit, lateque & cominus obvia frangens.

Arcyas Viscum &c.] Ἄρκυας, casses ex denso & crasso fune, ad venationem ferarum. Viscum, rete, a tenacitate. Martial. de urso: *Implicitum visco.* Posterior vox corrupta est. alii reponunt, *sagenam*, nonnulli *sugela*: quibus me judicem non interpono.

Pagina 300.

E cavo fonte.] Mira echo, quæ resonans e fonte, redditur in silva. Videndus Plinius.

Pari hujus &c.] Forte, *Patri hujus*. Patri huic nascuntur pueri de musica aut numero.

In argumentis.] M. Varronis unius omnium doctissimi judicium, quod de tribus Comicis Latinis hoc loco fecit, verissimum censeri merito debet. Sed de Cæcilio nobis difficile est affirmare, quibus injuria temporum vel ipsa rerum confectrice vetustate, omnes illius fabulæ perierunt. De Terentio & Plauto ipsorum superstites comœdiæ satis indicant, quam sit alter politus, castus, in effigendis moribus, & personis quibusque accommodandis gravis; alter facilis, copiosus, varius: ut non sine ratione doctissimi veteres judicaverint, illius comœdias magna ex parte a Lælio atque Africano, viris gravissimis, expolitas, vel etiam confectas esse; hujus sermone Musas lucuturas fuisse, si Latine loqui vellent.

ΠΕΡΙ ΑΙΡΕΣΕΩΝ.] Hæc Satyra incessit philosophos, qui magna contentione & varietate opinionum inter se disceptant de ultimo fine bonorum, ad quem debent omnes actiones & consilia vitæ referri.

Neque in polvere mythico.] Significat res graves & serias tractaturum. Loquitur autem viator, qui tanquam longam viam confecturus, in hoc ait se parare viaticum copiosum, & instructum. itaque nihil muto: etsi Scaliger non male, *Polubro mythico.* nonnulli reponunt, *pulvere Libyco;* quod in plerisque Libyæ locis incolæ soliti carnes coquere in arenis, solari calore ferventibus.

Tum contremula.] An dicit, philosophiam natam & altam in Academia, quæ haud procul a litore? an Lunam significat? quæ, quod humorem terris inducit, apte dicitur aquilenta, ut a vino vinolenta, a temeto temulenta.

ΠΕΡΙ ΕΔΕΣΜΑΤΩΝ.] De eduliis, & peregrinis ciborum generibus, quæ ganeones terra & mari conquirunt: de quibus videndi Plinius, Athenæus, Clemens Alexandrinus libr. 2 Pædagogi, & alii.

Hædus ex Ambracia.] Quis est? an animal quadrupes? quod tamen non in Ambracia, sed Media insula maximum ac pulcherrimum fuisse, auctor est Varro lib. 2 de Re rust. & Clemens lib. 2, & in agro Tiburtino, Juvenal. Sat. 11, 65:

De Tiburtino veniet pinguissimus agro
Hædulus, & toto grege mollior, inscius herbæ.

an piscis? qui idem κάπρος, quem in sinu Ambraciæ optimum fuisse testatur Archestratus apud Athenæum, & Ennius in Ichthyophageticis:

Mus Mitylenæ est; pecten caprusque apud Ambraciæ sinus. sic enim legendum puto in Apulejo, Apologia 1, & piscem eundem esse κάπρον & hædum Ambraciotam.

Pagina 301.

ΠΕΡΙ ΕΞΑΓΩΓΗΣ.] Exagitat forticulos istos, qui cura aliqua graviore oppressi, aut adducti in extremum vitæ discrimen, sibi ipsis mortem consciscunt.

An monuce ῥώσας purus.] Fortassis legendum, *μόνον ἐρώσας purum. Devirginatus* est, qui ex ephebis excessit, cui

——— *ævo florente juventas*
Occipit, & molli vestit lanugine malas.

Contra *Purus*, investis & imberbis, ut idem Lucretius lib. 4:

Puri sæpe locum propter,

pro pueri.

Quemnam te esse dicam?] Ennius in Thyeste:

Quemnam te esse dicam? qui tarda in senectute.

Lacus sanguinis.] Ita dixit venas, in quibus sanguis fervet.

Si ob eam rem gangræna non fit.] Al. *mox fit.* Ob eam rem, id est, digitum. Locutio Varroni familiaris, cujus exempla permulta sunt in libris de Re rustica. Quamquam in vulgatis libris est — *non fit;* id est, ob digitum præcisum. non male.

Quia — Prusiades.] Prusiades Prusias, ut Scipiades Scipio. Lucilius:

Cornelius Publius noster
Scipiades dicto, tempusque intorquet in ipsum.

Idem. lib. 11:

Scipiadæ magno improbus objiciebat Asellus.

Pagina 302.

ΠΕΡΙ ΚΕΡΑΥΝΟΥ.] Fulmen, telum Jovis, ad quod expavescebant miselli, & ignari rerum cælestium.

Cognitio enim tonitrus fulget &c.] Legendum, *Cognito enim tonitru fulget, & post tonitrum fulgura a* &c.

Majores solitos &c.] Hunc morem alludit Plautus Sticho:

Decumam partem ex voto Herculi polluceam.

id verbum sacrificale, Diis reddentium libamenta. Cato de Re rustica: *Jovi dapali culignam vini, quatum vis, polluceto.*

PLUTORINE.] Charisius unus meminit lib. 1; sed libri

corrupte referunt *Plautorino.* ῥινὴ, est lima, vel instrumentum auro fundendo aptum. Vide Cosmotorine.

Scriptulum.] Suspicor huc pertinere illud, quod posuimus inter incerta Satyrar. ex Arnobio, *Ubi denique Apollo* &c. p. 317.

PRANSUS PARATUS.] Hoc proverbium unum omnium elegantissimum Varro inscribit Satyræ, in qua monet, paratum ad omnem casum & semper intentum esse hominem oportere, quo constare in omnibus actionibus vitæ possit sibimetipsi, nec in ullo officio claudicare. Quod maxime quidem convenire principibus, & rempublicam gerentibus præcipit Flexibulis. *Quare*, inquit, *o Marce, pransum ac paratum esse hoc munere oportet.* Idem adscribimus nos emblemati nostro, cujus pictura miles armatus, seposita bulga, in patenti campo se hosti offerens. Est enim tralatum a militibus, qui pransi & curatis corporibus, expediti ac parati ducebantur ad pugnam; quia, ut Ulysses monet Græcos Il. τ. v. 167 sqq.

Ὃς δὲ κ' ἀνὴρ οἴνοιο κορεσσάμενος καὶ ἐδωδῆς,
Ἀνδράσι δυσμενέεσσι πανημέριος πολεμίζει,
Θαρσαλέον νύ οἱ ἦτορ ἐνὶ φρεσὶν, οὐδέ τι γυῖα
Πρὶν κάμνει, πρὶν πάντας ἐρωῆσαι πολέμοιο.

Cat. lib. 5 Originum: *Exercitum suum pransum paratum, cohortatum eduxit foras, atque instruxit;* quem locum politissimus Lipsius primus observavit. Porro diversum ab hoc, & contrarium sensum, habet Pransus potus: quo notatur homo dissolutus, & temere negligenterque res suas agens. nihil enim serium navare, aut efficere potest is, qui multo cibo & potione se complet. Cic. pro Milone: *Adde inscitiam pransi poti oscitantis ducis.* Plaut. Menæch.

Prandi ac potavi, scortum accubui.

Martial.

Prandeo, poto, ludo.

Nitens humu.] Imitatus Virgil. lib. 2 Æneid.

Pressit humu nitens.

ubi Servius: *Incedens per humum, & est adverbium.*

PSEUDOLUS APOLLO.] Titulus Græcus est in omnibus libris veteribus, περὶ Θεῶν ἀπαντήσεως, de occursu, vel exceptione Deorum. Sed an religionem Deorum Varro queritur neglectam? cum homines improbi Deos quasi servos excipiunt, & ad omnia, quæ volunt & affectant, producunt. an suggillat ipsos Deos? quos constat certis hominibus ad libidinem suam designatis, mutata forma occurrisse, & quo

liberius flagitiis suis indulgerent, servisse etiam mercenariam servitutem: sicut Apollo flagrans amore Admeti regis, ejus armenta pavit, nec agnitus fuit Deus.

Quod in ejus Dei &c.] Quem Deum, aut quod oppidum significet, non intelligo.

Pagina 303.

Aut septem &c.] Vult parem chorum, nec imparem numerum admittit. itaque legendum puto, *haud septem sinuero.*

PSEUDONEA.] Prisciani omnes libri ita habent, auferendi casu. ex quo forte restituendus titulus *Pseudoneus*, Ψευδόνεως, ut hac Satyra templorum cultum vanum, & inutilem magnificentiam notasse putandus sit: quod etiam fecit Arnobius lib. 6 Adversus gentes.

Per æviternam.] Varro lib. 5 de Ling. Lat. *Ævum ab ætate omnium annorum: hinc æviternum, quod factum est æternum. Hinc Poetæ, Æterna templi cæli.* Idem Dolio: *Mundus domus est maxima homuli.*

QUINQUATRIA.] Hac Satyra insectatus est medicos, & omnem ipsorum artem illusit, velut sordidam, abjectam, & vix libero dignam. nimirum medici olim ipsimet manibus suis venas incidebant, medicamenta præbebant, emplastra, collyria admovebant, eademque omnia per se curabant, ad quæ aliena nunc opera utuntur. Sed titulus est obscurus & corruptus: qui mihi videtur non incommode posse restitui, observata veteri ratione scribendi, qua librarii pro litera C, scribebant qu; cujus rei ignoratio Varroni sæpe vitium attulit. Quid si igitur hic reponamus *Cyniciatri*, κυνικίατροι? quo nomine apte dicuntur medici chirurgi, quasi canini & mordaces: quod secando, vellendo, urendoque assidue corpora affecta lacerant. nisi forte, ut Œdipothyestes, ita Cyniciatri, Cynici & medici, quos inter se componit: ut Herophilum, medicorum principem, cum Diogene Cynico contendisse ex fragmentis apparet.

Qui Tarentinum.] Heraclides Tarentinus, celebris auctor medicinæ: e cujus libris multa in suum opus Naturalis historiæ Plinius transtulit. Laertio dicitur ἰατρὸς ἐμπειρικός. Eum Varro hic confert cum Heraclide Pontico, philosopho nobili. Sic enim accipio verbum Contendere: etsi Nonius aliter.

Hic bipensiles forcipes &c.] Hæc connumerat inter medici instrumenta, ut & Lucil. lib. 19:

Scalprorum forcipumque millia viginti.
Et paulo post: *Qui vis forcipibus dentes vellere.* Inter quæ Paullus J. C. etiam ponit collyria, emplastra, ferramenta: quia olim, ut dixi, medici iidem chirurgi. Gellius lib. 12: *Cum vulnera ejus a medicis exsecabantur, ridere solitus fuit.* Lampridius in Commodo: *Imitatus est & medicum, ut sanguinem mitteret scalpris feralibus.*

Nempe tuo.] An legendum, *nempe duo?* ut consequar illa duo scilicet, ut bibam amaras & insuaves potiones, & vires corporis deminuam. Sed de absynthio aliter Plinius lib. 27: *Latinorum feriis quadrigæ certant in Capitolio, victorque absynthium bibit: credo sanitatem præmio dari honorifice arbitratis majoribus.*

Cape hanc caducam.] Præbet ægroto vinum & quidem dilutum, & mixtum aqua fontana. *Caducam Liberi dapem*, ut alibi, *Libamenta legens caduca victus.*

Nido potili.] Nidus potilis, poetice dicitur poculum, quasi mansiuncula & loculamentum potus.

An hoc præstat.] An hoc te jactas, medice, inquit, quod e ventre hydropici aquam emittis? Sed hac re multum te præstat aquilex, qui arte elicit aquam e scaturiginibus, id est, ὑδροσκόπος, vel, τὰ ὑδραγώγια ἐργαζόμενος, ut exponit auctor Glossarii. in qua significatione hoc verbo utuntur Plinius & Callistratus Ict. Quamquam Varroni fortassis, ut Scaligero videtur, Tuscus aquilex dicitur is, qui sacrificiorum & rei divinæ procuratione, quarum rerum periti Tusci erant, aquas pluvias eliciebat. Festus: *Aquilicium dicitur, cum aqua pluvialis remediis quibusdam elicitur* &c.

Tu Phædi contra.] Notatur medicus sordidus & egenus. Porro Nonius observat, Varronem hic masculino genere dixisse Turdum: quæ vox cum hoc toto fragmento non inveniatur, Lipsius tentavit eam reponere, verbis paululum trajectis: *Ejus prius turdum quam alvum subducere malis.* hac sententia: Cum vides ægrotum eburneo lecto & purpureo toro jacentem, insolens tanti apparatus, nihil audes contra illius sententiam dicere, & homo famelicus mavis turdum, quem appositum vides, furtim & clam auferre, quam alvum ejus subducere ac mitigare. Mihi videtur Nonius hic errasse, ut alias sæpe, scripsisseque Varronem, *Ejus prius alphum, quam tylen subducere malis;* id est, Potius cupis arte medica vitiliginem tollere e corpore hujus divitis ægroti, quam manibus levare, vel auferre operosa & splendida illa stragula, quibus instra-

rum vides. Sed est in libris veteribus, *tympen.* unde suspicor, in Nonio leg. *Tumbi* masc. generis; & *tympen subducere.* facete lectum, in quo, velut in sepulcro, compositus jacet dives ægrotus, vocat tympen. Et eam esse veram lectionem, ausim præstare.

Pagina 304.

SARDI VENALES.] Hujus proverbii usus, ubi magna frequentia sordidorum hominum, quorum ars & opera venum it: ut sunt in aulis principum satellitum agmina, in tribunalibus greges rabularum, in funeribus atratorum catervæ. Cic. ad Fabium Gallum: *Habes Sardos venales, alium alio nequiorem.* Origo ex eo, quod Tiber. Gracchus Cos. cum Sardiniam Corsicamque subegisset, nihil prædæ inde abduxerit, præter mancipiorum vilissimam multitudinem, quorum venditio in multos dies contemtim protracta. Vid. Plutarchus in probl. Festus lib. 17, & Libellus de Origine principibusque gentis Romanæ, cujus auctorem esse Q. Asconium Pædianum, mihi quidem non est dubium.

Te Anna perenna &c.] Ita hos versus emendandos censeo apud Gellium lib. 13, cap. 21. Anna Perenna colebatur ad initium anni, id est, Idib. Mart. quo annare, perennareque commode liceret, auctore Macrobio. Ovid. lib. 3 Fastor.

Nec mihi parva fides, annos hinc esse priores:
Anna quod hoc cœpta est mense Perenna coli.

Et:

Idibus est Annæ festum geniale Perennæ,
Non procul a ripis advena Tybri tuis.

Panda appellata est a pandendo, quod Tito Tatio, Capitolinum ut caperet collem, viam pandere atque aperire permissum fuerit, ut refert Arnob. lib. 4. Varro lib. 1 de Vita populi Rom. eandem putat cum Cerere, dictamque a pane dando, quod qui ope indigerent, & ad asylum Cereris confugissent, panis daretur.

Λατὼ, Pales.] Λατὼ, Dorice pro Λητὼ, Latona, Apollinis & Dianæ mater. Pales, Dea pastorum & pecoris, cujus festa Palilia, vel Parilia, XX Kal. Majas. Ovidius lib. 4 Fastor.

Palilia poscor.
Non poscor frustra, si favet alma Pales.

Neriones.] Quæ & Nerio & Neria, conjux Martis: de qua multa Gellius loco illo, quem laudavimus.

Lucuns, nihil.] Lucuns genus panificii melliti commemorat Varro lib. 2 Peripli. Festus vocat Lucunter: Græcis est λευκαντὴς, ab aspersione farinæ, quæ alba est. Hinc Lucunculus Apulejo lib. 10 de Asino aureo: *Panes, crustula, lucunculos, hamos, lacertulos, plura scitamenta mellita.* Tertull. de Spectaculis: *Stillicidia mellis de lucunculo venenato.*

Eam suppetias.] Ire suppetias, ut Oppius lib. 5 de Bello Afric. *Nuntiabantur auxilia magna, equitatusque oppidanis suppetias venire.* &, *Oppidisque suppetias profectus est.*

Nec res, nec ratio.] Significat, nullam esse consolationem, nullum auxilium. Terent. in Heaut. jungit rem & consilium:

Aut consolando, aut consilio, aut re juvero.

Similiter Plautus Pseudolo:

Juvabo aut re, aut opera, aut consilio bono.

Sallustius Catilina: *Neque res, neque spes bona ulla.*

Dissociaque omnia &c.] Totum hoc sumsit a Lucilio lib. 29 Satyr. ubi Nefantia pro nefandis posuit.

Hoc dico compendiaria.] Ellipsis, pro Compendiaria via. Seneca ad Lucilium: *Hanc itaque compendiariam excogitavit:* &, *Ad maximas te divitias compendiaria ducam.*

SERRANUS.] Comitiorum ratio severa & integra, temporibus majorum,

Serranos Curiosque tulit, fascesque per arva
Tradidit, eque suo dictator venit aratro.

ait Manilius: postea corruptis moribus, populus nullo delectu, nullo judicio usus in mandandis magistratibus. ita fæx hominum irrupit in curiam: quod hæc Satyra notat.

In anni tetrachordio.] Eleganter & apte. nam tetrachordium invenisse traditur Mercurius ex varietate quatuor anni temporum, ut scribit Macrobius lib. 1 Saturnal.

Sculponeatum bigas &c.] Sculponeæ calceamenta sunt rustica Catoni cap. 59, ubi præcipit, Sculponeas bonas alternis annis dari oportere familiæ rusticanæ. Fulgentius interpretatur, cestus plumbo ligatos, Casina Plauti illo versu, *Quid quæso potius quam sculponeas?* hinc Sculponeatus, calceatus sculponeis. *Bigæ cornutæ*, sunt boves duo aratores, quos aratro junxit primus Triptolemus.

Arivo Deo.] Ita vocat, opinor, Triptolemum, qui in Attica regione usum agriculturæ primus invenit, & quo mortales edoceret, alatis serpentibus, quibus tanquam curru ute-

batur, totum terrarum orbem peragravit. Valerius Flaccus lib. 1 Argonaut.

——curru ut sævos frenasse dracones
Creditus, ignaras Cereris qui vomere terras
Induit, & flava quercum damnavit arista.

Arivus, forte ab arando.

Pelum cedere.] Ita libri veteres. optime. notat sordes consulis, qui, factus de figulo, alteri cedit figulinam; quod omen ille accipit, quasi ex eodem luto idem possit exire. Πηλὸς, pelus, lutum, argilla; unde πηλογόνοι a Callimacho dicuntur Gigantes, quasi e luto, seu terra, prognati.

Pagina 305.

Noster Atticus, rivalis &c.] Legendum, *Noster antiquus, ruralis homo;* ut Gerontodidascalo, *Priscus homo, ac rusticus Romanus.*

Cum dixisset Vitulus.] Fuit cognomen Pomponiorum; ut Taurus Statiliorum, Capra Anniorum, auctore Varrone lib. 2 de Re rust. etiam Voconiorum & Octaviorum, ut ex antiquis inscriptionibus liquet.

Irrupit se.] Ita Attius Epigono: *Ita imperitus stupiditate erumpit se.* Varro Marcipore: *Ventique frigido se ab axe eruperant.* Gellius lib. 15: *In fugam se prorupit.*

Rostrum in protrudendum cesserent.] Videtur legendum, *Rostrum intro trudendum cesserint.*

SESQUIULYSSES.] Hunc titulum, ut magnificum, notat Plin. in præfatione librorum Nat. hist. Videlicet Homerus fingit Ulyssem in mari decem annos solidos jactari: Varro suum, quem inducit, pares labores & errores subire in mari; hoc amplius hærere & errare in diverticulis philosophiæ. Itaque Sesquiulysses accipitur pro callidissimo & prudentissimo.

Suspendit Laribus &c.] Solebant in compitis suspendere pilas, & effigies viriles & muliebres ex lana in honorem Deûm Larium, ut vivis parcerent, ut essent istis pilis & simulacris contenti. Hinc Varro vocat molles pilas, quas fingit in navi suspendi Laribus marinis; de quibus meminit Livius lib. 40, referens, illis ædem vovisse Lucium Æmilium Regillum in bello contra Antiochum regem prœlio navali, quæ XL post annis dicata fuerit. Ne quid tamen dissimulem, est in antiquis libris *marinas*, in est, pilas in mari confectas, aut suspensas.

Reticula ac strophia.] Reticulum hic non est tegmen capitis muliebre, ut Nonius accipit; sed rete lineum, quod delicatuli implebant rosis aut floribus. & Strophia sunt textæ fasciolæ, e quibus fiebant coronæ, auctore Festo. Lares autem solitos ornari floridis coronis, notissimum est.

Hic enim omnia erat.] Omnia esse, proverbii formam habet, ut apud Græcos τὰ πάντα εἶναι. Æschylus:

Ζεύς ἐστιν αἰθὴρ, Ζεὺς δὲ γῆ, Ζεὺς δ' οὐρανὸς,
Ζεύς τοι τὰ πάντα.

Demosthenes: Πᾶν' ἐκεῖνος ἐν αὐτοῖς. Laertius lib. 4 e Pammetro:

Ὁ πάντα πάντη Ξενοκράτης ἀνὴρ γεγώς.

Liv. lib. 50: *Demetrius eis unus omnia est.* Lucanus lib. 1: *Omnia Cæsar erat.* Martial. lib. 5:

Hermes omnia solus, & rex unus.

Pagina 306.

Veste pulla candidi.] Vestis pulla hic non est atra & lugubris; sed non alba, non pura, qualis erat toga prætexta puerorum & epheborum, circumdata purpura: nam toga virilis pura, candida erat, sine ulla purpura. Catullus ad Mallium:

Tempore, quo primum vestis mihi tradita pura est.

Papinius lib. 5 Silvar.

Nec saltem teneris ostrum juvenile lacertis
Exuit, albentique humeros induxit amictu.

Amictus pascunt pectore.] Pectori amictum adstringunt & apprimunt, exponit Turnebus. Ego arbitror, Pascendi verbo nova quadam ratione, & præter vulgatam consuetudinem, Varronem hic abuti pro fovere & servare: quomodo fere in sacris hoc ipsum verbum usurpabant, præcone acclamante, *Pascito linguam*, id est, coerceto & teneto. Hoc enim dicit: Ephebi amictus submissos modeste fovent animo, cujus opera illos componunt & parant; suntque in veste non pura moribus candidi. Quod institutum, præclarum sane, utinam servarent hodie nonnulli, qui vestimentis profitentur innocentiam & humilitatem, sed non pascunt amictus pectore: in quo

Quinquaginta atris immanis hiatibus hydra
Sævior intus habet sedem.

Ipsum audivi.] Cyclopem, quem Ulysses vino decepit.

Vino invitari &c.] Ita Plautus Rudente:

Neptunus magnis poculis hac nocte eum invitavit.

Salluſt. lib. 4 Hiſtoriarum: *Cum ſe cibo vinoque læti invitarent.*

Adverſi venti ceciderunt.] Dicuntur venti cadere. Horat. lib. 1 Carmin.

Concidunt venti, fugiuntque nubes.

Liv. lib. 46: *Ubi primum aquilones cecidere.*

Mare volvere.] Liv. lib. 47: *Circumagente ſe vento, fluctibus dubiis volvi cœptum eſt mare.*

Album canem.] Vertit Homeri κύνα ἀργόν: de quo inter grammaticos magna diſſenſio eſt. Album vero Nonius interpretatur, mitem & placidum.

Pileum ideo non.] Priſci Græci nulla capitis operimenta habebant: tantum velabant caput pallio contra ventum, ſolem, pluviam. Indicat Homerus, qui nec pilei, nec cauſiæ uſquam meminit: & cum Laerti ruſticanti tribuit αἰγέην κυνέην κεφαλῇ, & Ulyſſi mendico κυνέην, intelligit pellitum munimentum capitis, loco galeæ. Varro ait, Diogenis Cynici habitum cultumque veſtium alium fuiſſe, quam Ulyſſis: illius pallium laxum ac demiſſum, & tegendo corpori, & velando capiti; hujus tunica brevis & arcta ſolum corporis operimentum, nec aptum capitis obnuptui. Ita hunc fuiſſe capite aperto, quia pileo carebat: a quo etiam pictura ejus ſine pileo viſebatur, donec Nicomachus pileum addidit, auctore Plinio lib. 30. Quam picturam Varro fortaſſis hic ita interpretatur, ut Diogenes palliatus ſignificet Sapientem, Ulyſſes tunicatus, & ſine pileo, Sapientiæ ſtudioſum. Sed in ſcena Ulyſſes palliatus ſemper inducebatur, ſive quod Ithacæ incolæ pallio amiciebantur, ſive quod inſaniam ſimulans, eo ſe texerit.

Unam enim viam &c.] Zeno princeps Stoicorum voluit, ſola virtute vitam beatam perfici: Carneades ea bona, quæ ſunt in corpore, tanquam virtutis inſtrumenta adjunxit. De his ſententiis loquitur hic Varro; cujus verba perſcripſi, quomodo recitantur a Nonio. Verumtamen libens aſſentior eruditiſſimis viris Juſto Lipſio, & Joſepho Scaligero, quibus videtur, Nonium erraſſe, reponendumque verbum Deſabulare, quod eſt ſabulo ſternere.

Pagina 307.

Horridus miles.] Eſt ab Ennio Annal. 8:

Spernitur orator bonus, horridus miles amatur.

Ganeum accenſum.] Ita calidum lupanar, fervens ſtupris, dixit Juvenalis:

Intravit calidum veteri centone lupanar,
Et cellam vacuam, atque suam.

Jugere volitans.] Prognosticon imbris. Festus: *Jugere dicuntur milvi, cum vocem emittunt.*

SEXAGESIS.] Hac Satyra inducitur senex quidam, qui, cum se longo itineri commisisset, in via somno oppressus, continuos quinquaginta annos obdormivit, inde exporrectus concessit Romam, ubi reperit, antiquis & moribus & viris, quibus stare quondam respublica solebat, nihil esse loci. Ergo quod senex ille multa queritur de contemtu sexagenariorum, ab eo titulus Sexagesis.

Adest fax &c.] Vetus poeta apud Ciceronem lib. 1 de Divinat.

Adest, adest fax obvoluta sanguine atque incendio.

Pagina 308.

Quam Socrates calvum &c.] Quis vero iste Socrates ut glaber & depilis laudatur? Censeo emendandum, *τὸ κρᾶς est calvum.* Cum essem, inquit, tam lævis & sine pilis, quam caput est calvum; factus sum totus setosus, & infestis undique horrens aculeis, ut ericius seu echinus. de quo vide Aristotelem, Plinium, & alios.

Dedisses æquimenti.] Nonius hoc nomen scribit cum diphthongo. inepte. Deducitur enim a verbo Equire, significatque mercedem, quæ pro equi & aliarum quadrupedum admissura solvitur, ut recte Turnebus observavit.

Reum ducebat esse κοινὸν] Hoc dicit: Judex avarus & inhians bona rei, quasi prædam, judicabat, illum esse publici juris & mancipii. Videtur autem respicere ad proverbium Græcorum, Κοινὸς ὁ Ἑρμῆς· quo significatur, decere communes utilitates in medium afferre.

Δὸς καὶ λάβε.] Est proverbium Græcorum, natum a negotiatoribus, quorum commercia ubique constant vicissitudine dandi & accipiendi. Plato in Axiocho tribuit Epicharmo comico; cujus versiculum hunc ait Prodico sophistæ semper in ore fuisse:

Ἡ δὲ χεὶρ τὴν χεῖρα νίζει, δός τι καὶ λάβε τι.

Varro concinne jacit, hoc unum fervere in judiciis; notans eo judices leves & iniquos, qui non judicant ex præscripto juris & legum, sed corrupti muneribus, judiciorum religionem, quasi mercem, vendunt. De quibus scite Petronius:

Ergo judicium nihil est nisi publica merces,
Atque eques in causa, qui sedet, emta probat.

Carnales arripiunt.] Al. *Casnares* —. Casnar Oscorum lingua significat senem. Varro lib. 5 de Ling. Lat. Fest. lib. 3.

De ponte in Tiberim.] Hinc proverbium, Sexagenarios de ponte dejicere, de quo multa Ovid. lib. 5 Fast. & Nonius Marcell. Cic. pro Sex. Roscio: *Habeo etiam dicere, quem contra morem majorum minorem LX de ponte in Tiberim dejecerit.*

Pagina 309.

Hui muli.] Ita Scaliger. recte. Homines stupidos per contumeliam vocabant mulos & asinos. Catull.

Mule nihil sentis.

Terentius Eunucho:

Flabellum tenere te asinum tantum.

Tollit nisi veneno.] Ludit in ambigua notione verbi Tollere, quod & erigo significat, & occido. Filius, inquit, non tollit patrem, nisi veneno, id est, non allevat, sed enecat. Similis ambiguitas verbi Sustollo, qua luserunt in Neronem illud:

Quis neget Æneæ magni de stirpe Neronem?
Sustulit hic matrem: sustulit ille patrem.

Et αἴρω apud Homer.

SYNISTOR.] Notat curiosos astrologos, qui cæli plagas, & mundi fata, atque secreta rimantur, nec, quod ante pedes est, vident.

SYNEPHEBUS.] Inscribitur Satyra, quæ damnat consociationes infidas & instabiles, quales fere sunt inter dominos & servos: ideo quod inter eos, qui una adolescunt, plerumque exsistunt istiusmodi coitiones consensionesque, nec sinceræ, nec diuturnæ. nimirum in illis morum studiorumque similitudo gignit quandam benevolentiæ vinctionem, quæ mox, confirmatis & ingeniis & ætatibus, facile dissolvitur. Sed & Cæcilius comicus Synephebum dedit.

Hodie si possumus.] Accipio Saturnalia, optimum dierum, ut vocat Catullus. Primum, quia is dies servorum, in quos hæc Satyra; deinde quia dicatus publicæ privatæque lætitiæ, quo solemne munera mittere ultro citro, vacare ludis & spectaculis, ad summam sine curis vivere, & unum curare genium. Quod ergo dicitur hoc die populo deberi, intelligo ludos, fabulas, aut alia spectacula publica.

Pagina 310.

Hic narium seplasia &c.] De Seplasiis dixi jam ante 'Αν-δρωπουργία. *Hedycus Neapolis*, est, opinor, unguentaria vel negotiatio, vel confectio, qua celebris & eximia Neapolis. Plinius lib. 13, cap. 1, refert tres civitates arte conficiendorum unguentorum, quæ Græca voce dicuntur hedysmata, laudem meruisse, Capuam, Neapolim & Præneſtem.

Cum octo medicarios &c.] Corruptus locus, cujus emendationem certam non invenio. quid tamen mihi in mentem veniat leviter suspicari, non celabo lectorem. Putarim leg. *Cum octo pedicarios honestos, aut HS. semis dare possis, mittet.* hoc sensu: Dominus te manumittet, cum possis illi dare octo pathicos cinædos, seu meritorios formosos, aut sestertium semis, quod satis ad impetrandam libertatem, quam liberales domini vel libella dabant. Vide quæ dixi in locum illum Γνῶθι σεαυτὸν; *Ad me deca adolescentem.*

Crede mihi, plures &c.] Notat infidelitatem servorum in dominos, celebratam vulgari illo proverbio, Quot servi, tot hostes. Multos dominos, inquit, servi occiderunt: at canes dominos peremisse non sciretur, si Actæon cavisset, & ipse prius suos canes necasset.

Non nugas saltatoribus.] Nugas monoptoton & commune trium generum, pro nugax, dixisse veteres, Charisius & Priscianus tradunt. Idem hoc Varronis loco reponendum testantur libri veteres.

TANAQUIL.] Uxor Tarquinii Prisci, quæ, ubi Romam venit, appellata fuit Caja Cæcilia, & eam probitatis atque industriæ laudem consecuta, ut in nuptiarum solemnibus fuerit observatum, nomen Cajæ boni ominis causa a nubentibus frequentari. Hinc titulus Satyræ Varronis, in qua honestæ matris familias virtutes & officia persequitur. Videndi Festus, Plin. lib. 8, cap. 48, Plutarchus in Problemat.

ΤΑΦΗ ΜΕΝΙΠΠΟΥ.] Est de structura ædium, in qua homines lautos queritur sumtu & magnificentia modum excedere. De Menippo Cynico ea, quæ pertinent ad rationem inscriptionis, pete ex Icaromenippo Luciani.

Ubi lubet ire &c.] Verba Plauti Menæchmis:

Prandium, ut jussisti, hic curatum: ubi lubet, ire accubitum licet.

Suffilimus.] Antique, ut apud Plautum quoque scriptum observavimus, cum alibi, tum illo versu in Curculione:

Suffilite obsecro, & mittite istanc foras.

In lectis quondam.] Fortasse legendum, *in lecti spondam;* ut dicat, Cynicum præbitorem in convivio apposuisse putidas uvas, cum domini lautiores soliti præbere uvas optimas & lectissimas, quas in carnario, aut in horreis suspensas asservabant. de quo ad lib. 1 de Re rust. diximus.

Ἢ ἀπάντησις. *Edones* &c.] Libri veteres, e quibus legerim, ἢ ἀπαντήσει *edones?* An coeunt, inquit, edones Romam in hoc, ut turba fiat carior annona? Sed tantum est hic helluonum, ut turdum aut ficedulam, nisi volantem, nemo videat.

Pagina 311.

Intendat annonam.] Al. *Incendat.* Incendere annonam, ut lib. 3 de Re rust. Excandefacere, Incendere. quod postremum etiam Plin. lib. 33. Flagellare, Vexare annonam, Ulpianus ad edictum.

Ut ait Plautus, penitissuma.] Plautus in Persa:

Furtivam adductam ex Arabia penitissuma.

In terræ pila.] Pilam terræ dixit lib. 5 de Ling. Lat. nam terra rotunda in modum pilæ. Ennius:

——*pilam vix sol mediam complere.*

Loquitur autem de Menippo Cynico: cujus nomen hic forte reponendum: *Menippus ille nobilis quondam canes.*

Romam ipsam in Narcosi &c.] Obscurus locus, cujus sensum nullum extrico; nisi si forte dicit, Romam ipsam calumniarentur torpere, qui judicant vacuum & otiosum tempus illud, quod nundinas intercedit. *Internundinum*, intervallum nundinarum; ut Intermenstruum, mensium; Interregnum, regni.

Περὶ ἔχοντος ταριχείας. *mihi* &c.] Ita habent libri antiqui, quos varii varie interpolant. Emendarim: Περὶ ἔχοντος τὰ τειχία μύχου. elegans periphrasis sectorii conclavis, cujus facies, inquit, est implexa & distincta parvis insititiis tessulis, tum pictura orbis terræ exornata. sic enim legendum, *radio pingens*, pro *adeo cingens*, ut Virgil.

Descripsit radio totum qui gentibus orbem.

Sed quæ necessitas &c.] Quæ necessitas, inquit, te cogit media domo in pavimento aquam effundere, cum sint in culina urnarium & confluvium, loca aquarum effusionibus facta, & destinata? An quia vasa habes pertusa, & plumbum non habes, quod est committendis fictilibus vasis fractis. Juvenalis de dolio confracto, domo Diogenis:

——*eadem plumbo commissa manebit.*

Sed Lipsius reponit *polubrum*, quod est genus vasis lavandis manibus.

In pavimento non &c.] Turnebus inducit negationem. non recte. hic enim sensus: Non audes in pavimento facere lacunam, in quam aquarum effusiones deriventur, at in molli, & quasi investita humo calceos elixas: quo nihil potest esse ab elegantia & urbanitate magis alienum.

Pagina 312.

Aut cryptis, ubi.] Videtur legendum, *Ut in cryptis, ubi.*

Publica nocte te &c.] Emendo: *Nostete cavernas, quas.* Nostetis a Græco verbo νοστέω, quod significat redeo, eo, spatior, & publica nostetis, est publicum ambulacrum, ut Plinius & Festus vocant. quod genus hodieque habent civitates mercatu frequenti celebres.

Hæc Numa Pompilius.] Numa Pompilius rex leges tulit de ritibus sacrorum, in quibus etiam, non modo in victu communi, parsimoniam observari voluit. Earum legum capita aliquot exstant apud Plinium, ad quæ Varro hic respicit: DIS EX VITE NISI SARPTA NEI LIBANTO. VINO ROGOM NEI RESPARGITO. PISCEIS QUEI SQUAMOSEI NON SIENT NEI POLLUCETO. SQUAMOSOS OMNEIS PRÆTER SCARUM POLLUCETO.

Ut hirundines figulis.] Legendum puto, *tigillis.* Tibullus lib. 2:

Illi compositis primum docuere tigillis
Exiguam viridi fronde operire domum.

Petronius:

Est paries circa, palea satiatus inani,
Fortuitoque luto, clavos numerabat agrestes.

Quam fullo ululam.] Hujus dicti rationem sane probabilem affert Turnebus lib. 29 Advers. ceterum est in antiquis libris *alula*: quod ipsum suspicionem mihi facit, legendum esse, *aulam ulula.* Ollarum strepitus omne genus avium terret: unde Athenienses ad fugandas ululas, quarum ibi molesta multitudo, solebant ollas in tectis disponere. Aristophanes in Avibus:

Ὅτι μέν τε δεῖ μάχεσθαι, λαμβάνειν τε τῶν χυτρῶν.
Τί δὲ χύτρα νῷγ' ὠφελήσει; γλαὺξ μὲν οὐ πρόσεισι νῷϊν.

Hoc est: *Pugnare oportet, & capere ollas. quid autem profuerit olla? Noctua non accedet ad nos.*

Περὶ φιλοφθονίας.] Libri vulgati hæc attexunt inſcriptioni: quos ſequatur, qui volet. nam mihi hic tenebræ ſunt, niſi forte totus locus ita legendus: Περὶ φιλοπονίας *natis, quos Menippe hæreſis nutricata eſt, tutores do,*

Qui rem Romanam Latiumque augeſcere voltis.

Quod poſtremum eſt carmen Ennii, cujus lib. 1 Annalium fuit

Audire eſt operæ pretium, procedere recte,

Qui rem Romanam Latiumque augeſcere voltis.

quorum verſum primum uſurpat etiam Horatius Sermon. lib. 1 Sat. 2. *Menippe hæreſis*, ut in Modio *Delphice columna*.

Pagina 313.

Repente vado &c.] Dicit Adonidem puerum, delicias Veneris, dum celeri & feſtinante greſſu inſequitur aprum, illius ferali dente necatum. an igitur legendum, *repente fato?* id eſt, ſubito & improviſo; ut Lucretius:

——*repenti fulminis ictu.*

& Turpilius:

Ejus aſpectus repens cor torporavit.

an illud *vado* eſt a Græco βάδος?

Quod ſi quis undecimo &c.] Gellius ita explicat, *Pari eodemque jure eſſe in decimo menſe natos, & in undecimo.* Alciatus lib. 1 Parergon cenſet, teſtatorem his verbis non agnoſcere pro ſuo partum undecim menſium, ſed eodem loco habere cum eo, quem exheredem ſupra ſcripſit. Quæ interpretatio mihi placet magis, quam Gelliana. nam partum undecim menſium Ariſtoteles ſolus recepit, ceteri univerſi improbarunt, auctore Cenſorino de Die natali. Ut mirum ſit, Hadrianum Imperatorem ſcripſiſſe, id decretum a ſe factum ex veterum philoſophorum & medicorum ſententia, quo pronuntiavit, in undecimo quoque menſe partum edi poſſe.

ΤΟΥ ΠΑΤΡΟΣ.] Hoc proverbio ſignificatur, ineſſe in liberis paternam effigiem, tam animi indole, quam corporis lineamentis evidenter expreſſam; quod occulta quadam virtute ſeminis natura efficit, non in homine tantum, ſed in omnibus iis, quæ oriuntur, juxta illud Horatii:

Fortes creantur fortibus & bonis;
Eſt in juvencis, eſt in equis patrum
Virtus.

etsi Hesiodus censet, hominibus justis a Deo tribui inter cetera dona,

Τίκτουσιν δὲ γυναῖκες ἐοικότα τέκνα γονεῦσι.

Basilius in Epistola ad Libanium: Εἰ δὲ ἐμός ἐστι παῖς, τοῦ πατρὸς ἐστι τὸ παιδίον.

Assanos multos.] Lego, *Annos multos.*

Foras betere jussit.] Est ex antiqua formula divortii, ad quam alludit Cicero Philippica 2. *Mimam illam suam*, inquit, *res suas sibi habere jussit.* ex XII Tab. *claves ademit, exegit.* Plautus Trinummo:

Apage sis Amor, tuas res tibi habe.

Titinnius Geminis:

At aliquis vestrorum nuntiet
Geminæ, ut res suas procuret, ædibus facessat.

Pacuvius Teucro:

Te repudio, nec recipio. mature, dico, facesse.

Intelligit autem Varro, ni fallor, divortium Spurii Carvilii, qui Romæ primus uxorem sterilitatis causa dimisit. de quo videndi Gellius, Valerius, Plutarchus, & alii.

Pagina 314.

Quare si Dia gens.] Al. *Quare si id ingens.* Melius, *dia gens*, vel *dium genus*, id est, inclitum & divinum. Ennius Ilia, *dia nepos.* Virgil.

——— *decus sibi dia Camilla.*

Teneo Μακράν.] Al. *Teneo idem οἰάκον.* Turnebus legit διάκονον. Junius e manuscripto, *Teneo μακράν*; quasi alludat illud, quod judices in tabulis dicere solebant, μακρὰν γραμμήν. Probaverim ipse: *Teneo idem οἷα κῶον.* elegans locutio, & metaphora a sponsionibus, qua significamus, nos aliquid asservare, quasi indicium, vel argumentum certum, aut idoneum signum. Si, inquit, est genus ab omni parte divinum, non impedio, quo minus tibi assumas: ipse quidem illud teneo, ut pignus stirpis & nobilitatis meæ: quomodo Tacitus vocat Capitolium pignus imperii. *Sedem Jovis Optimi Maximi, auspicato a majoribus, ut pignus imperii conditam.* Ovidius uno verbo dixit Pigneror lib. 7 Metamorph.

Accipio, sintque ista precor felicia mentis
Signa tuæ, dixi, quod das mihi pigneror omen.

Tetricæ, horrenti.] Apud Virgil. 7 Æneid.

Tetricæ horrentes rupes, montemque severum.

ubi Servius: *Tetricus mons in Sabinis asperrimus.* unde homines tristes ac severi, dicuntur tetrici.

Ducat ad Appiam.] Appia aqua erat sub templo Veneris, ornata signis Concordiæ, Pacis, Vestæ; quæ inde Appiades Deæ nominatæ, apud quas jurgia litesque conjugum disceptabantur. Ovid. lib. 3 de Arte amandi:

Has Venus e templis, multo radiantibus auro,
Læta videt lites, Appiadesque Deæ.

Et lib. 2 de Remedio amor.

Turpe, vir & mulier juncti modo, protinus hostes:
Non istas lites, Appias ipsa probat.

Varro Mysteriis: *In id jurgo, dos a femina ut auferatur, quæ posteaquam mihi ad Concordiam dicta est.*

ΤΡΙΟΔΙΤΙ ΤΡΙΦΩΛΙΟΣ.] Censet, hominem non posse contendere adversus impendentes vitæ calamitates, nisi firmatum assidua exercitatione, atque instructum in omni genere virtutis & scientiæ. Ut enim, inquit, equum tradere solent magistro, qui doceat componere & mollire gradum; sic hominem, tanquam in gyrum rationis & doctrinæ duci oportet, ut discat versare rerum humanarum orbem. Hinc titulus Triodite trifolius, vel τριοδιτὶ τριφώλιος: quo significatur homo constans & exercitus, qui in se firmissimum præsidium habet adversus mala animi, corporis, & fortunæ; vel qui est versatus in triplici genere virtutis & vitæ, otioso, actuoso, & ex utroque temperato. τριφώλιος, constans, peritus: cui contrarium ἀποφώλιος, vanus, & indoctus.

Priusquam in Orchestra &c.] Eadem similitudine utitur Horatius, ut ostendat, artem usu & exercitatione perfici:

———veluti qui Pythia cantat
Tibicen, didicit prius extimuitque magistrum.

ubi Turnebus existimat Pythaules dici tibicines, qui carmina in honorem Apollinis Pythii decantabant. πύθιον enim carmen pæana vocabant. Sed alii sunt tibicines, qui Pythia canebant, & juxta analogiam dicerentur Pythiaules, alii Pithaules per I, quomodo hic scribendum, & apud Cic. lib. 4 ad Atticum. *Sed vereor*, inquit, *ne te diutius lepore suo detineat rhetor Clodius, & homo pereruditus, ut ajunt, & nunc quidem deditus Græcis literis, ac Pithaulis.* Quibus nomen inditum ab eo, quod canebant tibiis impactis in dolio, & foraminum varietate distinctis. qua de re plura v. c. Joseph. Scaliger in Ætnam Virgilii.

Simul ac dici.] Fortasse legendum, *Si* μύλαξ δίκει. Di-

ctum alicujus Stoici, apathiæ sectatoris, qui videri intrepidus & immobilis voluit. Ita sum, inquit, omni terrore solutus, ut si molaris lapis decidat e cælo, non quæram, quid portendat. Similiter Horat.

Et si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.

TRIPHALLUS.] φαλὸς est apex galeæ, in quo crista ligatur. in milite index virilis animi & vigoris, ut in Ænea observat Virgil.

Ardet apex capiti, cristisque a vertice flamma
Funditur.

& in Achille:

——*cristatus Achilles.*

maxime si insignis tribus cristis, quasi jubatus, ut in Turno idem:

Cui triplici crinita juba galea alta Chimæram
Sustinet.

quod ab Æschylo sumsit, qui scripsit, *τρεῖς κατασκίους λόφους τείνει.* Hinc Triphalus Varronis Satyra, quæ in viris laudat habitum gravem & severum, contra mollem atque effeminatum notat.

Hic ita curat.] Melius, *dicta curat.* quod Lucilius:

Animum attendere dictis.

VÆ VICTIS.] Et naturali, & honesto vincendi studio vulgus hominum abuti, dum effrenato impetu & ardore præceps fertur in certamina, quæ nec ad honestatis cultum, nec ad vitæ commoda pertinent, sed tantum ad inanem vulgi plausum aucupandum spectant. Decere quemque eniti & contendere, ut ex virtutis certamine honestissimam victoriam cum laude referat, in quo uno vinci ac succumbere, miserum est & turpe. De proverbio, Væ victis, quo utitur Plautus Pseudolo, videndi Plutarchus & Festus.

Pagina 315.

Quod in solum mihi &c.] Proverbii speciem habet, pro, Quidquid sese mihi obtulerit in solo terræ, quidquid temere & fortuito inciderit. Cicero ad Pætum: *Ibi loquor aliquid, quod in solum, ut dicitur.* Idem lib. 1 de Nat. Deor. *Hinc, quodcunque in solum venit, ut dicitur, effingis, atque efficis.* Huic plane germanum est illud, Quidquid in buccam venerit, quo utitur idem Cicero ad Atticum.

Properate vivere.] Idem monet Catullus suam amicam:
Vivamus, mea Lesbia, atque amemus.
Martialis:
Non est, crede mihi, sapientis, dicere, Vivam;
Sera nimis vita est crastina, vive hodie.
Vetus inscriptio Narbonæ: AMICI DUM VIVIMUS VIVAMUS. Seneca ad Lucilium: *Propera vivere, & singulos dies singulas vitas puta.*

VINALIA.] Vinalia fuere duplicia, Urbana & Rustica. Urbana novo vino libando, Jovi dicata ex voto Æneæ, qui in bello adversus Mezentium, omnis vini libationem Jovi sacravit. Incidebant in mensem Aprilem, sacrum Veneri, diem IX Kal. Mai. Rustica vinalia a. d. XIV Kal. Sept. procurandis hortis, vitibusque ac vineis, dicata Veneri; e cujus templo vinum affatim hoc die effundebatur. Hinc Ovidius lib. 4 Fastor. Vinalia appellat festum Veneris: & Varro Satyram inscribit Vinalia, περὶ Ἀφροδισιῶν. De quibus vide ipsum lib. 3 de L. L. Plin. lib. 18, & Festum.

Centussim sartor.] Scribendum judico, *Certus sim sartor.* venusta sententia: Tu, inquit, venis, ut meas segetes sarrias, & a me accipias mercedem: at ego certus sum sartor mercedis tuæ, si labor tuus impensam meam exsuperat. Sartor pro sarritor, a sarriendo Nonius hic observavit, & Plauti Captivis.

VIRGULA DIVINA.] In virtute satis esse præsidii ad bene vivendum, ut, si illa simus muniti, omnia nobis, quæ ad victum cultumque natura desiderat, quasi virgula divina suppeditent. *Virtus omnia in se habet, omnia adsunt bona, penes quem est virtus*, ait Plautus.

Quod in sparagos.] Nonius refert inter genera ciborum, intelligens, opinor, illum fructum, qui ex asperis virgultis nascitur, & inde Græcis pariter & Latinis dicitur Asparagus. Sed non est verisimile, Varronem in tam vulgari vocabulo βαρβαρίζειν voluisse. Itaque vel in Nonii libris asparagos reponendum, vel ejus observatio rejicienda. quod ego quidem magis arbitror. Videtur enim Varro quasi ἀλληγορικῶς his verbis exponere materiam Satyræ, videlicet, Satis magnam vim esse in virtute ad beatam vitam, etiam hominibus miseris et egenis, quos vocat Sparagos, σπαράγους, a vestibus attritis & laceris.

Ego nunc postulo Agamemnona.] Agamemnona regem prædicat Homerus corporis proceritate omnes heroas Græcos

antecelluisse: tum oratione gravem fuisse & vehementem. Hinc personam Agamemnonis inducebant declamatores, ut magni & constantis patroni, quod ex Petronii Satyrico licet colligere, & ex hoc Varronis loco.

Tantus cothurnus.] Hoc dicit: Tanto ardore & elatione animi sumit personam judicis, vel, ita se parat ad judicium, ut humanæ magnitudinis formam propemodum excedere videatur. cum enim pedibus sit induta cothurnos, genus calceamenti adeo crassum, ut ejus accessione herois staturam possit æquare: insuper capiti imponit caliendrum, velamentum instar galeri, altum atque elatum. Ejus meminit Horat. lib. 1 Serm.

Canidiæ dentes, altum Saganæ caliendrum
Excidere.

& Arnobius lib. 6: *Falciculæ, claves, caliendra, fomites, talaria.* Porro fastum mulierum in formanda corporis proceritate, quam Varro apte tribuit Critonæ judici, eum Juvenalis pluribus versibus insectatur Satyra 6, quos operæ pretium est omnes hic recitare:

Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
Ædificat caput, Andromachen a fronte videbis:
Post minor est. aliam credas. cedo si bene parvi
Sortita est lateris spatium, breviorque videtur,
Virgine Pygmæa? nullis adjuta cothurnis,
Et levis erecta consurgit ad oscula planta.

Pagina 316.

Et pullos peperit &c.] His lepidissimis versibus describit hirundinis, parvæ aviculæ, summam curam & industriam, quam adhibet in nutriendis pullis; dum ex diversarum stirpium ac caulium minutissimis seminibus, cibos exquisite colligit, & quam maxima potest celeritate ad nidum defert. Vocat autem pullos fritinnientes, quod hirundinum proprium sit fritinnire, Græce τὸ ψιθυρίζειν. Glossarium: *Fritinniunt, cantant.*

Sed pancarpineo cibo.] Pancarpineus cibus ex omni frugum genere collectus, sicut Pancarpiæ coronæ dicuntur ex omnibus floribus coactæ. Sed est in nonnullis libris, *pancarpineo ocymo.*

Ad quos tum volucres.] Extremos hos versus valde corruptos habemus in codicibus Nonianis, ubi his ad testimo-

nium vocantur. Eos Scaliger, modica licentia usus, satis concinne in numeros redegit hoc modo:

Ad quos tum volucres venit pusillos,
Usque ad limina nidica esca vilis.

Ipse legerim postremum, *Usque ad limina ipsa vilis.* Julius Montanus apud Senecam:

——*jam tristis hirundo*
Incipit, & molli partitos ore ministrat.

Non quærenda est &c.] Hac sententia monemur, omnia, quæ cadere in hominem possunt, subjecta esse tutelæ & potestati virtutis, ut si in ea præsidium collocemus, nulla re egeamus, nihil requiramus, semperque simus invicti. Hæc est enim illa virgula divina, quæ nullo fortunæ impetu facile convelli potest, nulla graviore calamitate affligi; cujus munere & beneficio, quidquid optamus, id sine ullo labore aut opera nostra, quasi divinitus offertur. *Penula*, vestimentum crassum contra pluviam. ex quo dictum Galbæ, qui penulam roganti amico respondit, Non pluit, non opus est tibi; si pluet, ipse utar. Juvenalis:

——*fremeret sæva cum grandine vernus*
Juppiter, & multo stillaret penula nimbo.

ΥΔΡΟΚΡΥΟΝ.] Videtur insectatus homines delicatos, qui in potu utebantur aqua gelida, & refrigerata. nam veteres aquam varia atque exquisita arte refrigerabant, & maxime nivibus, ut Athenæus lib. 3 probavit. & Martialis:

Non potare nivem, sed aquam potare rigentem
De nive, commenta est ingeniosa sitis.

idem lib. 11:

Nec nisi post niveam Cæcuba potat aquam.

Unde celebratur Neronis principis inventum, decoquere aquam, vitroque demissam in nives refrigerare, auctore Plinio. Juvenalis:

Frigidior Geticis petitur decocta pruinis.

Non vides &c.] Hoc principium quasi commune & vulgare videtur fuisse veteribus. nam utitur Varro his Satyris tam sæpe, ut longum sit recensere, & Lucretius sæpissime, Virgilius interdum. Mnestheus medicus nobilis, quem Plinius de Coronis scripsisse refert: & alia ejusdem scripta memorat Athenæus. Alii reponunt Mnesitheum, quem ut celebrem medicum commendat Galenus in initio libri ad Glauconem.

Esse prandium caninum.] Prandium abstemium, in quo ni-

hil vini potatur, Caninum dicitur: quoniam canis vino caret. vid. Gell. lib. 13.

Ecclesiam in regiam.] An titulus Satyræ est Ecclesia? qua voce Athenienses utebantur pro concione ac conventu civium legitimo? an potius legendum, *Ecclesia in regiam aream impancrarunt?* ut sit hoc fragmentum e Sesquiulysse, de pastoribus Ulyssis, qui illo absente e caula & stabulo in regiam irruperunt.

Pagina 317.

Aut frigidos nimbos.] Hoc prognosticon pluviæ Noniani libri referunt ex Etratione. Mihi videtur dictio illa corrupta, nihil pertinere ad titulum Satyræ, sed cum sequentibus verbis esse conjungenda, atque ita restituenda:

——— *æthera chionea*
Aut frigidos nimbos aqua nicta,

id est, cœlum nivosum.

Ajace stramentitio. Acre.] Legerim, *Ajace stramentitio ἀκρής.* Venusta sententia: Homo meticulosus, inquit, visa Ajacis facie ex stramento, perculsus subito terrore, factus es mutus & amens. Nisi quis malit titulum Satyræ esse illud, Ajace stramentitio, & de inani terriculamento forma quadam proverbii usurpari, ut a Cicerone Fœnei homines appellantur: quod Asconius Pædianus in primam Orationem pro C. Cornelio observavit.

Non posset eam.] Noniani libri omnes habent, *Varro, prœlio captivos prædones, non posse* &c. e quibus vestigiis Junius eruit titulum Satyræ, *Prælio caprino, περὶ ἡδονῆς.* recte, an secus, aliis dijudicandum relinquo.

Sera parecte purgatum &c.] Ita libri veteres. recte. Scito, inquit, exstinctum esse florem adolescentiæ, quoniam videbis Romæ in foro, ubi semper cœtus adolescentium, pueros libere pilam mittere. Παρέκτη, pubertas, unde παρέκτατοι, ephebi, qui de pueritia veniunt ad pubertatem. Lucilius lib. 20:

Tum ephebum quendam, quem vocant parectaton.

Ergo Sera parecte purgatum, est vacuum matura adolescentia forum; quomodo Cicero verbo Purgandi usus in Oratione pro Sextio: *Cædem maximam facias, forum purges.* Alii legunt, *Serapi recte purgatum;* & putant, hunc locum esse ex Eumenidibus, ubi de Serapide crebra mentio.

Cujus ubi annis.] Veteres libri Nonii adducunt e Περιπεπατηκότων, vulgati, περὶ γεγαμηκότων. utraque lectio corrupta;

sed antiqua, meo quidem judicio, integrior; e cujus vestigiis, non ita, ut olim leviter suspicatus sum, sed hoc modo legendum existimo: *Per* Πελταυικήτων, *nullius ubi annis.* Videtur autem hic locus esse ex Periplo, de regno Amazonum, quæ in bello armatæ pelta, multas illustres victorias ex Asia, & magna parte Europæ reportarunt. eædem solitæ mares, si qui ex concubitu finitimorum nascerentur, interficere, ut nullius ibi masculi vestigium inveniretur.

Anoputio πολιπέκλιυε ἐδιάκης.] Vetus hæc est lectio, cujus emendationem certam Junius existimat Ἀνθρωπόπολε περὶ γενεθλιακῆς. ipse tamen suspicor legendum ἀπὸ τοῦ θύεος τὸ λίπ' ἔκκλινε διακαῆ, id est, procul a sacris averte oleum, vel, caveto adolere pingue, cujus augmento possent sacra incendio consumi. παροιμία aperta, quæ monet, sacrificia esse mediocritate moderanda, ne adolendo aboleantur ipsa sacra. Similis fere Platonica, μὴ πῦρ ἐπὶ πῦρ; & Horatiana, *Oleum ne adde camino.* Quamquam constat, homines profusos, ad augendam religionem sacrificiorum, omenta etiam multa flammis injecisse: quod notat Persius 2 Sat. 47:

Cum in flamma tibi tot junicum omenta liquescant.

Magos vero idem fecisse, ad usum incantationum occultarum. Catullus de Magis Persarum:

Omentum in flamma pingue liquefaciens.

In omnibus legi πολιπέκλυς πέρβαιτον.] Puto rectius ita scribi, πολυτέλεια, ὑπέρβατον.

Ne polliceres &c.] Est præceptum contrarium superiori: illud vetat in sacris profusionem, hoc sordes atque parsimoniam; &, nisi me fallit, hoc fragmentum est e Manio. Porro Nonius observat hic Polliceres, pro Pollicereris. Ego non dubito, Varronem scripsisse, Polluceres; quod est verbum sacrificale, ut antea dixi.

Denique omnes.] Hoc referunt plerique libri veteres Nonii e Satyra Inglorio, περὶ ὤτων. alii In gloperiton: unde nonnulli legunt, Gloria περὶ φθόνου. forte, Varro in κλοιῷ, περὶ θωῶν, de Pœnis, aut suppliciis. κλοιὸς, catasta, boja, in qua vinciuntur nocentes. Sed hæ conjecturæ leves sunt, & parum firmitatis habent.

In Menippæis.] Fortassis, in Plutorine. e qua Charisius observat vocem Scriptulum, pro scrupulum, quam hic apud Arnobium restituendam crediderim ideo, quod Satyra illa fuit περὶ φθορᾶς πλούτου: cujus insigne exemplum thesauri Apol-

linis Delphici incensi & direpti. *Hirundines hospitæ*, advenæ, vel vicinæ, ut Virgil. *Hospita æquora.*

IN LOGISTORICOS.

Pagina 318.

Pythagoras autem.] Hanc sententiam Pythagoræ copiose explicat Censorinus in libro de Die natali.

CATO, DE LIBERIS EDUCANDIS.] M. Cato Censorinus, princeps Porciæ familiæ, filium, quem ex priore uxore habuit, exquisitissima cura educavit, ut refert Plutarchus in ejus vita. Idem scripsit librum de educandis liberis: a quo fortassis Varro Logistoricum suum inscripsit.

Pagina 319.

Ut qui contra &c.] Varro auctor est, Numerios prænomine olim vocatos, qui cito nascebantur; de quo videndi Nonius, Festus, & Julius Paris in Epitome Valerii Maximi de Prænominibus. Numeriam autem Deam tradit a parturientibus invocari, ut celeritatem partus adjuvaret. Sed Augustinus lib. 4 de Civitate Dei, *Numeria*, inquit, *quæ numerare doceat.*

Hisce manibus &c.] Aliis placet, *Hisce Maniabus*; Lipsio, *His Semonibus*; cui assentior. Lactant. lib. 1: *Cunina, quæ infantes in cunis tuetur, ac fascinum submovet.* Varro lib. 2 de Re rust. *Apud divæ Rumiæ sacellum a pastoribus satam ficum. ibi enim solent sacrificari lacte pro vino, & pro lactentibus. mammæ enim rumis, sive rumæ, ut ante dicebant, a rumi; & inde dicuntur subrumi agni: lactentes, a lacte.* Meminit & Plutarchus in Romulo, & in Probl. & Augustin. lib. 4.

Cum primores cibo. &c.] Terentius in Phormione:

——— ubi erit puero natalis dies,
Ubi initiabunt.

in quem locum ita Donatus: *Legitur apud Varronem initiari pueros Educæ, & Potinæ, & Cubæ, divis edendi, & potandi, & cubandi, ubi primum a lacte, & a cunis transferuntur.* Quod Virgilius:

Nec Deus hunc mensa, Dea nec dignata cubili est.

Ex quibus verbis apparet, Cubæ Deæ nomen hic deesse, legendumque: *Potinæ, cum cubatione Cubæ.* Augustin. vocat Edu-

licam Deam, quæ escam præberet; Potinam, quæ potum. Arnobius lib. 3 Victuam & Potuam Deas recenset, sed alias ab his Deabus infantium puerorum.

A stando Statano & Statulino.] Videntur hæc verba non male cum præcedentibus conjungi posse, & forsitan ita olim cum illis fuerant conjuncta: *A potione Potinæ, cum cubatione Cubæ. Ubi stare, Statano & Statilino, quorum nomina habent scripta Pontifices. cum primo fari incipiebant, divo Fabulino.* Ubi pueri, inquit, standi & consistendi potestatem habere incipiebant &c. divo Fabulino. Lactantius Statanum & Statilinum nominat, ut Deos præsides & assistentes.

Pagina 320.

Cum cibum ac potionem &c.] *Bua* est potus. unde Vinibuas dixit Lucilius, pro vinolentis. *Papa*, cibus infantium, aut puls: a quo verbum Papare, pro edere, usurpavit Plautus Cistellaria:

Novo liberto opus est, quod papet. dabitur: præbebo cibum.

Mamma, mater vel nutrix. Persius Satyra 3:

Et similis regum pueris papare minutum
Poscis, & iratus mammæ lallare recusas.

Tata, pater. Martialis lib. 1:

Mammas atque tatas habet Afra, sed ipsa tatarum
Dici & mammarum maxima mamma potest.

Vel maxime illic.] Nonius hunc locum adducit in verbo *Contenturum*: quod cum hoc toto fragmento non inveniatur, videntur hic quædam deesse. Sed in Nonio, ut opinor, excidit illud Cibarius, quod observavit hic significare panem sordidum, ut apud Cic. lib. 5 Tuscul. Sic ergo restituendus Nonius: *Cibarius, Varro Cato, vel de Liberis.*

Fortuna se illos.] Forte hoc copulandum cum fragmento pag. præcedentis, *Antestatus est* &c. atque ita legendum: *Id quod doceat verum esse, Fortuna se illos non natura præstare, si quid his datum sit esculentum.*

Pagina 321.

Quod est in assa voce.] Assum est merum, solum. unde Canere assa voce, lib. 1 de Vita populi Rom. & hic Melos in assa voce, id est, sola linguæ voce. contra Melos organicon, quod ad musica instrumenta accinitur, ut solent cantores

citharœdicl symphoniam servare ad pulsus citharæ, ex quo Psullocitharistæ vocantur a Suetonio in Domitiano. Asconius Pædianus in Divinat. Ciceronis: *Cani remigibus κέλευσμα per symphoniacos solebat, & per assam vocem, id est, ore prolatam, & interdum, ut in Argo navi, per citharam.*

Etenim nulla, quæ non &c.] *Plumarius* est, qui acu pingit, & clavos, scutulas, aut alia, quæ plumas avium referant, in veste attexit, & plumarium opus a plumando, quo verbo utitur Nonius, & Vopiscus in Carino. Prudentius in Hamartigenia:

——— hunc videas lascivas præpete cursu
Venantem tunicas, avium quoque versicolorum
Indumenta novis texentem plumea telis.

Plura Turnebus lib. 11.

Quibus alno, lino.] Suspicor legendum: *Quibus calmo, lino, quid* &c. Recenset enim opificia puerilia, quæ ex calamo, lino, aut palma. Calami aptabantur ad tibias, fistulas & sagittas. de quibus multa Plin. lib. 16. & Calmi pro calami, ut lib. 1 de Re rust. *Per surclos defertur in terram.* & Virg.

——— suspende ex vimine circlos.

Palmæ folia ad funes vitiliumque nexus & capitum levia umbracula findebantur, auctore Plinio. quin etiam sportæ ex his contexebantur. unde sportella palmea apud Apicium lib. 1. Paulo post libri omnes habent: *Nam liberti quæstuis causa.* ut legi possit, *Nam liberi quæstuis causa.* Dividebant opificia pueris, inquit, liberi & honesti quæstuis causa.

Encombomata ac parnasides.] Al. *Arnacidas.* Ἐγκόμβωμα, genus suppari puellaris, aut tunicula alba & brevis, qua in scena amiciebantur servi comici, cujus meminit Pollux lib. 4. Ἀρνακίδας Plato in Symposio numerat inter coactilia, quibus pedes includantur.

Ut Ariston scribit.] Aristonem Chium intelligit nobilem philosophum Stoicum, quem Cicero etiam celebrat. Alius fuit Ariston Ceus Peripateticus, cujus meminit Laertius lib. 7.

Persæ propter.] Xenoph. Κυρουπαιδ. lib. 1: Αἰσχρὸν μὲν γὰρ ἔτι καὶ νῦν ἐστι Πέρσαις, καὶ τὸ ἀποπτύειν, καὶ τὸ ἀπομύττεσθαι, καὶ τὸ φύσης μεστοὺς φαίνεσθαι. & lib. 8 de iisdem: Νόμιμον ἐν αὐτοῖς μήτε πτύειν, μήτε ἀπομύττεσθαι. Hoc autem consequebantur tenui victu, & modica corporis exercitatione, de quibus idem Xenoph. lib. 5 Κυρουπαιδ. & Clemens lib. 2 Pædag.

Pagina 322.

Itaque Ambraciæ.] Apollo κουροτρόφος cognominabatur, cui adolescentes primam barbam & capillum offerebant: sicut Theseus profectus Delphos comæ primitias consecravit Apollini, anteriore capitis parte attonsa, ut refert in ipsius vita Plutarchus. Quamvis apud Homerum Achilles Sperchio, fluvii Deo, vovit. Sed de primo capillo puerili, quod Varro hic tradit, non memini me alibi legisse.

Quæ damna &c.] Videtur legendum: *Quæ damno nimia prohibent, verum bonum fieri: mediocria modica sunto.*

Itaque domi rituis.] Meminit Plutarchus in Quæstionibus Rom. cap. 28. & ipse Varro lib. 5 de Ling. Lat.

ATTICUS, DE NUMERIS.] Pythagorei ex numeris & mathematicorum initiis gigni putabant omnia: quam sententiam Varro fortassis disceptavit in hoc Logistorico, qui in plerisque libris Censorini inscribitur Articulus; quod non displicet. Nam veteres articulos manus adhibebant supputationibus, & vel apertis & porrectis, vel constrictis atque compressis digitis numerabant, ut plenius Beda, Isidorus, & alii ostendunt. Ovidius lib. 2 de Ponto:

At reditus jam quisque suos amat, & sibi quid sit
Utile, sollicitis computat articulis.

Juvenalis Sat. 10:

——*suos jam dextera computat annos.*

Pagina 323.

MESSALA DE VALETUDINE.] Marcus Valerius Messala, omni tempore ætatis usus firma valetudine, ad centesimum annum vitam produxit. fuit VI consul, & sella curuli semel ac vicies sedit, quoties nemo alius. Vid. Plin. lib. 7, Valer. Max. lib. 8 cap. de Senectute.

Pagina 324.

PAPPUS DE INDIGITAMENTIS.] Varro apud Servium, Indigitamenta dicit esse carmina Pontificum, quæ & nomina Deorum, & rationes ipsorum nominum continent: verbi causa, ut Occator Deus ab occatione dicatur, a sarritione Deus Sarritor, a stercoratione Stercutius, a satione Sator. Sed cur Logistoricum de Indigitamentis (de quibus Granius

Flaccus librum fecit ad C. Cæfarem) infcribit Pappum? an quia hoc nomine indigitabantur fenes utriufque fexus? maxime in comœdiis & Attellanis, quarum tituli citantur a Nonio, Pappus agricola, Hirnea Pappi, & Sponfa Pappi. Pomponius Piftoribus:

Pappus hac in æde habitat fenica, non fefcuncia.

an a cognomento gentis Æmiliæ? quod videtur ex eo fumtum, quod Pappi carduorum flores fint; de quibus Lucretius:

Veftem, nec plumas avium, papposque volantes.

PIUS DE PACE.] Pii cognomen habuit Q. Metellus, Numidici filius, quia patrem revocari ab exfilio affiduis lacrimis & precibus a populo Rom. impetravit. Hoc Varronem infcripfiffe in Logiftorico de Pace, non aufim affirmare: tantum leviter fufpicor ex eo, quod Salluftii hiftorici nequitiam notat, qui lib. 2 Hiftoriarum hujus Metelli Pii luxum & faftum cenforie reprehendit. Ejus locus integer exftat apud Macrobium lib. 3 Saturnal.

Pagina 325.

SISENNA, DE HISTORIA.] L. Cornelius Sifenna, nobilis hiftoricus fuit: cujus libri Hiftoriarum a Grammaticis fæpius commemorantur. meminit Salluftius in Jugurtha, & Cicero in Bruto, & lib. 1 de Legib. his verbis: *Sifenna omnes adhuc noftros fcriptores, nifi forte qui nondum ediderunt, de quibus exiftimare non poffumus, facile fuperavit.*

SCAURUS.] M. Æmilius Scaurus, cum magnificentiffimam in Palatio domum ædificaffet, ea re populum offendit, & confulatus repulfam tulit, ut auctor eft Cic. lib. 1 Officior. Hinc Scaurus infcribitur Varronis Logiftroricus, cujus tractationem fuiffe de Ædificiis, indicat fragmentum de glutino, fabrili materia.

Ac nulla ambrofia &c.] Legendum:

Ac nulla ambrofia, & nectar, non allia: farda &
Panis, pemma, lucuns, cibus qui puriffimus multo eft.

Non erant, inquit, cibi exquifiti, ut Deorum ambrofia & nectar, neque fordidi & viles, ut pauperum allia; fed puri lautique, ut falfamenta cum pane, & pro bellariis lucuns. Sarda, pifcis, qui faltatione & cantu ita afficitur, ut vel extra mare tranfiliat, de quo multa Athenæus lib. 6. Plin. lib. 32, cap. 53: *Sarda: ita vocatur pelamis longa, ex Oceano veniens.* Ex ea conficiebantur laudatiffima falfamenta Gadi-

tana, quæ Sardæ vocabantur, ut auctor est Oribasius lib. 4 Collectan. & Galen. lib. 3 de Aliment. facult. Lucuns, genus panis. Σκιομαχία pag. 304: *Vinum, pemma Lucuns* &c. in quem locum vide, quæ annotavimus.

Pagina 326.

Ectropas esse multas.] Ectropas, id est, diverticula vel divortia, vocat sententias ambiguas dissidentium philosophorum, quæ obstruunt iter ad sapientiam per se maxime spissum; id quod eleganter dixit Turpilius Canephora: *Ita est. Verum haud facile est venire illo, ubi ipsa est sapientia. Spissum est iter: adipisci haud possis, nisi cum magna miseria.* Propertius lib. 3:

Non datur ad Musas currere lata via.

Humanam quandam &c.] Fortasse legendum:

Humanæ quandam gentem stirpis concoquit;
Frigus calore, atque humore aritudinem
Miscet. Quod postremum sumsit ab Ennio, qui in Epicharmo de mente humana ita loquitur:

Frigori immiscet calorem, atque humori aritudinem.

Mortales nemo &c.] Alii legunt:

Mortalis nemo exaudit, sed late incolens
Scytharum inhospitalis campi vastitas.

Loquitur enim Prometheus de vastitate & solitudine Scythiæ, juxta Caucasum montem, quem Horatius vocat Inhospitalem, Æschylus ἀπάνθρωπον, quod hic τέλος ἐστὶ τῆς οἰκουμένης, ut tradunt ipsius interpretes.

Ego infelix non &c.] Valerius Flaccus lib. 4 Argonaut. dicit, Prometheum a vulture cruciari. Hesiodus in Theogonia, ab aquila, idque ob furtum ignis, & prodita hominibus Deorum consilia, quodque in visceratione ossa Jovi, sibi vero pinguedinem præposuisset. Philostratus lib. 2 de Vita Apollonii hæc fere narrat: Feruntur de Caucaso monte a barbaris fabulæ, quas etiam de eodem Græci fabulantur, Prometheum scilicet ob amorem, quo nimium homines est complexus, in eo monte ligatum fuisse: Herculem vero, non eum, qui Thebis natus est, id perferre non potuisse, & sagittis aquilam, quam Prometheus visceribus alebat, confecisse. dicunt insuper, ligatum fuisse antro, quod in Caucasi radicibus ostenditur, ubi duris petris vincula affixa conspiciuntur: quæ nosse, ex qua materia sint con-

secta, difficillimum est. alii ajunt, in summo cacumine ligatum, & cum Caucasus sit biceps, singulis monticulis singulas manus alligatas prædicant: cumque colliculi unius stadii spatio distent, corporis proceritatem arguunt.

Aliæ mitram vicinam.] Nonius hoc adducit, in voce Rica, ut fortassis legendum sit: *Aliæ ricam, ricinium, aut mitram Melitensem.* quæ eadem jungit Lucilius lib. 2:

Ricini aurati, ricæ, & oraria, mitræ.

& Nonius Pedio:

Mollicinam, crocotam, chiridotam, ricam, ricinium.

Sunt autem Rica & Mitra, muliebria tegmina capitis. Ricinium, muliebre palliolum breve. Mitram Melitensem dixit, ut Cic. in Verrem, Melitensem vestem, & textrinum, a Melita insula, quam tenues & molles telas dedisse, auctor est Diodorus.

Lenis mens cum &c.] Somnorinas, quæ in somnis videntur, accipit Nonius, ut sit hic sensus: Cum imagines, quæ in somnis apparent, interpellantur, tum mens solvitur angore, & oculi somno relaxantur. Scaliger putat legendum, *levisomna mens sonorinas imagines affatur.* & sonorinas imagines interpretatur ἤχους ἐναύλους, quales sunt tinnitus, quibus aures dormientium personantur, vel patentibus oculis, quod est Corybantiare, seu, pati imaginosum, ut loquitur Catullus. De quo plura dixi libro 1 de Sensuum affectionibus.

Cum sumere cœpisset.] De homine frugi & temperante, quem cibi appetentia ad edendum invitat, satietas retrahit. Sumere est comedere, bibere, ut lib. 3 de Re rust. *Quotiescunque sumserunt, locus solet purgari.* Cic. *Si sumserit meracius.* Spartianus in Hadriano: *Ad deprehendendas obsonatorum fraudes, cum plurimis sumentibus pasceret.*

Pagina 327.

Satias manum de &c.] Satietas, inquit, monet facere finem edendi. Allusum ad proverbium, Manum de tabula: quod jubet recedere ab opere jam expolito & confecto, ne nimia diligentia obsit.

Retrimenta cibi.] Hoc ipsum verbum etiam usurpat lib. 1 de Re rust. ubi in veteribus libris est Recrimentum, ut excrementum. Cicero appellat Reliquias cibi, Græci περιττώματα.

Per posticum vallem] Legendum, *Per posticum vallum.* feci ex Nonio, qui hic observat: *Posticum, neutro genere.*

Cera Tarentina.] Ager Tarentinus fert optimum mel, auctore Varrone lib. II Rerum human. a quo nobilis Cera Tarentina.

Tum visus supernus &c.] Puto legendum:

Tum visus supernus cortex, ut cacumina
Morientum in querqueto arborum, aritudine;
Æque exsanguibus dolore evirescat colos.

Dictum in exsangues & macilentos, quibus supernus cortex, id est, corium, simile cacuminibus arborum, præ aritudine morientium. Evirescat, virere desinat. Sed fortassis legendum *exsangui*, & de Prometheo ad Caucasum affixo hæc accipienda.





